








a 45

[illegible]

THEOLOGIA
DOGMATICA
ET
MORALIS,
AD USUM SEMINARII
Catalaunensis.

TOMUS SECUNDUS,

Continens Tractatus de Incarnatione, & de Gratiâ Christi.

Autore D. LUDOVICO HABERT, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore Theologo, & Socio Sorbonico.

Nova Editio emendatior.



PARISIIS,
Apud BARTHOLOMÆUM ALIX, viâ San-Jacobæâ, ad insigne Gryphi.

M DCC XXXVII.

Cum Approbationibus, & Privilegio Regis.





INDEX CAPITUM

Tractatûs de Incarnatione.

APPENDIX.

INDEX CAPITUM

Tractatûs de Gratiâ Christi.

Finis Indicis.

Approbatio

Approbatio D. PASTEL, *Doctoris & Socii Sorbonici.*


DE Mandato Illustrissimi Galliarum Cancellarii, librum legi, cui titulus est, *Theologia Dogmatica*, &c. *Tomus secundus*, *continens Tractatus de Incarnatione*, *& de Gratiâ Christi.* Nihil in eo opere deprehendi Fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium. Datum Parisiis die mensis Martii vigesimâ tertiâ anno 1708.

PASTEL.

Approbatio D. BRILLON, *Doctoris Sorbonici & Theologiæ Professoris.*

ILlustrissimi Galliæ Cancellarii jussu, legi novam hanc Theologiæ Dogmaticæ & Moralis editionem ad usum seminarii Catalaunensis, quod quidem opus propriâ laude & publicis elogiis ita se commendat ipsum, ac tuetur, ut nostris non indigeat. Datum in Sorbonâ pridie Calendas Augusti anni 1717.

BRILLON.



PRIVILEGE DU ROI.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roi de France & de Navarre : A nos amés & feaux Conſelliers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, grand Conſeil, Prevôt de Paris, Baillis, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Juſticiers, qu'il appartiendra, SALUT. Notre bien amé BARTHELEMI ALIX, Libraire à Paris, Nous ayant fait remontrer qu'il lui auroit été mis en main un Ouvrage qui a pour titre : *Inſtructions Chrétiennes ſur les ſouffrances : Theologia Dogmatica & Moralis ad uſum Seminarii Catalaunenſis : Authore* LUDOVICO HABERT D. s'il Nous plaiſoit lui accorder nos Lettrres de Privilege ſur ce néceſſaires ; offrant pour cet effet de le faire imprimer en bon papier, & beaux caractéres, ſuivant la feuille imprimée & attachée pour modéle ſous le contre ſcel des Préſentes. A CES CAUSES, voulant traiter favorablement ledit Expoſant ; Nous lui avons permis & permettons par ces Preſentes de faire imprimer leſdits Ouvrages ci-deſſus ſpécifiés, en un ou pluſieurs Volumes, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera, ſur papier & caractéres conformes à ladite feuille imprimée & attachée ſous notre contre-ſcel, & de les vendre, faire vendre & debiter par tout notre Royaume, pendant le temps de ſix années conſécutives, à compter du jour de la date deſdites Préſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en


introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance : comme auſſi à tous Imprimeurs, Libraires, & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, debiter ni contrefaire leſdits Ouvrages ci deſſus expoſés, en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits ſous quelque prétexte que ce ſoit, d'augmentation, correction, changement de titre, même de traduction étrangere ou autrement, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui ; à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hotel Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & interêts ; à la charge que ces Préſentes ſeront enregiſtrées tout au long ſur le Regiſtre de la Communauté des Imprimeurs & Libraires de Paris, dans trois mois de la date d'icelles ; que l'impreſſion deſdits Ouvrages ſera faite dans notre Royaume, & non ailleurs ; & que l'Impétrant ſe conformera en tout aux Reglemens de la Librairie, & notamment à celui du 10 Avril 1725, & qu'avant que de l'expoſer en vente, les Manuſcrits ou Imprimés qui auron ſervi de copie à l'impreſſion deſdits Livres ſeront remis dans le même état où les Approbations y auront été données ès mains de notre très cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur CHAUVELIN ; & qu'il en ſera enſuite remis deux Exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sieur CHAUVELIN ; le tout à peine de nullité des Préſentes. Du con-

tenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir l'Exposant ou ses ayans cause pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie desdites Présentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Ouvrages, soit tenue pour dûement signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & feaux Conseillers & Secretaires, foi soit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Charte Normande & Lettres à ce contraires: CAR tel est notre plaisir. DONNE' à Paris le huitiéme jour du mois de Fevrier, l'an de grace mil sept cent trente-deux, & de notre Regne le dix-septiéme. Par le Roi en son Conseil, SAINSON, avec paraphe, & scellé de cire jaune.

Registré sur le Livre VIII. de la Chambre Royale des Imprimeurs & Libraires de Paris, N°. 316. fol. 302. conformément aux anciens Reglemens, confirmés par celui du 28. Fevrier 1723. A Paris le 23. Fevrier 1732.

P. A. LE MERCIER, *Syndic.*

TRACTATUS



TRACTATUS DE VERBI DIVINI INCARNATIONE.

PRÆFATIO.



Jam ab ipſo hujuſce tractatûs initio, operæ pretium fuerit ſacræ doctrinæ ſtudioſos admonere, nemini fas eſſe ad illud longè maximum pietatis Sacramentum accedere, niſi qui terrenis affectibus ſolutus erit. Ideo enim *Apparuit ... gratia Dei Salvatoris noſtri, ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobriè & juſtè & piè vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*: ad Tit. 2. Hinc idem teſtatur Apoſtolus, II. Cor. 5. ſe noſſe neminem *ſecundùm carnem*: id eſt, interpretibus S. Chryſoſtomo, Theodoreto, & aliis, nihili facere ſe quæcunque mortalem hanc vitam ſpectant, putà humanas amicitias, cognationes, famam, hono-

res, voluptates. Quapropter, si alibi turpis est curiositas aut vanitas, juxta S. Bernardum, hoc est, velle scire tantùm ut scias, vel ut sciaris, damnabilem hîc eam dicere liceat, cùm ipsemet Apostolus in eos Anathema pronuntiet, qui magnum illud pietatis Sacramentum frigidi recolunt, aut addiscunt. *Si quis non amat*, inquit I. Cor. 16. *Dominum nostrum Jesum-Christum, sit anathema, Maran Atha.* id est, Dominus noster venit, sive veniet ad puniendum eum. In hâc igitur exercitatione id unum quisque intendat, mente ad Deum suspensâ, quia scientiarum Dominus est, *ut ... jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est.* II. Cor. 5.

Ordinem autem hactenus à nobis observatum hîc retinebimus, quæremusque, 1° Quid sit Mysterium Incarnationis. 2°. An sit possibile. 3°. An fuerit peractum & quomodo. 4°. Quæ sint attributa Christi Domini. 5°. Quæ sit Incarnationis causa, sive finalis, sive efficiens. 6°. An Sanctos & eorum imagines, reliquiasve colere liceat.

CAPUT I.

Quid est Mysterium Incarnationis?

R. INCARNATIO secundùm vim nominis idem est ac unio Verbi divini cum carne, juxta illud, Joan. 1. *Verbum caro factum est*, ubi pars sumitur pro toto, ut Genes. 6°. *omnis quippe caro corruperat viam suam.* Isa. 6. *Sciet omnis caro, quia ego Dominus.* Et Luc. 49. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Cùm autem Apollinaristæ ex laudato Joan. textu assererent solam car-

nem sine animâ fuisse à verbo assumptam, apud veteres Scriptores Græcos, pro Incarnatione legitur Inhumanatio, hoc est, unio Verbi cum naturâ humanâ.

Definiri potest Incarnatio, Primarium Religionis Christianæ mysterium, quo Verbum divinum assumpsit naturam humanam veram & integram; in unitatem personæ, ad redimendum genus humanum.

Dicitur 1°. *Primarium mysterium*; nam ex Apostolo I. Cor. 3. *Fundamentum ..... aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Et Isa. 28. v. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem; lapidem probatum, angularem, pretiosum*: maluit autem Evangelista scribere Verbum caro, quàm homo, factum est, tum quia caro, utpote magis distans à Verbo, *minùs assumptibilis videbatur*, ut loquitur S. Thomas quæst. 5. art. 3. ad primum; tum quia magis commendatur humilitatis dilectio, quâ Deus se usque ad carnem demisit. Ita S. Augustinus lib. 83. quæst. 80.

Dicitur 2°. *Verbum divinum*: contra Sabellianos & alios Hæreticos, qui cùm Sanctissimæ Trinitatis personas non distinguerent, docuerunt Patrem fuisse incarnatum, contra disertissima Scripturæ verba, Joan. 3. *Sic ... Deus dilexit mundum; ut Filium suum unigenitum daret*; & cap. 16. *Exivi à Patre.*

Potuit quidem incarnari Pater, sicut & Filius, & Spiritus Sanctus; quia omnipotentia illis est communis, & virtus terminandi alienam naturam æqualis. Nec deberet videri id absurdum quòd prima Persona incarnata esset Pater & Filius; cùm idem homo plerumque sit subjectum duplicis hujusce relationis sub diverso respectu: David quippe est filius Isaï, &

pater Salomonis : sic prima persona esset pater ratione æternæ generationis, & filius hominis ratione humanæ nativitatis.

Conveniebat autem Filium potiùs incarnari quàm Patrem aut Spiritum-Sanctum. 1°. Quia sicut per Verbum omnia facta sunt, sic per illud reparanda videbantur ; *nam & artifex*, inquit S. Thomas quæst. 3. art. 8. *per formam artis conceptam, quâ artificiatum condidit, ipsam, si collapsum fuerit, restaurat.* 2°. Quia sapientia, quæ est hominis perfectio, à Deo derivatur per verbum illius ; sicut scientia discipuli per verbum magistri. Hinc dicitur Eccl. 1. *Fons Sapientiæ verbum Dei in excelsis.* Et Joan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Dicitur 3°. *assumpsit*, hoc est, sibi univit, sibi sumpsit. Tres quidem Personæ concurrerunt ad uniendam naturam humanam cum Verbo ; quia unio illa, cùm sit opus ad extrà & effectus omnipotentiæ divinæ, communis est & Patri, Psal. 39. *Corpus .... aptasti mihi*, juxta septuaginta Interpretes & Apostolum Heb. 10. & Filio, Philip. 2. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens :* & Spiritu-Sancto, Luc. 1. *Spiritus-Sanctus superveniet in te.* Attamen unio ad solam Filii personam terminata est. Unde solus naturam humanam assumpsit, quemadmodum is qui vestem induit, solus dicitur illam assumere, quamvis alii cum ipso concurrant ad illam aptandam & circumponendam.

Dicitur 4°. *Naturam humanam*, non verò hominem ; quia homo est nomen concretum, compositum ex naturâ & substantiâ, seu personalitate, idemque significat ac habens naturam humanam : atqui natura humana priùs non fuit subsistens subsistentiâ humanâ, quàm à

Verbo assumeretur; sed simul fuit producta & unita Verbo, ut constanter docent Sancti Patres contra Paulum Samosatenum, Photinum, & Nestorium, definientes Christum priùs fuisse hominem perfectum, & deinceps promeruisse ut Deus fieret. S. Athanasius libello de Incarnatione ait: *Carnis adunatio cum divinitate Verbi, ex utero facta est, non quidem ut ante Verbi adventum exiiterit.* S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. *Ex quo homo esse cœpit, ex illo est & Deus.* S. Leo epist. 11. *Natura nostra*, inquit, *non sic assumpta est, ut priùs creata, pòst assumeretur; sed ut ipsâ assumptione crearetur.* Colligiturque ex capite 1. Lucæ, ubi sic Angelus Beatam Virginem affatur: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*: ubi Christus dicitur Filius Dei non adoptivus, sed naturalis, ex eo quòd de Spiritu-Sancto fuerit conceptus: Equidem nonnulli è veteribus scripserunt Verbum assumpsisse hominem, quia, inquit S. Thomas quæst. 4. art. 3. ad primum, *assumptio terminata est ad hoc, ut Filius Dei sit homo*: sed ille loquendi modus est omnino improprius, nec eo uti licet propter Hæreticos, qui sic errorem suum expriment.

Dicitur 5°. *Naturam humanam veram*, contra Hæreticos asserentes Verbum specie tenus assumpsisse naturam humanam. Tales erant Marcionitæ, Manichæi, Priscillianistæ, & ante eos Simon Magus & ejus discipuli, quos perstringit S. Joannes I. epist. cap. 4. his verbis: *Multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum: in hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus qui confitetur Jesum-Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus qui solvit Jesum* (Græcè qui non confite-

tur Jesum-Christum in carne venisse) *ex Deo non est, hic est Antichristus.*

Dicitur 9°. *integram naturam*, contra Hæreticos, quorum alii negaverunt assumpsisse animam, ut Apollinaristæ; alii carnem animâ retentâ ut Marcion. *Totus toti unitus est*, inquit S. Joannes Damascenus lib. 3. orthodoxæ fidei cap. 6. *ut toti mihi salutem largiretur, quod enim inassumptum est, incurabile est.*

Dicitur 7°. *In unitatem personæ* : quibus verbis duplex error proscribitur 1°. Eutychetis, qui docuit naturam humanam assumptam fuisse in unitatem naturæ, unionemque factam non in personâ, sed in naturâ, ex quo errore manifestè sequeretur tres Personas fuisse incarnatas, cùm natura divina sit eis communis. Secundus error est Nestorii, qui asseruit in Christo duas esse personas sicut & naturas, divinam scilicet & humanam, moraliter tantùm unitas, nimirum per gratiam accidentalem & adoptionis.

Dices : Verbum ex dictis assumpsit naturam humanam integram : atqui natura humana non est integra sine subsistentiâ seu personalitate : ergo Verbum assumpsit ipsam subsistentiam humanam : ergo in Christo sunt duæ subsistentiæ, seu personalitates, ac proinde duæ personæ.

Nego minorem, nam subsistentia non pertinet ad integritatem naturæ; sed supponit naturam integram & completam, cùm naturæ incompletæ, sicut anima, non sint capaces subsistentiæ. Subsistentia itaque est modus substantialis quo natura jam completa est incommunicabilis alteri, existitque in se & non in altero.

In quo consistit substantialis ille modus?

Quanquam hæc quæstio spectet Philosopho-

rum ſcholam, quia tamen ejus ſolutio huic tractatui lumen affert,

Reſp. Alii contendunt ſubſiſtentiam nihil aliud eſſe quàm negationem unionis cum alio.

Refelluntur, quia ſubſiſtentia in omnium ſententiâ eſt ultima ſubſtantiæ perfectio & complementum: atqui mera negatio, cùm ſit nihil: non poteſt dici perfectio aut complementum: Ergo.

Alii docent non eſſe quidem ſubſtantiam, ſed modum ſubſtantialem realiter à ſubſtantiâ completâ diſtinctum, quo ipſa ſubſtantia eſt in ſe tota & incommunicabilis alteri.

Contrà, ille modus inanis eſt & fictitius, cùm ſine illo natura poſſit in ſe exiſtere tota & incommunicabilis alteri, ut patebit ex ſententiâ mox explicandâ.

Tertia itaque ſententia affirmat ſubſiſtentiam entitativè eſſe ipſammet naturam integram & completam, formaliter verò eſſe totalitatem: ſeu rationem totius & exiſtentiam in ſe: quod explicatur exemplo guttæ aquæ, quæ ſeparata habet propriam ſubſiſtentiam: quia eſt ſubſtantia completa in ſe tota, & non exiſtens in alio: ſi verò uniatur aliis guttis, evadit pars alicujus totius, ſicque amittit ſuam totalitatem & ſubſiſtentiam propriam, abſque ullius entitatis deperditione. Unde ſic conficitur argumentum. Subſiſtentia eſt id per quod natura intelligitur ultimò completa & incommunicabilis alteri: atqui per illam totalitatem natura intelligitur ultimò completa (totum ſiquidem & completum ſunt termini ſynonymi) & incommunicabilis alteri: ſi enim communicaretur, fieret pars & deſineret eſſe tota: ergo ſubſiſtentia eſt ipſa totalitas ſubſtantiæ completæ & in ſe exiſtentis.

Ergo, inquies, Verbum assumpsit personam humanam; assumpsit enim totam naturam humanam.

Nego sequelam, cujus confirmationem distinguo. Verbum assumpsit naturam totam: totam, inquam, in ratione naturæ, Concedo: totam in ratione personæ & subsistentis, Nego. Verbum quidem assumpsit quidquid pertinet ad essentiam & integritatem naturæ humanæ; sed illa integritas non est totalitas, quam diximus esse subsistentiam; ad hanc enim requiritur ut natura sic integra, existat in se & non in alio digniori, ut videre est in allato guttæ exemplo: illa siquidem est substantia completa & tota, atque ideo subsistens: si autem aliis uniatur, quamvis nihil de suâ substantiâ deperdat, nihilominus non subsistit propriâ subsistentiâ, sed subsistentiâ totius, cujus facta est pars. Similiter natura humana in hypothesi, falsâ quidem quòd extitisset ante unionem hypostaticam, fuisset sanè subsistens subsistentiâ propriâ & humanâ; quia extitisset in se tota: amisisset verò suam subsistentiam & personalitatem, hoc ipso, quo substantialiter fuisset unita Verbo, non per detractionem alicujus entitatis; sed per adjectionem novæ perfectionis, ratione cujus non extitisset amplius in se tota, quemadmodum de facto non existit, nec unquam extitit, cùm à primo instanti conceptionis fuerit unita Verbo, quod consumpsit ejus subsistentiam, ut loquuntur Sancti Patres, non detrahendo, sed communicando seipsum, S. Thomâ interprete quæst. 4. art. 2. ad 3.

Urgebis: ex illâ responsione sequitur per unionem hypostaticam Verbum æquè amisisse suam subsistentiam & personalitatem divinam: quemadmodum si uniantur duæ guttæ aquæ, neutra

retinet suam subsistentiam, cùm neutra habeat rationem totius, sed ambæ componant novum aliquod totum: atqui falsum & impium illud antecedens: ergo & consequens.

Nego sequelam majoris, & paritatem in illius confirmationem adductam. Ratio disparitatis est, quòd naturæ creatæ, cùm sint finitæ, non possint substantialiter uniri, quin efficiant compositum perfectius seipsis separatis. Quocirca in illâ compositione se habent ut partes, quibus subsistentia, quam diximus totalitatem, non competit, sed soli composito ex illis naturis conflato; cùm habeat rationem totius, & totalitas ipsum spectet, nullatenus verò ejus partes. At Verbum infinitum in omni genere perfectionis per unionem hypostaticam cum naturâ humanâ non perficitur; sed illam miro & ineffabili modo perficit: ex quo sequitur Verbum stante unione hypostaticâ, se habere ut totum, ac proinde retinere suam subsistentiam; naturam verò humanam ut partem, ac consequenter non subsistere propriâ subsistentiâ, sed subsistentiâ Verbi. Hinc facilè solvitur alia quæstio quæ movetur in scholis, utrùm scilicet persona Christi possit dici composita. Nam si persona sumatur in abstracto pro ipsâ personalitate, seu subsistentiâ, certum est non esse compositam; Verbum enim est quid longè purissimum & simplicissimum: si autem persona accipiatur in concreto pro supposito, quod est Christus Dominus, constans ex duabus naturis, unâ personalitate divinâ subsistentibus, verè scripserunt nonnulli ex Veteribus esse compositam, sed compositione singulari, quia sine exemplo, quæ idcirco vocatur in scholâ compositio cum his, non verò compositio ex his. Cujus effati sensus est, Christum

esse unum totum, non per accidens; quia in toto per accidens partes vel non uniuntur, ut in acervo tritici aut arenæ; vel uniuntur solùm accidentaliter, putà secundùm quantitatem, quemadmodum surculus frugifer unitur trunco agresti. In Christo verò natura humana substantialiter unitur Verbo, & ab eo perficitur; atque eatenus censetur pars Christi propriè dicta, sed non vicissim Verbum; quia cùm ex illâ unione non perficiatur, retinet rationem totius, nec pars propriè dici potest. Unde cùm Verbum & natura humana ex æquo non se habeant in Christo, Schola docet Christum compositum esse cum his, non verò ex his.

Urgebis iterum; subsistentia hoc modo explicata nihil alliud præcisè est quàm negatio unionis; quia hoc ipso natura completa, est subsistens, quo non unitur alteri.

Nego; quemadmodum enim ratio constitutiva quantitatis bipedalis non est negatio tertii pedis, sed ipsa extensio ad duos pedes præcisè, quos sequitur negatio tertii pedis; sic aquæ gutta habet subsistentiam, quia est in se tota: totalitas autem illa est quid positivum, connotans equidem negationem ulterioris perfectionis, sed tanquam aliquid consequens & naturæ subsistenti extrinsecum.

Dicitur ultimò, *ad redimendum genus humanum*, ut significetur Incarnationis opus totum in usus nostros fuisse peractum; *nam & Filius hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam suam redemptionem pro multis.* Marc. 10. v. 45.

Q. 2° *Verbum assumpsit-ne naturam communem, an singularem & individuam?*

R. Assumpsit singularem, tum quia natura

communis & à singularibus separata fictio est rei impossibilis, ut advertit S. Joannes Damascenus lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 11. tum quia assumpsit naturam existentem propriâ existentiâ: existentia autem est rerum singularium.

Dices: Natura humana potuit spoliari propriâ subsistentiâ; quidni & existentiâ?

R. Disparitatem esse maximam inter existentiam & subsistentiam; nam per existentiam res est extra nihil: unde si spolietur suâ existentiâ, redit in nihilum ex quo educta est: per subsistentiam verò præcisè habet quòd sit tota in se: non repugnat autem eamdem rem, quæ fuit aut potuit esse in se tota, existere in alio.

Inde colliges productionem humanæ Christi naturæ, & unitionem ejus cum Verbo esse duas actiones quæ simul concurrerunt; namque productio præcisè terminatur ad existentiam, quâ natura educta est ex nihilo: unitio verò ad unionem ejusdem naturæ cum Verbo.

Q. 3°. *Quæ est illa unio?*

R. Alii volunt esse modum substantialem, ac veluti gluten ab extremis unitis realiter distinctum, quo natura humana cum Verbo conjungitur. Alii docent, & quidem meliùs, ut nobis videtur esse realiter ipsamet extrema unita, nec ab iis distingui nisi per mentem; sicut enim in physicis anima rationalis sine entitate modali hoc ipso quo applicatur corpori organisato & disposito, illi unitur tanquam ejus forma; quia per se habet virtutem informandi, & corpus aptitudinem ut informetur: sic in hoc mysterio Verbum per se habet vim infinitam terminandi, natura verò humana potentiam obedientialem, quâ subest omnipotentiæ divinæ ad recipiendum quemlibet motum.

bus verbis percelluntur varii errores : 1°. Origenis qui docuit interitura aliquando corpora, nec in cœlo regnatura, propter illud Apostoli malè intellectum, *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt*, I. Cor. 15. ac proinde naturam humanam à Verbo dimittendam: Ita referunt Theophilus Alexandrinus epistolâ Paschali secundâ; & S. Hieronymus epist. 69. ad Avitum. 2°. Marcelli Ancyrani, qui ex Eusebio lib. 3. Ecclesiasticæ Historiæ, ita intellexit hæc Apostoli verba I. Cor. c. 15. *Deinde finis, cùm tradiderit* (Christus) *regnum Deo & Patri*, ut post judicii diem expleto jam Christi officio, natura humana in nihilum sit reditura; 3°. eorum qui existimarunt Verbum à corpore Christi triduo mortis recessisse, ut sensisse videntur Tertullianus lib. contra Praxeam c. 30. Hilarius can. 33. in Matth. & S. Ambrosius lib. 10. in Lucam.

Probatur 1°. Catholica sententia ex Scripturis, Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Hebr. 7. *Hic autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* & c. 13. *Jesus Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula.* Joan. 12. Judæorum turba sic loquitur : *Nos audivimus ex lege quia Christus manet in æternum* : ex lege, inquit, nempe Psal. 109. *Tu es sacerdos in æternum.* Dan. 7. *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Unde Angelus ad beatam Virginem, Luc. 1. *Regni ejus non erit finis.*

Probatur 2°. ex Traditione : in Symbolo Nicæno & Constantinopolitano sic confitemur, *Cujus regni non erit finis.* & in Symbolo Apostolorum, *Mortuus & sepultus est, descendit ad inferos.*

Porrò si Verbum fuit separatum à corpore aut ab animâ, Christus nec sepultus est, sed corpus ejus, nec descendit ad inferos, sed anima ipsius: nam Christus est suppositum & persona. 2°. Theophilus Alexandrinus & S. Hieronymus citatis locis ex professo Origenem confutant: Marcellum verò Ancyranum, Eusebius laudato libro 3. Hist. S. Basilius epist. 52. & S. Ciryllus Jerosolymitanus catechesi 15. 3°. S. Augustinus speciatim de triduo mortis hæc habet, c. 14. *Sic in sepulchro carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero Virginis connascendo formavit.* & S. Leo ser. 17. de Passione, ait duplicem Christi naturam in tantam unitatem convenisse, *ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte sejungi.* Hinc commune Theologorum effatum ex S. Joanne Damasceno lib 3. orthod. fidei, aut potiùs ex ejus Scholiaste, *quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit.*

Dubium tamen est, utrùm illud axioma extendendum sit ad minimas particulas à Verbo assumptas, v. g. ad præputium in Circumcisione excisum, & ad singulas sanguinis guttas ante & post mortem effusas. Sunt enim Theologi, qui sentiunt Christi sanguinis nonnihil ab ipso in terris relictum, & eo ipso unione hypostaticâ exutum, sicut & præputium. Cùmque hac de re gravis controversia Dominicanos inter & Franciscanos orta esset anno 1462. Pius II. anno 1464. silentium utrique parti imposuit, prohibuitque ne sese erroris notâ configerent, donec aliter ab Apostolicâ Sede definitum foret. Ita Spondanus in hunc annum, testaturque Silvester in Rosâ aureâ, se vidisse epistolam ejusdem summi Pontificis ad Abbatem B. Mariæ Santonensis diœcesis, in quâ pronuntiat ita fidei

non repugnare, si Christus putetur aliquid è sanguine suo in terris reliquisse, quamvis in contrariam sententiam, quæ erat Dominicanorum, imprimis S. Thomæ q. 54. art. 2. & aliorum, utpote probabilissimam propensus esset.

Dixi, *aliquid sanguinis;* nam Clemens VI. ante Pium II. definierat Verbum cum sanguine in passione effuso mansisse unitum, ex Silvestro in laudato opere, cui titulus est *Rosa aurea.*

Atque ex hac posteriori sententiâ sequitur in instrumentis Passionis, quæ religiosè asservantur, ut in coronâ spineâ, in clavis & sindone, non sanguinem, sed colorem sanguineum superesse. Circumferuntur quidem Ampullæ tamquam Christi sanguine plenæ; sed sanguis ille fluxit ex imagine à Judæo Berythi confixâ. Vide Baronium in Annalibus ad annum 765. & in Martyrologio ad Nonam Novembris.

Ad auctoritatem Patrum, quos suprà retulimus videri favere illorum opinioni, qui asserunt Verbum à corpore Christi demortuo fuisse sejunctum; respondendum eos benignè exponi de separatione, non quoad substantiam, sed quoad singularem protectionem; *sic dereliquit Filium, dùm hominem ejus tradidit in mortem*, inquit Tertullianus cit. cap. 30. contra Praxeam.

Q. 7°. *Quo sensu plures è Patribus dixerunt unionem hypostaticam esse naturalem?*

R. Naturalis dicitur, 1°. quia est physica, non verò moralis, ut fingebat Nestorius; 2°. quia est à Nativitate seu à conceptione: quo sensu dixit Apostolus Ephes. 2. *Eramus naturâ filii iræ; sic enim* (Christus) *conceptus est ex Spiritu sancto*, ait S. Thomas qu. 2. a. 12. ad 3. *ut esset idem naturalis Filius Dei & hominis.* Sed naturalis non est, quasi fluat ex principiis naturæ huma-

næ, sitque perfectio ei debita; certum est enim eam esse perfectionem, quæ substantiarum creatarum etiam possibilium ordinem excedat.

Q. 8°. *Quid perfectionis unio hypostatica confert naturæ humanæ?*

R. Nullam quidem confert perfectionem essentialem, quia ambæ naturæ, divina scilicet & humana, cum suis attributis & proprietatibus manent inconfusæ & impermixtæ. Substantialem tamen tribuit, quatenùs per illam unionem Verbum divinum est naturæ humanæ ultimum complementum, & terminus substantialis, quo fit, ut natura humana non sit sui juris; sed tam ipsa, quàm ejus potentiæ, v. g. intellectus & voluntas, sint natura & potentiæ Verbi, quas agat, & per quas operetur. Quemadmodum enim de puro homine propriè non dicitur, oculus ejus videt, intellectus intelligit; sed dicendum est propriâ locutione, homo qui est suppositum, per oculum videt, per intellectum intelligit; quia actiones sunt suppositorum: sic ubi sermo est de naturâ assumptâ; figurata est locutio, si dicatur, quòd videat, intelligat, aut amet; sed ut servetur proprietas sermonis, dicendum est, Verbum incarnatum videt, intelligit, amat scilicet per potentias humanas, quas fecit suas.

Hinc nascitur 1°. ineffabilis sanctitas naturæ humanæ, & absoluta impeccantia, quia repugnat Verbum divinum quoquo modo peccare: hominum tamen delicta sua esse dixit Christus Psal. 21. *Longè à salute mea verba delictorum meorum;* sed ibi loquitur caput pro membris, sponsor pro iis pro quibus spopondit. Item II. Cor. 5. dicitur factus pro nobis peccatum, sed eo sensu, quo Osée 4 dicitur, Sacerdotes

peccata populi comedere, hoc est hostias pro peccatis oblatas. 2°. Communicatio idiomatum, hoc est, mutua & reciproca attributorum & proprietatum divinæ & humanæ naturæ de se invicem & de Christo prædicatio, v. g. Deus est homo, homo est Deus: Deus est passus, mortuus: homo est immortalis, æternus; sed ut in hujusmodi prædicationibus caveatur error.

Observandum est nomina alia esse abstracta, alia concreta: abstracta solam formam significant, ut divinitas, humanitas, albedo, dulcedo: concreta verò formam & subjectum seu suppositum exprimunt, ut Deus, homo, album, dulce; Deus enim sive homo idem est ac habens divinitatem, sive humanitatem; dulce aut album idem ac habens dulcedinem aut albedinem.

Porrò ex hac observatione certa statuitur regula, nempe concreta in Christo prædicari de se invicem, v. g. homo est Deus, omnipotes, æternus, immensus; & vicissim Deus est passus, sepultus, descendit, ascendit: abstracta verò nec de se invicem, nec de concretis, nec concreta de abstractis prædicari: v. g. non potest dici, divinitas est humanitas, & vice versâ, nec homo est divinitas, aut omnipotentia facta est infirma, æternitas temporalis. Ratio est quia propositio vera est, ubi prædicatum idem est cum subjecto; falsa verò, ubi diversum: atqui in prædicationibus, in quibus concreta de concretis enuntiantur, prædicatum est idem cum subjecto, v. g. Deus quod est habens divinitatem, idem est cum homine, quod est habens humanitatem: nam Christus est utrumque, habens divinitatem & humanitatem; fuit etiam habens mortalita-

tem simul & æternitatem, omnipotentiam & infirmitatem. At humanitas & divinitas, omnipotentia & infirmitas, sunt formæ disparatæ, comparanturque ad concretum velut partes saltem metaphysicæ ad totum; concretum enim, v. g. homo, omnipotens, enuntiatur ut totum habens humanitatem, omnipotentiam: humanitas verò sive omnipotentia est forma & pars metaphysica. Porrò non prædicatur propriè pars de toto, nec totum de parte.

Dico propriè; nam figuratè Oratores & Poëtæ nonnunquam sumunt partem pro toto, Hoc sensu canit Ecclesia, quod vita in ligno mortua fuerit; S. Joannes scripsit Verbum carnem fuisse factum, & Virgilius lib. 5. contra Eutychetem, Verbum appellat carnem.

Duo insuper hîc advertenda sunt.

Primum, concreta adjectiva à substantivis derivata, ut divinus, humanus, non esse de Christo prædicanda, nec dicendum Christus est homo divinus, est Deus humanus; quia hujusmodi concreta significant solùm aliquam participationem substantiæ, non ipsammet substantiam à quâ derivantur. Hinc S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 19. improbat quòd scribens in Psalm. 1. vocasset Christum hominem dominicum, cùm debuisset dici, hominem dominum, *quamvis*, inquit, *nonnullâ possit ratione defendi.* Caro tamen Christi rectè dicitur divina, non verò Deus, quia est pars pertinens ad totum, quod est Deus, quemadmodum attributa naturæ divinæ vocantur divina, v. g. intellectus divinus, omnipotentia divina, Verbum divinum si spectetur ut attributum relativum virtualiter à naturâ divinâ distinctum.

Secundum, prædicationem concretorum fal-

am esse si fiat reduplicativè, v. g. Christus quatenus homo est ubique; sensus enim est Christum esse ubique secundùm naturam humanam, quam impietatem ausi sunt proferre nonnulli Lutherani duce Brentio in apologiâ pro Confessione Augustanâ, contra aperta tum Scripturæ, tum Traditionis testimonia, Joan. 11. *Lazarus mortuus est*, inquit Christus, *& gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Matth. 28. *Jesum, qui crucifixus est quæritis; non est hîc; surrexit.* S. Augustinus epist. 57. cap 3. ad Dardanum, de naturâ Christi humanâ sic scribit: *secundùm hanc formam non est putandus, ibique diffusus .... Non est consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus.*

Dices: Natura humana toti Verbo intimè unita est: atqui Verbum est ubique: ergo natura humana est ubique.

R. 1°. Concessâ majore & minore, Nego consequentiam: argumentum enim non est in formâ, cùm terminus, ubique, non reperiatur in majore. 2°. Distinguo major. intimè unita est inadæquatè, Concedo: adæquatè, Nego majorem. Sic caput intimè unitum est inadæquatè toti animæ rationali, ac propterea se non extendit ad pedes sicut anima.

Dices 2°. Natura humana sancta est sanctitate Verbi; quidni & immensa & æterna dicetur æternitate & immensitate Verbi.

Distinguo anteced. Natura humana sancta est sanctitate Verbi, sanctitate, inquam, derivatâ & participatâ, Concedo: sanctitate essentiali, Nego anteced. Equidem ex unione hypostatica derivatur singularis sanctitas in naturam humanam; si enim species Eucharisticæ & vasa sacra sanctitatem moralem hauriunt ex corpore Christi quod continent; quantò magis natura

humana ex Verbo, cui ita unitur, ut in eo & per illud subsistat, ipsumque habeat tanquam complementum suum substantiale? Deinde per unionem hypostaticam natura humana non est sui juris, sed fit natura Verbi à quo sanctissimè regitur & agitur, disponiturque ad hujusmodi sanctos & divinos motus per plenitudinem gratiæ sanctificantis & aliorum donorum, ut dicemus infrà. Plenitudo autem illa est excellens sanctitatis divinæ participatio. At sanctitas essentialis sicut & æternitas & immensitas est prorsus incommunicabilis, cùm sit naturæ increatæ proprietas quarto modo, ut loquuntur Philosophi. Enimvero ideo illa Dei attributa dicuntur essentialia; quia intelliguntur necessariò & reciprocè fluere ab essentiâ Dei, quam diximus aseïtatem seu existentiam à se; ens enim à se est maximè necessarium, expers omnis potentialitatis, immutabile, & illimitatum, ac consequenter immensum, & ubique diffusum, æternum & sine durationis limite, purissimum ab omni peccato, quod sine mutatione & defectu accidere nequit. Porrò nemo non videt repugnare quominus hujusmodi attributa prædicentur de creaturâ, qualis est natura humana.

Q. 9°. *Potest ne dici Verbum incarnatum esse creaturam, aut Dei servum?*

R. Primò, SS. Ambrosius serm. 5. in Psal. 118, Augustinus epist. 57. ad Dardanum, & Damascenus lib. 3. Orthod. fidei cap. 3. Christum creaturam nuncuparunt; sed propter Hæreticos quorum errori favet hæc propositio, omnino vitandus est hic loquendi modus, ut monet S. Thomas & omnes communiter Theologi, & quidem sapienter: nam creaturæ nomine designatur suppositum, quod hîc est increatum.

R. Secundò, servus vel latè sumitur & ratio-
e officii, quo sensu filius dicitur servire patri,
im res ejus curat, & injunctum opus exequi-
ır ; vel strictè pro personâ extraneâ minimè-
ue ingenuâ, ut mancipia & famuli conducti-
i, qui jus non habent ad hereditatem. Priori
nodo Christus in scripturis vocatur Dei servus.
aiæ 42. *Ecce servus meus, suscipiam eum*, quem
ocum S. Matthæus cap. 12. vers. 28. de Chri-
to interpretatur ; & cap. 49. ejusdem Pro-
hetæ : *Et nunc dicit Dominus formans me ex ute-
o servum sibi.* Posteriori verò sensu negat Apo-
tolus Christum esse Dei servum ; nam cap. 1.
& 3. ad Hebr. præfert eum Angelis & Moysi,
quòd hi sint famuli in domo Dei, Christus ve-
ò sit Filius. Hinc sanctus Joannes Damasce-
nus lib. 3. cap. 2. & Patres Francofordienses
probant Christum non esse Filium Dei adopti-
vum ; quia non est servus. Et ante eos S. Dio-
nysius Alexandrinus epistolâ adversùs Paulum
Samosatenum, S. Augustinus hæres. 3. & Theo-
doretus dial. 2. docent Verbum assumpsisse qui-
dem formam servi, ut scribit Apostolus Phi-
lipp. 2. sed non esse servum. Simpliciter ergo
dicendum est Christum non esse servum, sed
Dominum ; quia servus denotat personam ex-
traneam & minimè ingenuam. *Dominus noster*,
inquit S. Augustinus citato loco, *etiam in forma,
servi non est servus.*

Hinc necessariò sequitur 1°. Christum esse ado-
randum cultu supremo, eoque unico, quem la-
triæ vocant ; quia cultus terminatur ad perso-
nam respondetque ejus excellentiæ, quæ in
Christo est increata & infinita.

Dixi, *unico*, tum quia honor defertur toti,
non partibus seorsim sumptis & separatis ; tum
quia partes in Christo Domino subsistunt sub-

sistentiâ increatâ ; & eatenus supremus honor ipsis debetur. Nec dicas humanam naturam præcisè sumptam esse creaturam, quæ ut sic non potest esse objectum latriæ ; quamvis enim id speculativè verum sit, atque sic abstracta mereatur honorem inferiorem, quem hyperduliam vocant, propter eximiam ejus sanctitatem & singulares dotes : attamen practicè humana Christi natura spectanda est & colenda prout existit à parte rei, id est, prout habens Verbum divinum pro complemento substantiali ; namque ferendus non esset, qui in Rege hominem abstraheret à dignitate regiâ, ut illum eo prætexu inferiori honore coleret. Hinc est quòd Ecclesia Catholica, licèt ex Scripturis edocta, Christum in terris pro nobis orasse, Joan. 17. v. 20. & etiam nunc in cœlis semper esse viventem ad interpellandum pro nobis, Hebr. 7. vers. 25. nunquam tamen preces suas ad eum dirigit quasi ad intercessorem, sed semper uti omnium bonorum largitorem, *Miserere nostri*, ait ; non verò, *Ora pro nobis*, ne scilicet humanitatem in Christo sine divinitate cogitemus.

Sequitur 2°. Christum Dominum, etiam ut homo est, non esse Filium Dei adoptivum, sed naturalem ; quia adoptio est gratuita assumptio personæ extraneæ ad hereditatem, ad quam ex origine jus non habet : atqui Christus ut homo, non est persona extranea ; namque homo ex dictis idem est ac habens humanitatem : habens autem humanitatem est ipsum Verbum, Filius Dei naturalis : Ergo.

Probatur ulteriùs, tum ex Scripturâ, Joan. 3. *Sic ... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit ; sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Porrò non

tradidit illum secundùm divinitatem, sed secundùm humanitatem. Tum ex Traditione, S. Hilarius lib. 3. de Trinitate, sic scribit de Christo: *Hic verus & proprius est Filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione.* & S. Augustinus tract. 7. in Joan. ait: *Oportebat ut ille baptizarει, qui est Filius Dei unicus non adoptivus.* Denique in Concilio Francofordiensi, cui adfuêre Legati Adriani Summi Pontificis, & plures Episcopi ex Germaniâ, Galliâ, & Hispaniâ, anno 794 damnata est sententia Felicis Urgelitani Episcopi & Elipandi Toletani, quâ asserebant Christum, ut homo est, esse Filium Dei adoptivum: præiverat Adrianus & uti hæreticam proscripserat.

Dices 1°. S. Hilarius lib. 2. de Trinitate, scribit naturam humanam in Incarnatione gratis fuisse adoptatam. Ergo Christus, ut homo, est Filius Dei adoptivus.

Distinguo anteced. Adoptatam, id est, sine præcedentibus meritis à Verbo assumptam, Concedo: Adoptatam adoptione propriè dictâ, prout hîc sumitur, Nego anteced. Adoptio enim sicut filiatio dicuntur relativè ad personam, non ad naturam: nunquam natura dicitur filia sive adoptiva, sive naturalis, sed persona naturam gerens.

Dices 2°. Christus, ut homo, ex dictis non est Deus: Ergo ut homo non est Filius Dei naturalis, sed Filius hominis, ut seipsum frequenter nominat: namque eatenus Christus est naturalis Dei Filius, quatenus est Deus, & habet Patris naturam: atqui quatenus homo non est Deus: Ergo.

Concesso antecedente, nego conseq. & paritatem. Disparitas est, quòd Deus expresè denotet naturam divinam, ut monuimus in Tra-

statu de Trinitate: Filius verò personam genitam in similitudinem naturæ. Porrò Christus secundùm naturam humanam non est à Deo Patre genitus, sed secundùm personam & suppositum, quod includitur in hoc nomine concreto, homo, quod idem est ac habens humanitatem: Christus ergo, ut homo, est Verbum seu Filius Dei, ut habens seu terminans naturam humanam. Unde neganda est major syllogismi in confirmationem confecti; namque Christus non est Filius Dei præcisè quatenus est Deus; aliàs Spiritus Sanctus, utpote Deus, esset quoque Filius Dei: sed est Filius Dei quatenus à Deo genitus in similitudinem naturæ: atqui Verbum ut terminans aut habens naturam humanam, est persona genita in similitudinem naturæ. Ergo.

Instabis ex concessis, Christus eatenus est Filius Dei, quatenus est à Deo Patre genitus; atqui Christus ut homo non est sic genitus à Deo Patre, sed à beatâ Virgine: ergo ut homo non est Filius Dei, sed filius hominis.

Distinguo minorem: non est genitus à Patre, sed à matre ratione naturæ temporaliter assumptæ, Concedo; ratione Verbi assumentis & terminantis, Nego minorem: nam ipsa persona, nempe Verbum, ad quam terminatur generatio temporalis, est ab æterno genita in similitudinem naturæ Patris æterni: ergo eadem persona, propter duas naturas, est Filius Dei, & filius hominis.

Instabis iterum: Filius Dei naturalis debet esse ejusdem substantiæ & naturæ cum Patre à quo procedit: atqui Christus, ut homo, non est ejusdem substantiæ & naturæ cum Patre æterno. Ergo.

Distinguo

Distinguo minorem: non est ejusdem substantiæ & naturæ cum Patre ratione humanitatis, Concedo: ratione hypostasis & subsistentiæ, quam terminus ille (homo) includit, Nego minorem: nam substantia hujus hominis; nempe Christi, est Verbum, quod consubstantiale est Patri.

Dices 3°. Qui habet adoptionem, is sanè est filius adoptivus: atqui Christus ut homo habet adoptionem; gratia enim sanctificans, cujus Christus accepit plenitudinem, ut dicemus, est adoptio; & effectus ejus formalis est facere adoptivum: quemadmodum effectus formalis albedinis est facere album. Ergo Christus ut homo est filius adoptivus.

Nego minorem, cujus confirmationem distinguo. Gratia sanctificans est adoptio in subjecto apto, scilicet in personâ extraneâ, quales sunt Angeli & homines, Concedo: in filio naturali, Nego. Quemadmodum torques aurea à Rege collata aulicum facit cognatum Regis, non verò ejus filium. Quod autem additur effectus formalis gratiæ sanctificantis est facere adoptivum, distinguendum est: effectus formalis secundarius, qui potest separari à causâ formali, sicut effectus formalis secundarius albedinis est facere simile, Concedo: effectus formalis primarius & inseparabilis, Nego. Quemadmodum ergo albedo in pariete necessariò facit album, quia is est effectus formalis primarius, non verò facit necessariò simile vel dissimile; nam in hypothesi quòd sit unus paries, neque erit similis, neque dissimilis: ita pariter effectus formalis primarius & inseparabilis gratiæ sanctificantis est efficere sanctum; undè Christus ut homo, sanctus est, & sanctitate substantiali propter hypostasim, & sanctitate acci-

dentali propter gratiam sanctificantem. Sed effectus formalis secundarius & separabilis, est efficere filium adoptivum: hujus autem effectûs capax non est filius naturalis, cùm ex nativitate suâ jus habeat ad hereditatem paternam, quæ est visio beatifica.

Sequitur 3°. beatam Virginem verè & propriè esse Deiparam seu Matrem Dei; quia illa verè & propriè est Mater Dei, quæ genuit hominem, qui est verè & propriè Filius Dei: atqui talis est beata Virgo; talem eam agnovit & professa est Sancta Elizabeth: *Unde hoc mihi*, inquit, *ut veniat Mater Domini mei ad me?* Luc. 1. Ex quibus verbis colligitur duplex miraculum in conceptione Dominicâ contigisse. Primum, quòd Virgo conceperit; secundum, quòd non paulatim & successu temporis, quemadmodum in aliis conceptionibus; sed statim corpus Christi formatum & unitum fuerit animæ rationali, & utrumque simul, corpus scilicet & anima, Verbo divino: nam continuò post discessum Angeli beata Virgo cum festinatione ad Elisabeth perrexit Mater Dei existens. Talem etiam ab omnibus credendam definivit Concilium Ephesinum generale tertium anno Domini 431. his verbis: *Si quis dixerit esse abusivum, & non verè dici Dei genitricem; anathema sit.*

Dices: Beata Virgo plus non contulit ad incarnationem, quàm Spiritus-Sanctus: ergo non magis est Mater Dei, quàm Spiritus-Sanctus est illius Pater.

Antecedens probatur. Tres substantiæ in Christo sunt distinguendæ, scilicet persona divina seu Verbum, anima rationalis, & corpus: atqui beata Virgo nihil contulit ad productionem Verbi, quod æternum est; nec ad pro-

ductionem animæ, quæ à solo Deo creari potuit; sed solummodo materiam corporis subministravit: Spiritus verò sanctus animam creavit, corpus formavit, & Verbum utrique substantialiter univit: ergo plus ad incarnationem contulit, quàm beata Virgo, & nihilominus nec est, nec dici potest Pater Filii Dei: multò igitur minùs beata Virgo dicenda est ejus Mater.

Distinguo anteced. Beata Virgo plus non contulit ad incarnationem, absolutè loquendo, Concedo, propter rationes allatas: plus non contulit certo quodam modo, scilicet suam propriam substantiam subministrando, Nego anteced. namque ad generationem propriè dictam, quæ est fundamentum paternitatis & maternitatis, requiritur ut persona generans suam substantiam genito communicet, ut constat ex definitione generationis allatâ in tractatu de Trinitate. Porrò Spiritus Sanctus nihil de suâ substantiâ Christo communicavit, ac proinde nullatenus dici potest Pater Christi ut Filii Dei, alioquin ipse Filius Dei dicendus esset sui ipsius Pater, cùm opus incarnationis sit ipsi commune cum Patre & Spiritu sancto, ut dictum est. Sed Christi productio respectu beatæ Virginis est vera generatio, quia est ex substantiâ ejus in similitudinem naturæ.

Nec obstat quòd Christi subsistentia seu personalitas à beatâ Virgine non procedat; neque enim in generationibus humanis subsistentia humana propriè producitur à parentibus, sed resultat; corpus duntaxat formant, Deus creat & infundit animam, & ex animâ & corpore unitis exurgit totum in concreto, & totalitas seu substantia in abstracto; quæ

est ultimus generationis terminus. Subsistentia autem illa generationem terminans, vel est humana, si ambæ partes unitæ in se existant; vel Angelica in hypothesi fortè impossibili, quòd ambæ partes substantialiter uniantur Angelo: vel divina in nostrâ hypothesi verâ & existente, quod hypostaticè uniantur personæ divinæ.

Dixi in hypothesi fortè impossibili, quòd anima rationalis & corpus; hoc est natura humana, ita uniantur Angelo, ut subsistant subsistentiâ Angelicâ: quia suppositâ taliunione, Angelus utpotè finitus evaderet perfectior; totum enim ex naturâ Angelicâ & humanâ conflatum esse quid melius quàm Angelus solùs. Unde utraque natura per illam conjunctionem amitteret suam subsistentiam; quia neutra haberet rationem totius, quemadmodum suprà diximus de duabus aquæ guttis unitis, ex quibus resultat novum totum, ac proinde nova subsistentia. At in hoc mysterio Verbum in omni genere perfectionis infinitum, nec ulteriùs perfectibile, retinet suam totalitatem & personalitatem, ad quam terminatur generatio ex beatâ Virgine. Ergo homo ex beatâ Virgine genitus, verè est Filius Dei; & ipsa puerpera verè & propriè Mater Dei.

COROLLARIUM.

Hæc summatim & methodicè uno capite complexi sumus, ut Clerici ad manum habeant, quæ in catechesibus docere oportet circa mysterium Incarnationis; atque inter explicandum præcipuum illud Religionis nostræ dogma, cautè vitent errores oppositos,

in quos facilè incurritur, nisi recensitæ regulæ præcesserint.

Imprimis mysterii definitionem hîc accuratè explanatam proferent. Tum subjicient Verbum, ex quo naturam humanam assumpsit, vocari cœpisse Jesum-Christum, cùm anteà simpliciter diceretur Filius Dei. In Christo autem esse duas naturas integras & inconfusas, divinam scilicet & humanam; unicam verò Personam divinam, quæ est secunda sanctissimæ Trinitatis. Atque, ut mente percipiant auditores quod auribus excipiunt, exponent Catechistæ illud esse discriminis inter naturam & personam, quod naturæ nomine intelligatur principium agendi: natura enim definitur à Philosophis, primum principium motûs & quietis ejus, in quo est, unde tot sunt in aliquo naturæ, quot sunt agendi principia: atqui in Christo duo sunt agendi principia; per aliud enim, nimirùm per divinitatem, cœlum & terram creavit, mortuos & seipsum à mortuis suscitavit, innumera patravit miracula: per aliud verò, scilicet per humanitatem, esurivit, tristatus est, passus & mortuus. Ergo in Christo duæ sunt naturæ, divina & humana.

At unica est persona, eaque divina; quia personæ nomen significat unum totum per se subsistens: atqui Christus est unum quid & totum conflatum ex duabus naturis; nam, ut habetur in Symbolo, quod sub nomine S. Athanasii circumfertur, *Sicut anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*, cum hoc tamen discrimine, quòd anima rationalis & corpus, cùm sint duæ naturæ incompletæ & partiales, coalescant in unam naturam totalem simul & unam personam: sed quia natura divina & humana sunt seorsim com-

pletæ & integræ, non efficiunt in Christo unam naturam sicut anima & corpus; sed subsistunt in unâ & eâdem Verbi personâ.

Meminerint etiam Catechistæ, dum explicant attributa quæ spectant sive divinam Christi personam, sive utramque ejus naturam, nomina concreta & abstracta non esse indiscriminatim usurpanda: sed observandas regulas præmissas, alioquin in absurdos errores impingerent.

Exponendum superest, quod à nemine ignorari licet, nempe Incarnationis mysterium esse peractum ad redimendum humanum genus, de quo pluribus capitibus tractandum, ubi de causâ finali Incarnationis.

CAPUT II.

Utrùm notitia mysterii Incarnationis sit omnibus necessaria?

PRæmittendum est duplicem esse necessitatem; alia dicitur medii, alia præcepti.

Necessitas medii est eorum sine quibus finis haberi non potest, etiam in hypothesi quòd impossibilia fiant. Sic necessarius est cibus ad conservandam vitam corporalem; baptismus saltem in voto ad consequendam salutem æternam; quia his deficientibus, nec vita corporalis conservabitur, nec salus æterna obtinebitur.

Necessitas præcepti, est eorum quæ sine culpâ negligi nequeunt propter præceptum, atque adeo necessaria sunt ad cavendum peccatum; talis est observatio mandatorum, de quibus ait Christus Matth. 19. *Si . . . vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Nec inde inferas obſervationem omnium mandatorum eſſe neceſſariam neceſſitate medii, cùm ſine eâ ingreſſus ad vitam æternam non pateat. Namque ubi occurrit alicujus mandati ignorantia invincibilis, vel impotentia, propter quam mandatum prætermiſſum eſt, non occludetur proptereà janua regni cœleſtis, quia in illo caſu omiſſio præcepti peccatum non eſt, cùm non ſit voluntaria; ac proinde obſervatio cujuſlibet mandati non eſt neceſſaria neceſſitate medii, ſed ſolùm neceſſitate præcepti ad cavendum peccatum. At ſubtractio medii neceſſarii, etiam involuntaria & inculpabilis, arcet à regno cœlorum.

Advertes tamen, ea quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem, eſſe quoque neceſſaria neceſſitate præcepti; quia lex naturalis & divina prohibent ea negligere; ſine quibus finem noſtrum conſequi non poſſumus. Unde qui baptiſmum, v. g. negligunt, non ſolùm vitâ æternâ privabuntur, quia medio neceſſario caruêre; ſed inſuper pœnis æternis punientur, quia voluntariè præceptum ſunt tranſgreſſi. Ex quo ſequitur notitiam myſterii Incarnationis, ſi neceſſaria ſit neceſſitate medii, eſſe quoque neceſſariam neceſſitate præcepti, ſolamque addiſcendi impotentiam à peccato excuſare eos qui myſterium illud ignorant.

Quæſtio itaque præſertim hîc movetur utrùm notitia myſterii Incarnationis ſit neceſſaria neceſſitate medii. Ad quam

R. 1°. Certum eſt non eſſe neceſſariam parvulis baptizatis, qui ante uſum rationis decedunt; quia ſi potuit eis nocere mala voluntas primi parentis, à fortiori prodeſt illis pia matris Eccleſiæ voluntas, in cujus fide bapti-

zantur: Deus enim pronior est ad miserandum, quàm ad ulciscendum, ut passim argumentatur sanctus Augustinus.

R. 2°. Certum est notitiam hujus mysterii non fuisse necessariam necessitate medii iis adultis, qui à statu justitiæ quam per baptismum in infantiâ sunt consecuti, non recessêre; ut potè qui in ipso ferè rationis crepusculo decesserint antequam potuerint addiscere: Deus enim justos non deserit, nisi priùs ab eis per peccatum deseratur; nec illis denegare potest hereditatem æternam, ad quam jus habent dono gratiæ sanctificantis.

R. 3° In lege novâ notitia mysterii Incarnationis est necessaria necessitate medii adultis non justificatis: est communis Theologorum sententia.

Probatur 1°. ex Scripturis, Joan. 3. *Qui... non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* Act. 4. *Non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, & c. 10. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.*

Probatur 2°. Traditione. Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 21. docet, ignorantes eum, qui ex Virgine est Emmanuel, privari munere ejus, quod est vita æterna. S. Augustinus lib. de correptione & gratiâ cap. 7. sic scribit: *Nemo liberatur à damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu-Christi. Ab hâc damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere non se audisse Evangelium Christi.* Sanctus Gregorius lib. 7. epist. 98. definit salutis nostræ fundamentum esse fidem in Christum Dei & hominis Filium. Denique Innocentius XI. tres propositiones sequentes

proscripsit : 1. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris.* 2. *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit,* 3. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantiâ mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini.* Circa quas propositiones sic pronuntiavit Clerus Gallicanus anno 1 ·00. *Hæ tres propositiones in Deum remuneratorem, & in Christi mediatoris nomen contumeliosæ sunt, erroneæ, & hæreticæ.*

Quæ cùm ita sint, quis dubitaverit Deum requisiturum sanguinem tot animatum, quæ in ignorantiâ pereunt, de manibus eorum, quorum curæ sunt traditæ; uti reverà tradidit illas patribus-familias & Pastoribus? Consolationem non admittunt parentes si unus ex liberis fortè sine baptismo decedat: Pastores quoque intimo doloris sensu percelluntur, & meritò, cùm è parochianis aliquis exit non percepto Pœnitentiæ sacramento; & nullam gerunt conscientiam, quòd plurimi è subditis sine hujus mysterii notitiâ moriantur, quorum tamen certior est damnatio, quàm eorum, qui necdum sacramentaliter reconciliati fato funguntur: in his namque sacramenti votum supplet Sacerdotis ministerium; in illis verò nihil supplere potest hujus mysterii notitiam. Hinc Apostolus I. ad Cor. 1. testatur se minùs sollicitum fuisse baptizare, quàm prædicare: *Non enim*, inquit, *misit me Christus baptizare, sed evangelizare.* Quid verò prædicaret, audi dicentem cap. 2. *Non ... judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum-Christum, & hunc crucifixum.* Ergo explorandа est fides eorum, qui ad sacramentum

Pœnitentiæ accedunt, ubi dubium esse debet, num sit satis explicita, ut validè absolvi possint.

Dices: Durior est illa doctrina, quæ à salute excludit innumeros homines, quales sunt plures idiotæ, & omnes infideles negativi, quos tamen Deus vult salvos fieri; & pro quibus Christus mortuus est. Annon in eis esset justa querela, se immeritò puniri propter ignorantiam, quam à se expellere non potuerunt.

R. 1°. Hujusmodi homines non addicuntur pœnis præcisè propter ignorantiam, quæ in illis peccatum non est, nisi materiale, utpote quæ supponatur invincibilis; sed propter peccata, quæ malâ voluntate contraxerunt. Attamen ignorantia illa justa est peccati originalis pœna, quæ nisi misericordiâ Dei solvatur, meritò excludit nondum justificatos à vitâ æternâ. 2°. Nihil durius habet nostra responsio, quàm doctrina Catholica de infantibus, qui in pœnam peccati originalis pereunt, si præfocentur antequam baptismus illis applicari potuerit. 3°. Deus, qui vult omnes homines salvos fieri, omnibus præparavit media, infantibus baptismum; adultis fidem in Christum, quibus possit, si non proximè, saltem remotè salutem consequi, ut dicetur, ubi de gratiâ sufficiente, tractatu sequenti.

Q. 2°. *Notitia mysterii Incarnationis fuit-ne etiam omnibus necessaria necessitate medii ante adventum Christi?*

R. Fuit: namque laudatos Scripturæ textus pro statu legis novæ sancti Patres extendunt ad omnes hominum status, *cujus hominis ejusdemque Dei saluberrimâ fide*, ait sanctus Augustinus epist. 102. olim. 49. *etiam illi justi salvi facti sunt, qui*

priusquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namque fides est & nostra & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurum, quod nos credimus factum, & c. 47. lib. 18. de Civit. Dei, de quibusdam Gentilibus, qui secundùm Deum vixêre, sic scribit, *quod nemini concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Quibus verbis declarat sanctus Doctor, non satis fuisse priscis temporibus generatim credere Deum providere saluti hominum, & esse bonorum remuneratorem, ut sentire videtur sanctus Thomas 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. Imò idem sanctus Augustinus lib. 2. Operis imperfecti num. 188. sic insectatur Pelagianos : *Agnoscimus haeresim vestram; definivit enim Pelagius, quòd non ex fide Christi antiqui vixerint justi.* Sanctus Leo serm. 63. confirmat eamdem sententiam his verbis : *Una fides justificat universorum temporum sanctos, & ad eamdem spem & fidem pertinet, quidquid per mediatorem Dei & hominum Jesum Christum vel nos confitemur factum, vel patres nostri adoravêre faciendum.*

Necesse tamen non fuit ad salutem, ut fides Incarnationis futuræ esset æquè explicita, ac nostra; colligiturque ex Apostolo Gal. 3. ubi sic loquitur : *Priùs autem quàm veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat.*

Ex his sequitur 1°. supposità Dei voluntate salvandi omnes homines, mysterium Incarnationis debuisse revelari statim post lapsum primorum parentùm, cùm sine ejus notitiâ Adamus & Eva nec educi à delicto potuerint, ut habetur Sap. 10. nec vitam æternam adipisci, quam tamen adeptos fuisse olim propugnavit

Ecclesia contra veteres Hæreticos. Porrò extat hujus mysterii revelatio Gen. 3. ubi Deus ad serpentem diaboli instrumentum conversus ait : *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius ; ipsa conteret caput tuum.* In Hebræo legitur, *ipsum*, nempe semen quod est Christus, conteret caput tuum, hoc est, vires & imperium ; & ita legerunt sancti Irenæus, Cyprianus, Hieronymus & alii.

Dixi, *post lapsum*, quia cùm primi Parentes justitiam originalem ex Christi meritis non hauserint, dubium esse potest an Christum venturum cognoverint. S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 7. affirmat cognovisse. *Ante statum peccati*, inquit, *homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundùm quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundùm quod ordinabatur ad liberationem à peccato per Passionem & Resurrectionem ; quia homo non fuit præscius peccati futuri.* Probatque hanc suam sententiam ex his Adami verbis Gen. 2. *Relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Quæ prophetice dicta de unione Christi cum Ecclesiâ scribit Apostolus Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ.* Sancto Thomæ consentiunt plures Theologi.

Sequitur 2°. eam Religionem seu Ecclesiam veram non fuisse, quæ Deum non coluit sub publicâ fide & expectatione Christi venturi.

Sequitur 3°. antiquos, quos Scriptura tanquam justos celebrat, mysterium Incarnationis non latuisse. Tales fuerunt Abel, Henoc, Noë, quo Apostolus Heb. 11. in catalogo Sanctorum commemorat : talis Abrahamus, cui disertè Christus promissus est Gen. 22. & 26. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ* : Talis Jacob, qui

Gen. 49. disertis verbis prædixit Christum venturum: *Non auferetur sceptrum de Jud ... . donec veniat qui mittendus est .... salutare tuum expectabo, Domine.* Talis Moyses, de quo Christus Joan. 5. *Si ... crederetis Moysi, crederetis forsitan*, id est, utique, *& mihi; de me enim scripsit ille.* Talis denique Judaïca gens, cujus omnes Prophetæ prænuntiarunt de adventu Justi, ut loquitur S. Stephanus Act. 7. & sacrificia & cæremoniæ illum adumbrarunt; *Finis enim legis Christus*, ait Apostolus, Rom. 10.

Negari non debet aliquos ex Gentibus extitisse, qui compertum habuerunt hoc mysterium; probatque Hugo Victorinus c. 8. de Incarnatione, ex illo Aggæi testimonio, c. 2. *Veniet desideratus cunctis gentibus*: quod sic expendit: *Non dicit desiderandus, sed desideratus, ut intelligat in omni gente aliquos aliquando ejus desiderio flagrasse.* Constans fuit in hâc sententiâ sanctus Augustinus; sic enim scribit l. 18. de Civitate Dei c. 47. *Non incongruè creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est.* Epist. 102. olim 49. *Cur non credamus etiam in cæteris hac illac gentibus fuisse, qui hujus sacramenti participes fuerunt?* De Jobo Idumæo, ex progenie Esaü filii Isaac, ut vulgò creditur, dubitare non licet: sic enim loquitur c. 19. *Scio .... quòd Redemptor meus vivit ... quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Idem sentiendum de Ninivitis ad Jonæ prædicationem plenè ad Deum conversis.

Ex Gentibus proferuntur libri Sibyllarum, quæ ita dictæ sunt, quasi divinorum secretorum consciæ, quia multa propheticè scripsisse feruntur, præsertim de Christo longè antequam nasceretur; ut constat vel ex profanis scriptoribus, putà Varrone, Cicerone, Vir-

gilio,& aliis,qui ante Christi nativitatem floruerunt, & libros illos laudaverunt. Quin & Suetonius refert Cæsarem Augustum tanti fecisse hujusmodi lucubrationes, ut eas ex omnibus mundi partibus colligendas Romamque afferendas præceperit, peritiorum examini subjecerit, rejectis quæ spuria videbantur, genuinè summâ cum religione servari curaverit. In his autem libris nativitas Christi ex virgine, passio & resurrectio tam clarè describuntur, ut non futurorum prophetia, sed rerum gestarum historia videatur. Unde antiquissimi Patres, ut sanctus Justinus, Athenagoras, sanctus Clemens Alexandrinus, & post eos Lactantius, Eusebius Cæsariensis, S. Hieronymus, S. Augustinus, & alii bene multi, Gentiles propriis eorum armis tam validè expugnabant, ut Imperatores, sub pœnâ capitis, illorum librorum lectionem prohibuerint: quod sanctus Justinus exprobrat in suâ apologiâ.

Verùm libris Sibyllinis multa fuisse addita & interpolata à quibusdam Christianis, idque inordinato zelo, quo fervebant pro Religione Christianâ, probant Critici, quibus assentiendum putamus, modò interpolationem non statuant factam prioribus seculis, &, ut nonnulli contendunt, superstitibus adhuc Apostolis: durum enim est fraudem per quatuor secula non fuisse detectam, & Patres, tam Græcos, quàm Latinos, armis mendacii pro veritate decertasse. Libros ergo Sibyllinos non habemus, quales habuêre S. Justinus, Athenagoras, &c. quando autem fuerint immutati, aliis examinandum relinquimus.

Q. 3°. *Potest ne dici de aliâ gente quàm Judaïcâ & Christianâ, quod diximus de quibusdam privatis Gentilibus, illam nimirum coluisse Deum*

sub publicâ expectatione mediatoris?

R. Non potest dici coluisse saltem diuturno tempore ab electione populi Judaïci.

Probatur 1°. ex Scripturâ, ubi Deus dicit sibi unum Israëlem delegisse, ceteras verò nationes dimisisse. Amos 3. *Tantummodo vos cognovi in omnibus cognationibus terræ.* Act. 14. *In præteritis generationibus dimisit* (Deus) *omnes gentes ingredi vias suas.* Psal. 95. *Omnes dii gentium dæmonia.* Eph. 2. *Eratis illo in tempore sine Christo . . . & sine Deo.* Osee 2. & Rom. 9. *Vocabo non plebem meam plebem meam, & non dilectam dilectam; & non misericordiam consecutam misericordiam consecutam.* Isaiæ 54. *Lauda sterilis quæ non paris . . . . quoniam multi filii desertæ quàm magis ejus quæ habet virum.* Hæc dicuntur de omnibus gentibus sine exceptione. De Israëlitis verò Rom. 9. *quorum est adoptio filiorum, & gloria, & testamentum, & promissio;* quia ex sancto Augustino lib. 18. de Civitate Dei cap. 47. *Populus reverà qui propriè Dei populus diceretur, nullus alius fuit: homines autem quosdam, non terrenâ, sed cœlesti societate ad veros Israëlitas supernæ cives patriæ pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse negare non possunt Judæi; quia si negant, facillimè convincuntur de sancto & mirabili viro Job.*

Dixi 1°. *diuturno tempore;* quia credibile est Ismaëlem & Madian ex Abrahamo progenitos, & Esaü ex Isaac, religionem paternam non tam citò reliquisse.

Dixi 2°. *ab electione populi Judaïci;* quia, ut observat S. Augustinus lib. 16. de Civitate Dei cap. 12. ab ædificatione turris Babel usque ad Abraham duæ civitates, nempe cœlestis, in quâ regnat charitas; & terrestris, cujus lex est cupiditas, inter se permixtæ sunt, quamvis etiam tunc verus Dei cultus visibilis permaneret, ut constat vel ex Melchisedeco, qui erat Sacerdos

Dei Altiſſimi, Gen. 14. illumque multi ſuſpicantur fuiſſe Sem primogenitum Noë,qui uſque ad Abrahæ tempora vitam protraxit, teſtis eorum,quæ audiverat tum à patre Noë tum ab avo Lamech, qui temporibus Adami floruerat, Gen. cap. 5. quis verò fuerit ſtatus veræ Religionis ante diluvium, colligitur ex capite ſexto Geneſeos, ubi diſtinguuntur Filii Dei à filiis hominum, id eſt, ex Seth progeniti veri Dei cultores, ſub fide & expectatione mediatoris viventes, & diſcreti à filiis Caïn ſocietatem terrenam conſtituentibus.

Q. 4°. *Angeli habuerunt-ne notitiam myſterii Incarnationis?*

R. 1°. Angelis beatis fuit revelatum; cùm enim ſint hominibus longè perſpicaciores, lumine ſupernaturali, quo perfunduntur, faciliùs quàm homines ſancti illud deprehendere potuerunt in Scripturis ſanctis; exclamarunt quidem Chriſto in cœlum aſcendente, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Pſal. 23. ſed illud eſt admirationis, non ignorantiæ, cùm in ejus nativitate facta fuerit multitudo Angelorum collaudantium, Luc. 2.

Dices: Scribit Apoſtolus, Epheſ. 3. myſterium Incarnationis fuiſſe abſconditum à ſeculis in Deo, & per Eccleſiam innotuiſſe Principatibus & Poteſtatibus in cœleſtibus multiformem ſapientiam Dei. Ergo.

R. 2°. Diſtinguo antecedens,abſconditum Gentibus & dæmonibus, Concedo: omnibus omnino tam Angelis quàm hominibus, ſubdiſtinguo: quoad aliquas circunſtantias & multiformem Dei ſapientiam, quæ eluxit in gentium converſione, Concedo: quoad ſubſtantiam, Nego antecedens: Nam prophetæ illud cognoverunt. *Abraham*, ait Chriſtus, *vidit diem meum, & gaviſus eſt.* Joan. 8.

R. 3°. Mysterium Incarnationis dæmonibus fuit ignotum; tum quia cognosci non potest sine supernaturali lumine, quod dæmonibus concessum credibile non est; tum quia ita docent omnes Patres.

Dices: dæmones Mysterium Incarnationis potuerunt colligere ex Scripturis. Ergo.

Nego antecedens: si enim plerique ex Judæis, etiam Sacerdotes & legis Doctores, justo Dei judicio, circa prophetias quæ erant de Christo, & miracula quæ patrabat, cæcutierunt: à fortiori dæmones circa supernaturalia magis excæcati.

Instabis; Marci 1. & Lucæ 4. legitur dæmones Christum proclamasse Filium Dei, Sanctum Dei: Ergo.

Distinguo antecedens: Filium Dei adoptivum & sanctum hominem, Concedo: filium Dei naturalem, Nego: nisi fortè conjecturaliter & dubitanter. Si enim illum Dominum gloriæ cognovissent, nunquam Judæos ad illum crucifigendum impulissent.

Urgebis: Angelorum lapsus contigit ex invidiâ in naturam humanam, quòd assumenda esset à Verbo: Ergo ante lapsum cognoverunt illud Mysterium.

Nego antecedens: Sententia enim illa nonnullorum Theologorum omni prorsus fundamento caret.



CAPUT III.

Utrùm solo lumine naturali demonstrari possit Mysterium Incarnationis esse possibile?

R. Demonstrari non potest positivè; potest verò negativè probari, saltem supposità revelatione.

Prima pars responsionis probatur, Illud dicitur positivè demonstrari, quod evidenter colligitur ex certis & indubitatis momentis, iisque intrinsecis; si enim res demonstranda nullam ex naturâ suâ habeat connexionem cum illis momentis, non erit vera demonstratio; quia evidentiam non pariet: v. g. ex eo quòd Deus dixerit Christum Dominum esse suum unigenitum, idque miraculis & propheciis confirmaverit, evidenter credibile est Christum esse Filium Dei incarnatum? sed mysterium ipsum nobis est inevidens, ac proinde non demonstratur, quia testimonium Dei est quid ipsi extrinsecum. Atqui nulla sunt momenta certa & indubitata ipsique mysterio intrinseca quibus evincatur ejus possibilitas vel existentia. Ergo.

Minor probatur 1°. Quia lumen naturale non potest attingere objectum supernaturale: atqui Mysterium Incarnationis est supernaturale. Ergo.

2°. Quia omnis demonstratio est vel à priori & per causam, vel à posteriori & per effectus: atqui neutro medio potest demonstrari Incarnatio. Non à priori; namque Incarnatio agnoscit suî causam voluntatem Dei liberam & ejus omnipotentiam: atqui ex neutro capite potest certò & evidenter colligi ejus exis-

tentia aut possibilitas. Non ex voluntate liberâ; quia causa libera non habet necessariam connexionem cum effectu libero, qualis est Incarnationis existentia, ut infrà dicetur. Neque etiam ex omnipotentiâ; quia etsi nobis evidenter notum sit Deum posse quidquid non implicat, ratio tamen naturalis non potest scrutari illud mysterium, utpote supernaturale, atque evidenter affirmare nihil in eo esse contradictorium. Minus probari potest à posteriori; quia nulli sunt effectus incarnationis naturaliter nobis noti, per quos ad ejus existentiam perveniamus.

Nec dicas Christum miraculis evidenter probasse se esse Filium Dei. Licèt enim miracula necessariam habeant connexionem cum omnipotentiâ divinâ; evidens tamen non est illum esse Deum, per quem Deus miracula operatur; Prophetæ enim & alii viri Sancti miracula ediderunt. Christus ergo suam divinitatem eatenus ex miraculis probavit, quatenus iis declaravit suum testimonium, quo se Deum asserebat, esse verum: certum enim & evidens est Deum non posse quidquam facere in confirmationem mendacii. Ergo miracula Christi sunt argumenta solùm extrinseca, quibus nobis evidenter constat credibile esse testimonium quo dixit se esse Deum.

Confirmatur nostra responsiò, tum ex Scripturâ asserente mysterium illud esse investigabile, & citra revelationem omnibus impervium, Matth. 16. *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* Ephes. 3. *Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo.*

Tum ex Sanctis Patribus. S. Chrysostomus, homil. 4. in Matth. invehitur in eos qui *ineffabilem illam generationem Dei hominis cogitationibus investigari putant.* S. Augustinus epist. 3. ad Volusianum, nunc verò 137. scribit: *Hîc si ratio quæritur non erit mirabile: si exemplum poscitur non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est, potentia facientis.*

Dices: Sancti Patres probant mysterii Incarnationis possibilitatem variis exemplis. 1°. Rami in arboribus trunco inserti: ita Theodoretus Dialogo *Inconfusus.* 2°. Ferri candentis, in quo ignis cum ipso ferro unum quid efficere videtur: sic Sanctus Basilius, *de humanâ Christi generatione.* 3°. Vocis, quæ est mentis cogitatio sono induta; sic ex S. Augustino, *lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 12. & 13.* Verbum quod erat apud Deum, jam carne velatum ad nostram notitiam pervenit. 4°. Animæ rationalis corpori unitæ, ut in symbolo, quod S. Athanasii dicitur. Ergo.

Distinguo antecedens: Probant utcunque & rudìter, tanquam mediis aptis ad juvandos rudiores, Concedo: probant efficaciter, Nego antecedens. Una enim est eorum vox mysterium illud esse lumini naturali inaccessum. Enimvero nemo non videt quanta sit disparitas inter mysterium Incarnationis & ea quæ in exemplum afferuntur. Ramus non est quid unum cum trunco nisi secundùm quantitatem; ignis est in ferro tantùm localiter; cogitatio in voce tanquam in signo. Anima rationalis est substantia incompleta essentialiter ordinata ad componendum cum corpore unum hominem. At Verbum & natura humana sunt duæ naturæ integræ, quæstio autem est utrùm duæ naturæ

completæ poſſint ſubſtantiali.er uniri. Quod ſi id conceditur de naturis creatis, continuò non eſt trahendum ad perſonam increatam; quia ſeclusâ revelatione talis unio non videretur poſſe fieri ſine mutatione utriuſque naturæ, quæ ſanè in divinam cadere nequit.

Secunda pars probatur. Tum exiſtentia aut poſſibilitas rei alicujus dicitur probari negativè, cùm diſſolvuntur cum aliquâ veri ſpecie, quæ contra objici poſſunt: atqui ſic diſſolvi poſſunt quæ opponuntur contra exiſtentiam & poſſibilitatem Incarnationis, ut patebit ex reſponſionibus ad objectiones ſequentes: Ergo.

Dices 1° Verbum non poteſt incarnari ſine ſuî mutatione. Ergo incarnatio repugnat.

Probatur antecedens: Qui ex non homine fit ſubſtantialiter & intrinſecè homo, ille profectò mutatur ſubſtantialiter & intrinſecè: atqui Deus, ſuppoſito hoc myſterio, ex non homine fit ſubſtantialiter & intrinſecè homo. Ergo Deus mutatur ſubſtantialiter & intrinſecè.

Nego antecedens: cujus confirmationis majorem diſtinguo. Qui ex non homine fit ſubſtantialiter homo, novam formam & perfectionem ſubſtantialem & intrinſecam acquirendo, quemadmodum limus, ex quo Deus formavit hominem, novam formam & perfectionem accepit; mutatur ſubſtantialiter & intrinſecè, Concedo: qui ex non terminante naturam humanam, fit homo de novo eam terminans, nec inde perfectior evadens, mutatur, Nego majorem.

Diſtinguo ſimiliter minorem. Deus ex non homine factus eſt ſubſtantialiter & intrinſecè homo terminando naturam humanam, & nihil prorſus perfectionis ab eâ accipiendo, Concedo: factus eſt homo accipiendo natu-

ram humanam tanquam formam suî perfectivam, Nego minorem. Cùm itaque dicitur Deus factus substantialiter & intrinsecè homo, sensus non est quòd natura humana ingrediatur substantiam divinam tanquam pars essentialis, aut substantialis eam componens: natura enim divina manet in Christo impermixta & simplicissima. Sed hujusmodi adverbiis significatur solummodo Verbum substantialiter uniri naturæ humanæ tanquam ejus suppositum & ejus terminus substantialis: refelliturque Nestorii error definiens in Christo duas esse personas moraliter tantùm & accidentaliter unitas, ita ut Deus humanitate indutus dicendus sit homo denominatione extrînsecâ, quemadmodum homo à veste, quam circumfert, extrinsecè denominatur vestitus.

Instabis: Non potest fieri nova denominatio sine novâ formâ adveniente: atqui Deus per hoc mysterium homo de novo nominatur: ergo necesse est ut accipiat naturam humanam tanquam novam formam. Nonnulli Theologi hoc argumento valdè torqueri videntur, quanquam levis sit admodum momenti.

Distinguo majorem. Sine novâ formâ, vel physicâ, vel metaphysicâ seu logicâ, quæ dicitur forma denominationis, Concedo: sine formâ physicâ & intrinsecè componente, Nego majorem; & concessâ minore distinguo similiter consequens. Necesse est ut accipiat naturam humanam tanquam formam metaphysicam seu logicam & denominationis, Concedo; tanquam formam physicam, Nego conseq. Sic homo denominatur materialis à materia, non tanquam à forma physica: materia siquidem in physicis opponitur formæ; sed tanquam à forma deno-

minationis & logica : in logicis enim quod prædicatur de alio, enuntiatur tanquam forma de subjecto.

Dices 2°. Illa non possunt inter se uniri, inter quæ est distantia infinita: atqui inter Verbum & naturam humanam est distantia infinita: Ergo.

Distinguo majorem sicut alibi, distantia infinita tum entitatis, tum habitudinis, Concedo: entitatis tantùm, Nego majorem.

Distinguo similiter minorem: inter Verbum & naturam humanam est distantia infinita entitatis, Concedo : unde natura humana non potest esse ejusdem entitatis cum Deo, utpote qui sit purus actus, increatus, & in omni genere perfectionis infinitus. Est distantia infinita habitudinis, qualis est inter unitivum & unibile, terminativum & terminabile, Nego minorem. Enimvero quemadmodum dicebamus, ubi de visione beatifica, licèt nulla sit proportio entitatis inter divinam essentiam & intellectum humanum, esse tamen proportionem habitudinis : nam essentia divina est intelligibilis, intellectus verò humanus est intellectivus; ideoque essentia divina potest illi uniri in ratione objecti. Sic Verbum divinum, cùm sit infinitè terminativum, potest uniri in ratione termini & suppositi naturæ humanæ, quæ est terminabilis.

Instabis: Habitudo illa utpote relatio, debet fundari in entitate: ergo ubi nulla est proportio entitatis, nulla quoque inest proportio habitudinis.

Nego absolutè antecedens: illa enim relatio habitudinis est essentialis & transcendens, ac proinde non præsupponit fundamentum; essentiale enim est quid primum in re. Nulla ra-

tio, nullumve fundamentum cur potentia visiva habitudinem habeat ad colores potiùs quàm ad odores & sapores. Hæc habitudo est ejus essentia & natura.

Dices 3°. Verbum est id, quo natura divina ultimò terminatur, & fit incommunicabilis alteri: ergo repugnat quòd sit id quod communicatur alteri, scilicet naturæ humanæ.

Distinguo antecedens: fit incommunicabilis alteri tanquam perfectivo & tanquam supposito seu personæ, Concedo: alteri nullatenus perfectivo, sed perfectibili, Nego antecedens: Equidem natura divina per Verbum ultimò completur in ratione subsistentis & personæ, ac proinde contradictorium est ipsam sic completam & ultimò terminatam ulteriùs perfici & compleri: sed convenientissimum est ipsam infinitè perfectam & completam aliam naturam perficere, eique substantialiter communicari mediante hypostasi.

Instabis: ex concessis Verbum divinum non unitur naturæ humanæ tanquam supposito, hoc est subsistenti subsistentiâ propriâ & humanâ: ergo Christus non est homo perfectus. Ille enim non est homo perfectus, qui non habet quæcunque pertinent ad naturam humanam: atqui Christus non habet quæcunque pertinent ad naturam humanam; caret enim subsistentiâ humanâ, quæ non est accidens, sed ultimum complementum substantiale. Ergo.

Nego consequens: cujus confirmationis majorem distinguo. Non est homo perfectus, qui non habet quæcunque pertinent ad naturam humanam tanquam partes essentiales aut integrales, Concedo: quæ pertinent tanquam modus

modus existendi tantùm, Nego majorem. Distinguo similiter minorem. Christus non habet quæcunque pertinent ad naturam humanam, id est, non habet modum, quo naturaliter existeret in se, si Verbo non esset unita, Concedo: natura enim humana Christi existit in alio, & quidem longè nobiliori modo. Non habet quæcunque pertinent ad naturam humanam tanquam partes ejus essentiales & integrales, ex quibus homo perfectus dicitur, Nego minorem. Solutio patet ex dictis primo capite.

Dices 4°. Verbum non distinguitur á naturâ divinâ, in quâ est quid unum cum Patre & Spiritu Sancto: ergo verbum non magis potest dici incarnatum, quàm Pater & Spiritus-Sanctus.

Distinguo antecedens. Non distinguitur realiter, Concedo: formaliter, Nego antecedens. Porrò sicut illa distinctio sufficit ex dictis ubi de Trinitate, ut Verbum dicatur generatum, non verò Pater; efficit quoque ut verè dicatur incarnatum, non verò Pater, aut Spiritus-Sanctus, qui tamen ambo sunt in Christo per circuminsessionem, ut ibidem diximus.

Atque hæc de Incarnationis possibilitate dicta sunt supposità Dei revelatione, quæ nobis ex indubitatis testimoniis constat. Cùm enim à facto ad posse valeat consecutio, ut loquuntur Philosophi; certò colligit ratio falsa esse, quæ contra possibilitatem mysterii peracti & revelati opponuntur; quamvis talem veri speciem præ se ferant, ut eis seclusâ revelatione assentiendum videretur. Quocirca præcipuum nostrum opus fuerit in hoc Tractatu firmissimis argumentis Incarnationis existentiam stabilire; hoc enim veluti cardine nituntur &

quæ hactenus diximus,& quæcunque deinceps dicturi sumus.

Triplicis autem generis hostes hujus mysterii existentiam impugnant : Gentilibus enim est stultitia, Judæis scandalum, I. ad Corinthios, cap. 1. & Hæreticis lapis offensionis. Contra tres illos cuneos non iisdem armis est decertandum; sed contra Gentiles, apud quos Scripturæ divinæ nullius sunt auctoritatis, producenda sunt motiva credibilitatis, ut aiunt. Contra Judæos contorquendæ sunt Veteris Testamenti prophetiæ, quas rejicere non possunt, sed vanis interpretationibus eludere conantur. Contra Hæreticos verò urgendi textus utriusque Testamenti quod suscipiunt, sed pro libidine interpretantur.

CAPUT IV.

Quomodò efficaciter probatur contra Gentiles mysterium Incarnationis fuisse impletum & quidem in Christo Domino ?

R. Probatur efficaciter illa duo, nempe mysterium Incarnationis esse impletum, & quidem in Christo Domino, ex motivis iisdem, quibus evidenter demonstramus Religionem Christianam esse veram, ac divinitus institutam. Namque illud mysterium est evidenter credibile, quod Religio evidenter vera credendum docet tanquam fundamentum totius suæ doctrinæ Quæ posteriora verba addiderim propter Novatores, qui contra omnium veterum fidem contendunt veram Ecclesiam posse errare in levioribus, non verò præcipuis articulis, quos fundamentales vocant : atqui Reli-

gio Christiana evidenter vera est, docetque imprimis credendum mysterium Incarnationis fuisse in Christo Domino impletum. Ergo.

Major est evidens, nec ullus etiam Gentilis aut infidelis negaverit credendum quod est præcipuum fundamentum Religionis evidenter à Deo institutæ, ut ignorantes erudiat, errantes revocet, & omnes in legitimo Dei veri cultu colligat.

Minorem verò pernegant soli infideles, quoad primam partem. Nec morari nos debet, quòd unus aut alter è Catholicis his aliquatenus assentiri visi sint hâc suâ propositione: *Religio Christiana non est evidenter vera.... hinc infer evidens non esse, 1°. quòd existat nunc & in terris aliqua vera Religio: 2°. quòd omnium quæ in terrâ sunt, veræ simillima sit Christiana: 3°. quòd Apostolis manifesta fuerit divinitas Christi: 4°. quòd afflante Deo fusa sint Prophetarum oracula: quid enim mihi opponas, si vel negem fuisse vera vaticinia, vel affirmem fuisse conjecturas: 5°. quòd vera fuerint, quæ à Christo edita fuisse commemorantur miracula.* Hanc enim propositionem exhorruerunt Catholici, & Clerus Gallicanus anno 1700. gravissimâ censurâ notavit his verbis: *Doctrina hâc propositione contenta impia est, blasphema, erronea, & inimicis Christianæ Religionis favet.* Præiverat Innocentius XI. anno 1679. cùm damnavit uti scandalosam sequentem propositionem: *Assensus fidei supernaturalis & utilis ad salutem, stat cum notitiâ solùm probabili revelationis, imò cum formidine, quâ quis formidet, ne non sit locutus Deus.* Cui definitioni subscripsit idem Clerus Gallicanus anno 1700. in hæc verba: *Hæc propositio scandalosa est, perniciosa, Apostolicæ fidei definitionem evertens.* Solos igitur Gentiles & Infideles hîc adversarios

patimur, qui sanè ejusdem nobiscum essent sententiæ, si præconceptum, quo in Religionem Christianam flagrant, odium deponerent, & liberâ mente examinarent quæ hîc subjicimus momenta; *cùm omnes qui retro oderant*, inquit Tertullianus Apolog. cap. 1. *quia ignorabant quale esset quod oderant, simul ut desinunt ignorare, cessent & odisse. Ex his fiunt Christiani utique de comperto, & incipiunt odisse quod fuerant, & profiteri quod oderant.* De obstinatis verò subdit: *Malunt nescire, quia jam oderunt, adeo quod nesciunt, præjudicant id esse, quod si sciant, odisse non poterant.*

Primum itaque momentum ducitur ex Prophetiis: namque *idoneum testimonium veritatis*, inquit Tertullianus apolog. 20. *est veritas divinationis.* Hocce testimonio Deus probat se solum verum esse Deum, quòd solus prænuntiaverit, quæ in Christo futuræ erant, passiones & posteriores glorias, ut loquitur sanctus Petrus epist. I. c. 1. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis.... Suscitavi ab aquilone, & veniet ab ortu solis; vocabit nomen meum*, &c. Is. 41. Dæmones quidem præscire possunt & prædicere futura, quæ ex naturali rerum ordine & dispositione necessariò sequuntur, ut eclipses, anni tempestates, &c. Quanquam & in iis facilè decipiantur, cùm Deus aliquando rerum naturalium ordinem immutet: nam Josue 10. v. 13. steterunt Sol & Luna in medio Cœli, lib. 4. Regum cap. 20. v. 11. retrogressus est sol decem lineis; & in Passione Christi Domini, sine concursu causarum secundarum, Sol eclipsim passus est per tres horas, scilicet à sextâ ad nonam. Matth. 27. v. 45. Conjiciunt etiam tum ex suâ malâ nocendi voluntate, tum ex dispositionibus

causarum liberarum, quæ contingenter futura sunt; sed quia potestatem nocendi habere non possunt, nisi à Deo, qui ut plurimum eam denegat, & causæ liberæ divinâ ope impellentibus cupiditatibus obsistunt, de iis dæmones certa vaticinia edere non valent. Unde oracula eorum sunt semper ambigua, & in utramque partem converti possunt; ut advertit Cicero, & alii Gentiles, patetque ex illo oraculo, *Aio te Æacida Romanos vincere posse.* Quæ enim sita sunt extra naturalem causarum secundarum ordinem, ut secretæ cordium actiones inde emanantes propriâ inclinatione reluctante; à fortiori quæ ex liberis Dei decretis pendent, exceduntque rerum naturalium ordinem & dispositionem, ut miracula, solus naturæ auctor, qui ea ab æterno decrevit, & in tempore perficit, præscire & prænuntiare potest. Atqui Incarnatio, & quæ spectant vitæ Christi œconomiam; nativitas, passio, vel resurrectio, ascensio in cœlum, Spiritûs-Sancti missio, Religionis Christianæ institutio, propagatio, & gentium conversio, Judæorum rejectio; hæc & alia sanè ex naturali causarum secundarum dispositione non oriuntur, à pluribus Prophetis tam variè, dilucidè, & luculenter prædicta sunt, ut non vaticinia, sed rerum gestarum historiæ videantur; & ita Porphyrius, infensus Religionis Christianæ hostis, librum Danielis calumniari sit ausus, teste Sancto Hieronymo, Proœmio in Danielem: *Cujus impugnatio*, inquit, *testimonium veritatis est: tanta enim dictorum fides fuit, ut Propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed narrasse præterita.* Sed ad exsufflandam calumniam tam incautè concinnatam, non ex scriniis no-

stris proferimus libros, sed ex adversariorum nostrorum manibus. *Per omnes gentes*, ait sanctus Augustinus in Psal. 58. concione primâ, *dispersi sunt Judæi testes iniquitatis suæ & veritatis nostræ . . . Si quando aliquis Paganus dubitaverit, cùm ei dixerimus prophetias de Christo, quarum evidentiam obstupescit, & admirans putaverit à nobis esse conscriptas, de Codicibus Judæorum probamus; quia hoc totum antè prædictum est. Videte quemadmodum de inimicis nostris alios confundimus inimicos.*

Hoc Prophetarum testimonio tam indubitato, & capite sequenti contra Judæos proferendo, sanctus Justinus ex Philosopho Christianus factus est, ut ipse testatur in Dialogo cum Triphone, Origenes quoque tanti fecit illud argumentum, ut libro primo contra Celsum asseruerit omnium quæ ad Christi fidem adstruendam adhiberi possunt, argumentum maximum hoc esse, quòd prædictus sit à Prophetis, qui apud Judæos fuerunt.

Dices: Mens humana reluctari non potest rerum evidentiæ: atqui Judæi & Gentiles reluctantur testimonio Prophetarum: ergo illud testimonium non est evidenter verum.

Confirmatur. Fides est actus liber: ex consensu omnium Catholicorum: atqui si niteretur motivis evidenter veris, non esset actus liber, sed necessarius: ergo nullum motivum credibilitatis, ut aiunt, est evidenter verum.

Distinguo majorem. Mens humana non potest reluctari rerum evidentiæ, si ita attendat, ut eâ afficiatur, Concedo: secus, Nego majorem. Quot litigantes, v. g. propugnant causas evidenter injustas, non ipsis, quia præoccupati sunt, sed judicibus, qui eas sanâ & liberâ mente examinant? Sic se habent Genti-

les Judæi ad Religionis Christianæ mysteria : vel enim præ superbiâ erubescunt vici à Christianis,& confiteri tam se, quàm parentes, fuisse deceptos, vel propter appetitum terrenæ felicitatis,dona spiritualia & cœlestia, quæ unicè promittuntur in Religione Christianâ,velut parvuli lactentes rejiciunt.

Ad confirmationem concessâ majore, nego minorem. Non enim res aliqua actu creditur eo ipso, quo judicatur credibilis, ut patet experientiâ Catholicorum, qui non eliciunt actus fidei, quoties examinant testimonia, quibus nititur Religio nostra, & concludunt ea esse evidenter vera. Et ratio est, quia quantumcunque testimonium sit evidens, mysterium tamen, quod per illud declaratur, semper in se manet inevidens. Unde ad credendum actu necesse est, ut post judicium de mysterii credibilitate, sequatur aliud judicium practicum & quidem supernaturale, (cùm præcedens potuerit esse naturale.) quo intellectus definiat hîc & nunc esse credendum; deinde pia affectio etiam supernaturalis in voluntate, quâ demum intellectus determinetur ad eliciendum ipsum actum fidei supernaturalem; quæ probant minùs esse disputandum cum infidelibus & obstinatis, quàm pro iis orandum; quia etsi rationum pondere naturaliter convinci possint, tamen sine gratiâ absolutè necessariâ ad tres supremos actus, persuaderi & converti non possunt.

Secundum momentum petitur ex miraculis, quæ facta sunt in confirmationem Christianæ Religionis. Ad miraculum autem duo requiruntur : primum, ut sit opus rarum, & præter consuetudinem naturæ ordinem: secundum, ut superet naturæ vires, & ab eo solo, qui

ſupra naturam eſt, procedat. Hinc creatio animæ rationalis non eſt miraculum, quamvis ſit ſupra naturæ virtutem; quia ſecundùm ordinem naturis à Deo præfixum creatur. Sic ſupernaturalis iuſtificatio impii ſecundùm præſcriptam Dei legem, miraculum propriè non dicitur; diceretur verò, ſi ſubito frangerentur obſtacula malæ voluntatis, ut contigit in Apoſtolo Paulo, Act. 9. & ſperant peccatores impœnitentes futurum ſibi in vitæ extremis; quia eſſet opus rarum præter conſuetum gratiæ ordinem, & excedens naturæ vires. Mira, de quibus S. Auguſtinus lib. 21. de Civitate Dei, cap. 4. 5. & 8. ſunt ea, quorum cauſæ latent, v. g. quòd fons in Epiro extinctas faces accendat, & accenſas extinguat; ſed miracula non ſunt, quia horum rationes, inquit Sanctus Doctor, rebus creatis inditæ & concreatæ fuerunt; quæ, quia dæmonibus non ſunt occultæ, quemadmodum hominibus, ideò mira & ſtupenda plerumque faciunt, ſive per ſe, ſive per Magos.

Verum itaque miraculum eſt opus non modò mirum, ſed etiam divinum; quia licèt perficiatur per creaturam Deo ſervientem, ſive pecus ſit, an aſina Balaam, quæ locuta eſt ad commonendum veſanum Prophetam, Num. 22. ſive homo, aliquando etiam peccator, ut Judas Matth. 10. Caïphas Joan. 11. & 2. de quibus Chriſtus Matth. 7. tamen ab eo eſt, qui habet in ſeipſo abſconditas quorumdam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, illaſque implet ut voluerit. Ita ferè S. Auguſtinus lib. 9. de Gen. ad lit. c. 17. & 18.

Porrò ex hujuſmodi explicatione manifeſtum eſt miraculum fieri non poſſe in erroris confirmationem: namque evidenter conſtat &

miraculum esse opus Dei, & Deum testimonium falsum dicere non posse. Unde sic conficitur argumentum : Illa Religio infallibiliter est vera, & Deum habet auctorem, ad quam stabiliendam & propagandam innumera edita sunt miracula : atqui talis est Religio Christiana : ergo. Major evidens est, & à nemine potest negari.

Minor probatur ex Apostolorum scriptis, in quibus tam patentia & tam multiplicia referuntur miracula, ut ne Judæi quidem repetitis examinibus inficiari potuerint. *Quid facimus*, inquiunt Pharisæi, & Sacerdotum principes infensissimi Christi hostes, *quia hic homo multa signa facit?* Joan. 11. Et de claudo per Sanctum Petrum curato, Act. 3. sic inter se colloquuntur cap. 4. *Quid facimus hominibus istis, quoniam quidem notum signum factum est per eos.... manifestum est, & non possumus negare?* Illud insuper movere debet infideles, quòd Christus, tanquam naturæ Auctor & Dominus, Apostolis contulerit omnimodam potestatem operandi miracula, Matth. 10. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* Hæc dixit, & facta sunt : nam Apostoli post ejus mortem & resurrectionem mundum miraculis impleverunt, ut liquet tum ex Actibus, ubi vel ipsa Petri umbra sanabat infirmos, cap. 5. ut verbum Domini impleretur. *Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*, Joan. 14. Nam, ut advertit sanctus Augustinus, non legimus umbram Christi talia fuisse operatam. Tum ex Epistolis Apostolorum : namque in primâ ad Corinthios legimus tam multiplicia & tam communia fuisse apud fideles miracula, ut necessum fuerit Apostolo præscribere quo ordine quif-

que uteretur potestate sibi divinitus concessâ; ne turbaretur societas. Quin & Apostoli potestatem à Christo acceptam successoribus suis transmiserunt, quâ verbum Evangelii recèns seminatum irrigarent donec cresceret, & universum orbem impleret. Sufficit sanctum Irenæum testem proferre, qui secundo seculo scripsit quod in omnium oculis erat positum. *In fraternitate*, inquit l. 2. c. 57. & 58. *sæpissimè.... reversus est spiritus mortuo, & donatus est homo orationibus Sanctorum... Alii dæmones excludunt: alii autem & præscientiam habent futurorum: alii laborantes aliquâ infirmitate per manûs impositionem curant, & sanos restituunt. Jam etiam, ut diximus, & mortui resurrexerunt, & perseveraverunt nobiscum annis multis. Quid autem? non est numerum dicere gratiarum, quas per universum mundum Ecclesia à Deo accipiens in nomine Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pilato, per singulos dies in opitulationem gentium perficit.* Hæc contra Hæreticos scripsit beatus Martyr; indeque concludit eos non esse verè Christianos, quòd talia perficere nequeant. *Hæretici*, inquit, *non possunt cæcis donare visum .... neque omnes dæmones effugare, præter eos, qui ab ipsis immittuntur.* Et hoc modo ipsi dæmones, & Magi eorum nomine liberant, quos torquere cessant, ut advertunt sancti Patres. Tertium seculum miraculis non caruit, ut constat ex Scriptoribus qui in illo floruerunt, Tertulliano, sancto Cypriano, & aliis; quamvis minùs frequentia fuerint, quàm primo & secundo; quia Religio Christiana jam radicata non indigebat tam continuis irrigationibus. Quarto verò seculo, quo imperante Constantino & successoribus Imperatoribus Christianis extincta est tyrannorum persecutio, subversa idolorum templa & Ecclesia stabilita ac

roborata, longè latèque diffusa est, nova miracula non fuêre ampliùs necessaria, sive ad continendos fideles, sive ad revincendos Hæreticos, sive ad subigendas gentes, quæ Christo nondum crediderant; cùm innumera miracula primò edita in gratiam Religionis Christianæ, eam pariter demonstrarent divinam & prioribus & posterioribus seculis; quanquam nec defuisse miracula quarto seculo & subsequentibus testantur indubitata monimenta, historia Eusebii, Socratis, Sozomeni, Victoris Uticensis de persecutione Vandalicâ, scripta sanctorum Patrum, ut Augustini lib. 22. de Civ. Dei c. 8. & seq. de reliquiis sancti Stephani. Denique nulla est ætas, in quâ viri sanctitate insignes miraculis non claruerint. Horum fidem faciunt non solùm qui scripserunt eorum historias, ut Severus Sulpitius Sancti Martini, Godefridus Sancti Bernardi, & innumeri alii; sed & rigidum examen, cui subjecta sunt priusquam eorum Auctores in Sanctorum album referrentur.

Dices 1°. Scripta Apostolorum nullam habent auctoritatem apud Gentiles: ergo ex iis persuaderi non possunt.

Distinguo antecedens. Nullam habent auctoritatem, sed merentur habere, Concedo: non merentur habere, quemadmodum libri quorumdam Ethnicorum & Hæreticorum, in quibus narrantur remotiora & occulta, quæ meritò fabulosa videri possunt, Nego antecedens. Namque scripserunt Apostoli res in conspectu omnium gestas, non solùm eo tempore, sed in iisdem locis, ubi gestas fuisse referunt, Nunquam autem in mentem venerit quod evidenter repugnat, nimirum Apostolos cum Judæis conviventes scripsisse ipsos eosdem Ju-

dæos vidiſſe cæcos illuminatos, mortuos ſuſcitatos, & civitates ſuas multitudine prodigiorum Chriſti & ejus diſcipulorum commotas. Denique ſicut nullus Gentilis in dubium revocaverit Chriſtum extitiſſe, diſcipulos collegiſſe, tandemque à Judæis fuiſſe crucifixum; ſic negare non poteſt ipſum per ſe & per diſcipulos innumera ediſſe miracula; ea enim omnia pariter credibilia ſunt, quia æquè palam geſta, ab iiſdem auctoribus conſcripta, eodem tempore & ubi peracta fuiſſe referuntur. Quid infideles objicere poſſunt contra primam Pauli epiſtolam ad Corinthios, in quâ 1°. reprehendit eorum inordinatam æmulationem pro dono linguarum; deinde præſcribit quo ordine quiſque uti debeat Chriſmatibus? an no Gentilis, vel ex illâ epiſtolâ fateri cogetur Eccleſiam Corinthiorum miraculis coruſcaſſe? Confirmatur: nec ipſi Judæi diffitebantur Chriſtum miracula fuiſſe operatum, ex Tertulliani libro contra Judæos cap. 9. nec Romani, quia ea in publicos Commentarios retulerunt ex ſancto Juſtino apologiâ ſecundâ ad Imperatores. Quin & ſanctus Hieronymus, & ante eum Euſebius, in Chronicis proferunt teſtimonia Ethnicorum de terræ motu & defectu Solis in morte Chriſti. Sic enim Phlegon de iis ſcribit: *Quarto autem anno 202. Olympiadis, qui fuit Principatûs Tiberii decimus-octavus, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis eſt facta; dies horâ ſextâ ita in tenebroſam noctem verſus, ut ſtellæ cœlo viſæ ſint, terræque motus in Bythiniâ Nicænæ urbis multas ædes ſubvertit.* Porrò defectio illa nec ab Aſtrologis prævifa, nec prævideri potuit, cùm tunc temporis Luna utpote plena in Judæorum Paſchate, non extaret media inter ſolem & terram.

Instabis: Gentilis suspicari potest illa Apostolorum scripta esse supposititia, & à Christianis exarata post Apostolorum tempora.

Contra, 1°. viventibus Apostolis evulgata fuisse constat 1°. ex c. 3. II. Petri, ubi Apostolus laudat sancti Pauli epistolas, scribitque tunc fuisse in manibus etiam indoctorum. 2°. Discipuli Apostolorum, ut sancti Clemens, Ignatius, & Polycarpus superstitibus Magistris testimonia ex eorum scriptis depromunt ad erudiendos Fideles. 3°. Sanctus Irenæus, auditor sancti Polycarpi, & ejus contemporaneus, sanctus Justinus Hæreticos ex scriptis Apostolorum revincunt; idipsum præstant Patres, qui eos proximè excipiunt, ut Origenes & Tertullianus; hic lib. 1. contra Marcionem c. 1. objicit Hæretico quòd *Evangelia corroserit*, hoc est, mutilaverit.

Dices 2°. Ex S. Augustino lib. de unitate fidei, Ecclesia non probatur ex miraculis; sic enim scribit: *Quæcunque talia in Catholicâ fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholicâ fiunt; non ideo ipsa Ecclesia manifestatur, quia miracula in eâ fiunt.* Ergo miracula non sunt evidentia veræ Religionis testimonia.

Confirmatur: Ex dictis verum miraculum est res mira, quamvis omnis res mira non sit verum miraculum: atqui res mira dicitur ea, cujus causa latet: ergo veri miraculi causa latet, ac proinde non possumus deprehendere an illud opus admiratione dignum, sit effectus solius omnipotentiæ divinæ, an artis magicæ, ut signa à Magis Pharaonis in Ægypto dita, Simonis Magi apud Samaritanos, Antichristi futura; an alicujus virtutis seminalis creaturis inditæ & congenitæ, quæ movetur vel ex concursu quarumdam circunstantiarum,

vel ope Angeli, sive boni, sive mali. Hinc omnes sectæ jactitant sua miracula, ut Mahumetani, Hæretici apud sanctum Augustinum, citato capite 16. de unitate Ecclesiæ. Philosophi quoque opponunt Apostolis Apolonium Thyanæum, qui sub Domitiano Imperatore futura prædixit, & mira fecit. Et Gentiles ex suis Scriptoribus proferunt plura miracula, quæ sanctus Augustinus recenset libro 10. de Civitate Dei cap. 16. Celebre est quod Suetonius narrat de Imperatore Vespasiano, qui sputo cæcum curavit. Ergo miracula sunt signa admodum æquivoca.

Distinguo antecedens. Ecclesia non probatur miraculis dubiis, de quibus Donatistæ, (contra quos agit) in commendationem suæ sectæ gloriabantur, Concedo: miraculis indubitatis, quibus Religio Christiana sibi auctoritatem conciliavit, Nego antecedens: nam totus est sanctus Doctor cap. 8. lib. 12. de Civit. Dei, ut ostendat miracula necessaria fuisse priusquam mundus in Christum crederet, alioquin, *Unde*, inquit, *tantâ fide Christus usquequaque cantatur in cœlum cum carne sublatus? unde temporibus eruditis.... sine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus?* Addit miracula nunc non esse necessaria, quamvis in Ecclesiâ Catholicâ multa fiant, quæ enumerat.

Ad confirmationem respondeo 1°. Certissimum est resurrectionem mortuorum non posse esse nisi à Deo: atqui Christus non unum aut alterum occultè suscitavit, sed plures palàm & publicè: tres insignes expresse notant Evangelistæ; sed plures alios prætermisisse colligitur tum ex c. 11. Matth. ubi Christus Joanni Baptistæ per nuntios interroganti an ipse esset

Messias, respondet: *Renuntiate quæ vidistis; cæci vident.... mortui resurgunt.* Tum ex cap. 21. Joan. *Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Sed illud stupendum magis, in quo se naturæ auctorem probavit, scilicet quòd Discipulis contulerit potestatem suscitandi mortuos: *Infirmos*, inquit Matthæi 10. *curate, mortuos suscitate.* Quàm frequenter autem Discipuli etiam post Ascensionem, & eorum successores, usi sint hâc potestate, liquet tum ex libro Actuum Apostolorum, tum ex laudato testimonio sancti Irenæi.

Respondeo 2°. innumera illa miracula, quorum causa est minùs patens, quàm resurrectionis mortuorum, nec casui, nec rationibus seminalibus naturæ inditis, nec malis dæmonum artibus tribui possunt.

Non casui; quia id casu contingere dicitur, quod sine consilio & præter intentionem operantis evenit; unde sic argumentari licet: Illa casu non fiunt, quæ certò obveniunt mediis ad ea producenda institutis, & consultò adhibitis: v. g. inflammatio stupæ non est casualis & fortuita respectu illius, qui de industriâ ignem admovit stupæ: atqui primis Ecclesiæ seculis miraculorum dona certò obveniebant iis, qui consultò & cum pietate Religionis Sacramenta suscipiebant. Ergo.

Non rationibus seminalibus & occultis naturæ inditis tribui possunt illa miracula, quia fideles & infideles, boni & mali ejusdem erant naturæ, eodem simul utebantur cœlo & aëre, in iisdem prorsus versabantur circumstantiis loci & temporis. Cur ergo non indiscriminatim commovebantur illæ rationes seminales? cur

Religione Christianâ initiati duntaxat signa illa operabantur, & hisce temporibus hi soli, qui eximiâ sanctitate præfulgent? nullus non videt, nisi mentis oculos clauserit, veram & unicam tot miraculorum causam fuisse fidem in Christum, & Sacramentorum ejus perceptionem, quemadmodum ipse prædixerat Marci ultimo: *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis*, &c.

Multò minùs hujusmodi miracula tribui possunt malis dæmonis artibus; 1°. quia qui miracula illa minùs perspicua in commendationem Religionis Christianæ ediderunt, ii ipsi & in eundem finem mortuos suscitarunt virtute evidenter divinâ, ut jam ostendimus. Quis autem dicere audeat Satanam per eosdem homines innumera signa operatum fuisse in testimonium illius Religionis, quam Deus mortuorum resurrectione veram comprobabat: 2°. quia his miraculis regnum Satanæ subversum est, idola contrita, templa destructa, oracula explosa, & æterno silentio damnata; & signorum falsitas, quibus dæmones Gentilibus illudebant, iis, qui attendere voluerint, detecta. 3°. Ex indubitatis testimoniis & experientiis, quibus constat providentiam divinam invigilare rebus humanis, certò colligimus Deum nunquam permittere dæmones ita grassari, ut omnes etiam electi necessariò seducantur; sed semper suppetere aliqua media, quibus error caveri possit. Patuit Pharaoni & cunctis Ægyptiis signa Magorum fuisse meras præstigias, Exodi 8. Viderunt Samaritani se à Simone Mago fuisse delusos, quod & ipse visus est confiteri, Act. 8 Infelix Antichristi exitus demonstrabit prodigiorum ejus vanitatem,

quam & præsentire debent fideles à Christo Domino præmoniti, Matth. 24. ubi & aliorum Pseudoprophetarum seu Hæreticorum falsa signa prædicuntur, ne illis attendant ejus discipuli.

Quod spectat Ethnicorum & Philosophorum miracula, fortè non sunt facta quæ de iis leguntur; non enim per idoneos testes fuêre comprobata. Sed verè facta fuerint, si examini subjiciantur, facile erit deprehendere dæmonum artibus fuisse edita, tum quia pugnant contra veritatem manifestam, tum quia non excedunt naturæ saltem Angelicæ vires. Tacitus, *lib.* 4. refert de cæco à Vespasiano illuminato, consultos Medicos respondisse vim luminis in eo non fuisse exesam, potuisseque sanari sublatis obstaculis. Prædixit Apollonius quod dæmon erat facturus, nempe Domitianum mitiorem erga se futurum. Fecit ipse, fecerunt & alii, quod potest dæmon, si Deus potentiam ejus non liget; denique si opus omnem vim creatam superet, ut conversio subitanea virgæ aridæ in serpentem vivum, fascinat intuentium oculos, ne percipiant virgam subductam, & serpentes in ejus locum aliunde adductos. Sed fascinatio & delusio nec diuturna nec universalis esse potest, Deo ita providente, ne universum genûs humanum seducatur; unde nec illæ præstigiæ frequentes sunt, permittunturque solùm in vindictam quorumdam impiorum hominum, qui ut timorem Dei à se expellunt, facilè hujusmodi fallaciis incauti decipiuntur, ita ut ab errore revocari possint, si vellent. Nam quemadmodum virga Mosis in serpentem versa, Magorum virgas devoravit: sic miracula Christi & Discipulorum ejus, magicas Philosophorum & Gen-

tilium artes traduxerunt. Tribus præsertim seculis fuerunt ubique frequentissima, totum orbem impleverunt, & usque ad nostram ætatem, sicut nunquam defuêre viri eximiâ sanctitate conspicui; sic nec desiit divinæ virtutis operatio in ostensione signorum & prodigiorum. Addo, si in hypothesi impossibili tot & tanta signa præstigiæ & dæmonium ludibria fuerunt, error prudenter caveri non potuit; quia nulla ratio, nullus prætextus de iis quidquam sinistri suspicandi. Imò nec viderentur Deo suppetere media saltem externa, quibus humanum genus deceptum in aliud Evangelium transferret. Quid enim ampliùs facturus esset ad destruendam meritorum Christi fidem? Sed demus Deum plus posse quàm cogitare possumus, certè homines per septemdecim secula signorum evidentiâ delusi in posterioribus deceptionem prudenter suspicari deberent. Liceat ergo fidenter dicere cum Richardo à S. Victore lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Quæ revelata sunt nobis cœlitùs, tam multis, tam magnis, tam miris prodigiis confirmata sunt, ut genus videatur dementiæ in his vel aliquantulum dubitare. Utinam animadverterent Judæi: utinam adverterent Pagani, cum quantâ conscientiæ securitate pro hâc parte ad divinum judicium poterimus accedere. Nonne enim omni confidentiâ dicere poterimus: Domine, si error est, à te decepti sumus Ista enim sunt nobis tantis signis & prodigiis confirmata, & talibus quæ nonnisi per te fieri potuerint.*

Tertium momentum sumitur ex mirabili Christianæ Religionis propagatione, de quâ sic scribit sanctus Augustinus lib. 22. de Civitate Dei cap. 5. *Si per Apostolos Christi, ut eis crederetur, Resurrectionem atque Ascensionem prædicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse non*

credunt (Gentiles) *hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quòd ea terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.* Enimverò ubi nihil est humanum, totum est divinum : atqui in propagatione Religionis Christianæ nihil fuit humanum, quod unicuique perspicuum fiet, si duo attendat ; primum, quæ fuerit suscepti operis difficultas ; secundum, quæ electio mediorum, quibus tam arduum opus brevi tempore peractum est. 1°. Itaque immutandi non unius gentis, sed omnium gentium mores, quod quàm difficile sit expertus est divinus ille Plato, qui ideo in periculum venit, quòd vel tentasset. 2°. Eradicanda erat ubique Religio, quæ à pluribus seculis altas radices jecerat in animis, sive sapientium, sive insipientium : hâc de causâ magnus Socrates cicutam bibit, & præconceptum opus inauspicatum reliquit. Sed quod longè difficillimum, & prorsus impossibile videri poterat, nova inserenda erat Religio Judæis scandalum, Gentibus stultitia tum propter incredibilia quæ docet, v. g. Deum unum esse in tribus personis ; Deum factum hominem, & crucifixum : tum ob præcepta, quibus indicitur abnegatio sui ipsius, & contemptus rerum temporalium. En perficiendum opus : ineant propterea sapientes consilium, & non fiet : jungant vires Principes terræ, copiosaque instruant agmina, & nihil proficient. Quare rejectis his omnibus humanis subsidiis, Christus ipse, secundùm hominum existimationem, abjectus, Fabri filius, à Principibus suis damnatus ut impius, tandemque crucifixus, eligit quæ stulta sunt mundi & contemptibilia, I. Cor. 1. Apostolos numero duodecim, homines viles, idiotas, piscatores, crassi & tardi ingenii, ut ex Evan-

gelio liquet, & quod caput est, meticulosos, qui eum in periculo turpiter deseruerant metu mortis; non eos præmiis allicit, nec falsâ spe deludit; sed præmonet odio futuros omnibus hominibus, flagellandos, & morte afficiendos: nihilominus pauci & viles illi homines, contra omnem spem, & ut sapientiæ humanæ videbatur, temerè & insipienter opus aggrediuntur, totum lustrant orbem, & tanquam luminaria cœli, ubique tenebras erroris expellunt, Evangelii lumen spargunt, Philosophos in suam sententiam trahunt, licèt idiotæ; Oratores movent & persuadent, licèt rudes piscatores; nobiles, etiam Senatores, & viri Consulares, amore crucifixi non solùm affectum, sed & usum divitiarum suarum abdicant, ut impleatur, inquit sanctus Augustinus, quod prædixerat Christus, discipulos suos majora facturos, quàm ipse fecerat. Namque juvenem divitem ipse non adduxit, ut venditis omnibus, quæ habebat, & in pauperes erogatis, ipsum sequeretur; cùm idipsum innumeri, tum in Judæâ, ut constat ex libro Actuum; tum in Imperio Romano, in aulâ etiam Imperatorum, & ubique facilè præstiterint. Hîc cum Prophetâ exclamare liceat, Nunquid mulier unâ die concipiet & pariet? nam sparso Evangelii semine, subitò mundus ex idololatrâ factus est Christianus. Vident Reges & fremunt, sed homines naturâ timidi, virtute Crucifixi minas eorum spernunt, rident nec rebellant, cùm præ multitudine jam possent; omnis sexus & ætas, teneræ puellulæ crudelia & hactenus inaudita gaudentes perferunt tormenta, omnes orbis partes madent eorum sanguine, ex quo, tanquam ex fœcundo semine, Christiani multiplicantur, nedum imminuantur, &

ampliſſima ſeges exuberat, quin & ipſi lupi (Imperatores dico) carnibus agnorum jam ſatiati, agni fiunt, Chriſto ſe devovent, crucem ejus in diademate honoris causâ ſculptam deferunt, & cultum ejus amplificant. Hæc quantumcunque incredibilia, jam cernuntur impleta; unde magnum prodigium eſt ille, qui mundo credente non credit, ait ſanctus Auguſtinus.

Tria recenſita credibilitatis motiva maximè juvant, 1°. auctoris Chriſtianæ Religionis ſanctitas; 2°. doctrinæ puritas; 3°. diuturnitas, & indefectibilis perſeverantia. Illa enim Religio credenda eſt vera, quam commendat ſumma auctoris ſanctitas, doctrina ab omni erroris labe puriſſima, & multis ſeculis probata invincibilis firmitas. Atqui talis eſt Religio Chriſtiana.

Prima pars minoris, quæ eſt de ſanctitate auctoris, conſtat ex totâ ejus vitæ ſerie in Evangelio ſcriptâ, quæ non minùs fuit ſupra humanam virtutem, quàm infirmorum curatio, & mortuorum reſurrectio; adeo ut ſanctitatis ejus fulgor falſas criminationes ipſo tacente diſpulerit, tum coram Judæorum Principibus, ad fovendam omnem calumniam alioquin paratiſſimis; tum coram Pilato homine ethnico, qui ipſius innocentiæ evidentiâ coactus eſt confiteri ſe nullam in eo damnationis cauſam invenire. Addunt teſtimonium Euſebius Cæſarienſis lib. 4. de demonſtrat. Evang. ſanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ſanctus Iſidorus Peluſiota lib. 4. epiſt. 225. Sozomenus lib. 1. Hiſt. cap. 1. & alii, ex Joſepho Judæo deſumptum, qui tempore Veſpaſiani ſcripſit antiquitates gentis ſuæ. Sic enim legitur cap. 4. lib. 18. ejus Hiſtoriæ:

Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur, & plurimos ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus. Cùmque à primoribus gentis suæ ad crucem damnatus esset, ab eo diligendo non abstiterunt, qui primùm dilexerant eum. Post tertium diem redivivus ipsis apparuit, cùm divini Vates hæc & alia plurima admiranda prædixissent.

Egregium quidem adversùs Judæos testimonium; sed ut nobis necessarium non est, sic nec indubitatum: namque benemulti ex recentioribus contendunt textum esse adjectitium; 1°. quia nonnisi Christianus, qualis non erat Josephus, potuit ita scribere: 2°. quia falsum est plures ex Gentibus adhæsisse Christo, cùm non prædicaverit nisi Judæis: 3°. quia textus ille filium orationis abrumpit: 4°. quia stilus est planè diversus: 5°. quia Patres antiquiores, ut Tertullianus & Origenes, hunc locum nunquam proferunt contra Judæos, cùm tamen Josephi libros meminerint. Attamen in nullo ex codicibus, sive Latinis, sive Græcis, deest ille locus, vixque credi posset Josephum, qui in accuratâ gentis suæ Historiâ minora recenset, v. g. de Joanne Baptistâ, & de Jacobo fratre Domini, prætermisisse quæ Christum spectant multò graviora, præsertim cùm ejus ætate Christianum nomen esset celebre etiam apud Romanos.

Secunda pars minoris, quæ est de veritate doctrinæ, inde suadetur, quòd supra naturalem sit hominis conditionem nullibi & nusquam à vero deficere, juxta illud Psal. 115. *Omnis homo mendax.* Erravit Plato in suâ Republicâ; lapsi sunt Lycurgus & Romani scri-

bendo leges; Judæi, ubi a Deo recessêre, falsa & fabulosa legi divinitus acceptæ admiscuerunt, ut constat ex eorum Talmud; sic & Mahumetani. Denique sicut membrum à corpore abscissum continuò corrumpitur, ita Novatores hujus temporis ab Ecclesiâ separati statim in graves errores impegerunt, docentes Deum esse auctorem peccati; rebellandum contra legitimos Principes, & obedientiæ jugum, etiam in civilibus, sub prætextu Religionis, esse excutiendum: hincque in absurdissimas sectas dividuntur. At in Religionis Christianæ doctrinâ mores spectante, etsi multoties ad rigidum examen revocatâ, nihil adversarii invenerunt quod reprehenderent: quin ipsi Philosophi fateri coacti sunt ipsam idoneam esse & ad privatum hominem perficiendum, & ad absolutam Rempublicam constituendam. Sed illud præsertim mirum est divinum, quòd à septemdecim seculis pura & integra fluat.

Tertia pars minoris, quæ est de diuturnitate Religionis Christianæ, probatur ratione à Gamaliele in generali Judæorum concilio adductâ & probatâ Act. 5. v. 38 & 39. *Si est*, inquit de Religione Christianâ, *ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud.* Enimverò ea est humanarum rerum conditio, ut fluxæ sint & caducæ, nulloque extrinsecùs impellente, suo proprio pondere in interitum ruant, atque ut fileam de imperiis potentissimis Assyriorum, Medorum & Græcorum, Romanum, omnium fortissimum, uno lapillo de monte cadente contritum est, Dan. 2. Stat quidem Mahumetanorum secta ab undecim seculis, sed quâ vi & quâ arte? nempe & armorum potentiâ quâ cavetur ne, sub pœnâ capitis, quisquam

ejus doctrinam fabulosam verbis aut scriptis impugnet; & singulari Præpositorûm vigilantiâ, ut subditi cæremonias quasdam addiscant, dogmata verò prorsus ignorent: toti terrenæ felicitati attenti, quam lex eorum carnalis pollicetur, voluptati & cæteris cupiditatibus indulgent. Hinc est quòd illa secta consistere nequeat, ubi non dominantur Principes Mahumetani, utpote quæ non suâ, sed illorum virtute & fortitudine nitatur. Christiana verò Religio à septemdecim seculis in persecutionibus eminuit; floridior ejus ætas apparuit vexantibus eam Imperatoribus crudelissimis. In subsequente pace, quæ propter Hæreticos & Schismaticos fuit illi amarissima, eadem semper stetit; pristinas vires ubique exeruit usque ad copiosam sanguinis effusionem, multo tempore contra Arianos, Regum potentiâ fretos, dimicans, & subinde contra Eutychianos, Iconomachos, ac tandem contra Novatores hujus temporis, qui anno proximè elapso tot Martyres effecerunt in Aquitaniâ, quot Catholicos horrendis cruciatibus tentaverunt, cùm ipsi paulò antè, non timore mortis, sed solo amittendorum bonorum metu, omnes ubique hæresim suam ejurare simulaverint, etiam cum perjurio: quæ utinam non commemoraverim ut confundantur, sed magis ut ad Catholicam redeant Ecclesiam, quam insuper illis demonstramus ex nativo illius vigore, qui non decrescit succedentibus annis, quemadmodum quotidiè experimur in firmissimis ejus membris, quibus parum est ut affectu, nisi & actu omnia dimittant, ut Christum lucrifaciant, & ad illum omnes adducant. Vivificus enim ardor dilatandi & amplificandi Religionem Christianam, quem Christus

Christus Apostolis inspiravit, manet in ejus corpore, quod est Ecclesia, atqui eo incitata viva ejus membra non quiescunt, donec universum orbem impleant; eo animo excurrunt ad exteras gentes, ut & ipsæ corpori Christi socientur. Contra verò Hæretici, tanquam membra mortua, manent & putrescunt in eo loco ubi fuerint excisi. Permanet quidem usque adhuc, & juxta Prophetarum oracula permanebit Judæa gens, sic in nationibus dispersa, ut maneat inconfusa, sed in obsequium Christianæ Religionis, & sicut jam monuimus, ut in testimonium ejus Judæi libros proferant Gentilibus minimè suspectos. Quæ cùm ita sint, *dubitabimus*, inquit sanctus Augustinus lib. de utilitate credendi, *nos istius Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem humani generis ab Apostolicâ Sede per successiones Episcoporum frustra Hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primitias dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.*

Hæc momenta contra quoslibet Infideles efficaciter concludunt; sed contra Judæos habemus specialiora: quare sit.

CAPUT V.

Utrùm ex prophetiis possit demonstrari Judæis mysterium Incarnationis fuisse in Christo Domino impletum, ipsumque esse Messiam in lege promissum?

R. Demonstratur planè. Ille enim est verus Messias, qui venit tempore à Prophetis notato, cuique competunt omnia, quæ de

Messiâ prædicta sunt: atqui Christus Dominus venit tempore à Prophetis notato, eique conveniunt cuncta, quæ de vero Messiâ prædicta sunt, nec ulli alteri convenire possunt. Ergo.

Majorem admittunt Judæi; minoris verò probandæ duæ sunt partes. Prima, quòd Christus venerit tempore, quo Prophetæ prædixerunt Messiam venturum. Secunda, quòd in eo cuncta cernantur completa, quæ de Messiâ prænuntiata sunt. Quæ duo totidem paragraphis exponemus.

Paragraphus I.

Exponuntur prophetiæ, quæ venturi Messiæ tempus præfigunt.

Ex omnibus, quæ proferri possunt, tres duntaxat celeberrimas adducemus.

Prima habetur Gen. 49. ubi Patriarcha Jacob morti proximus cùm filiis suis fausta precaretur, & quæ ipsis postmodum essent eventura, prædiceret, sic Judam allocutus est: *Juda, te laudabunt fratres tui.... non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium.*

Duo continet hæc prophetia. 1°. Is mittendus dicitur, qui sit expectatio gentium; quod non potest intelligi nisi de Messiâ, ut agnoscunt omnes veteres Judæi in Targum & in Talmud. 2°. Designatur tempus, quo venturus est Messias, nempe cùm deficiet sceptrum ex Judâ, & Dux de femore ejus, vel antequam deficiat, vel statim atque defecerit: vox enim, donec, pati potest hos sensus. Atqui sceptrum

& ducem de Judâ defecisse cernimus ; experiuntur quoque Judæi durâ servitute jampridem depressi, completum quod prædixerat Osée c. 3. ipsos futuros diebus multis sine Rege & sine Principe : nec diffitentur antiqui eorum Doctores.

Quòd defecerit sceptrum adveniente Christo, dubium esse non potest, cùm ex eo tempore cœperit Judæorum captivitas ; sed quo præcisè tempore, an ante ejus nativitatem, an post ejus mortem, controvertitur in Scholis : suprema enim Judæorum potestas paulatim est imminuta, & tandem extincta. Pompeius 1°. ei detraxit, cùm pro regno contendentibus Hircano & Aristobulo abnepotibus Simonis Machabæi, venit in Judæam cum exercitu Romano, regnum asseruit Hircano; captâ Jerosolymâ, tributum Judæis imposuit, & Templum contaminavit. Non multò pòst Senatus Romanus Hircano & Antigono extinctis, Regem Judæis præfecit Herodem, quo regnante natus est Christus, & sceptrum tunc Judæis ablatum fat communis est Scholæ sententia Namque 1°. Herodes supremum Judæorum Senatum extinxit, interfectis omnibus Senatoribus, uno Sameia excepto ; & alios è fæce plebis in eorum locum substituit. 2°. Ipsum fuisse alienigenam constans est veterum tum Christianorum, tum Judæorum sententia. Antigonus è familia Assamonæorum seu Machabæorum, qui de regno cum Herode contendit, ipsum vocat Idumæum, ex Josepho lib. 14. Antiquit. c. 27. Idipsum tradit ipse Josephus eodem lib. c. 2. & lib. 1. de bello Judaïco cap. 5. docetque avum ejus fuisse Antipam Ascalonitam, id est, Philistæum ; patrem verò Antipatrem apud Idu-

mæos præpotentem, unde Herodes dicitur Ascalonita & Idumæus, Judæus quoque; quia Hircanus, subactis Idumæis, voluit illos Judæos & dici & fieri susceptâ circumcisione; quo factum est ut Herodes in Idumæâ natus, fuerit Judæus Religione, sed non ex stirpe sive Jacob, sive Esaü, ex quo orti sunt Idumæi; quanquam etsi descenderet ex Esaü, nihilominus esset alienigena; quia Esaü aliam gentem constituit. Nam Genes. 25. Deus dixit Rebeccæ matri Jacobi & Esaü: *Duæ gentes sunt in utero tuo.* Ergo in Herode Judæorum Rege dux de femore Judæ defecit, & sceptrum in alienigenam translatum est. Illud ipsum secundo seculo agnoscunt Judæi apud sanctum Justinum, Dialogo cum Triphone: *Herodem*, inquit, *Ascalonitam fuisse dicitis.* Et deinceps cuncti Patres tradiderunt, Origenes hom. 17. in Gen. Julius Africanus Origeni coætaneus, epist. ad Aristidem; Eusebius Cæsariensis lib. 1. Hist. cap. 7. Sanctus Ambrosius lib. 3. in Lucam; S. Hieronymus in cap. 3. Osée; S. Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 47. & alii. Quare non audiendus Nicolaus Damascenus, Herodis familiaris, qui per fœdam adulationem scripsit, Herodem genus ducere ex primoribus Judæorum, qui è captivitate Babylonicâ in Judæam rediêre. Nicolaum assentationis insimulat Josephus libro 14. Antiquit. cap. 2. & lib. 16. cap. 1. cùm ipse in graviorem culpam inciderit, prophetiam Jacobi in Vespasianum detorquens, ex sancto Epiphanio hæresi 20.

Defuncto Herode, Archelao quoque ejus filio & regni successore in Galliam relegato, Augustus Cæsar Judæorum libertatem

amplius depressit: namque Judæam in provinciam Imperii Romani redegit, & jus gladii in præpositum à se Procuratorem transtulit, ex Josepho lib. 2. de bello Judaïco cap. 11. sicque Judæi non fuerunt amplius sui juris, sed Romanorum.

Nihilominus Judæi retinuerunt aliqualem partem pristinæ potestatis; ait enim ad eos Pilatus: *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum.* Joan. 18. Apostolos in carcerem conjecerunt, Act. 4. flagellarunt c. 5. Saulus à Principe Sacerdotum accepit potestatem inquirendi in Christianos, & vinctos perducendi in Jerusalem, Act. 9. Sed regnum Judæorum penitus extinctum est quadraginta annis post Christi mortem, cùm Vespasianus & Titus templum & urbem Jerusalem funditus subverterunt. Ergò prophetiam Jacobi illo saltem tempore fuisse completam fateri necesse est, & abhinc Messiam non esse expectandum.

Recentiores Judæi pondere hujus argumenti oppressi contra fidem suorum Doctorum in Targum & Talmud, maximæ hactenus apud eos auctoritatis, negant prophetiam Jacobi spectare Messiam, sed Moysen Israëlis liberatorem; vel Jeroboam in Silo Regem creatum: ait enim Jacob, *donec veniat Schilo*, id est, is qui in Silo est inaugurandus; vel Nabuchodonosorem, vel Cyrum, qui ab Isaiâ cap. 45. vocatur Christus: hi enim sunt Schilo, id est à Deo missi: vel ipsum Davidem, vel Salomonem filium ejus: Schilo enim, juxta multos Interpretes, significare potest, *filius ejus*, & *pacificus*. David autem insignis fuit filius Judæ; & Salomon, juxta nomen suum, fuit pacificus. Est & alia ratio cur hæc Jacobi verba, *donec veniat Schilo*, videantur convenire

David; quia tabernaculum, quod erat in Silo, transtulit Jerusalem, quæ erat sedes regni ejus. Præterea in Hebræo sceptrum exprimitur per vocem Schevet, quæ idem est ac virga; scilicet castigationis, adeo ut sensus sit, Non desinent calamitates apud Judæos, donec veniat qui mittendus est. Denique contendunt sceptrum in Judâ hactenus permansisse; quia statim post excidium Jerosolymitanum habuerunt Patriarchas cum supremâ potestate Judæis imperantes; atque etiam nunc in Assyriâ extat florentissimum Hebræorum imperium, in quo præficiunt duces ex Tribu Juda progeniti.

Sed leviora sunt ista, nimisque absurda; quam ut iis refellendis diutiùs immoremur. Namque 1°. hæc prophetiæ verba, *Non auferetur sceptrum .... & dux de femore ejus*, manifestè demonstrant Regum seu ducum seriem futuram in Tribu Juda antequam veniat qui mittendus est: atqui sceptrum nondum ingressum erat illam Tribum quando Moyses & David venerunt. David primus in eâ regnavit, Salomon primus in eâ successit David; Salomon verò plures habuit successores, ac proinde nedum in illo terminata sit series Regum in Tribu Juda, illam fuit auspicatus. Multò minùs terminata est in translatione tabernaculi ex urbe Silo, cùm contigerit regnante Davide, in quo Tribus Juda regno & sceptro potiri cœpit. 2°. Qui mittendus dicitur, est expectatio gentium, quod de Nabuchodonosore & Cyro dici nequit; hi enim fuerunt gentium terror & vastatores. Jeroboam electus est in Sichem, 3. Reg. cap. 13, non in Silo, præterquam quod ridiculum sit impiissimum Regem omnibus noxium statuere gen-

tium expectationem, Isaias quidem prædixit Cyrum fore Judæorum liberatorem; sed propterea dici non potest gentium expectatio: nunquam enim Scriptura hoc nomine comprehendit Judæos, sed semper gentes à Judæis distinguit. 3°. Jacob fausta prædicit Tribui Judæ: *Juda*, inquit, *te laudabunt fratres tui*. Ergo per virgam intelligere non potuit castigationes & calamitates. Adde quòd graviores non fuerint in hâc Tribu, imò leviores & minùs diuturnæ quàm in aliis: his enim apud Assyrios captivis, illa floruit sub Ezechiâ & Josiâ; jugum captivitatis Babylonicæ excussit, aliis in suâ captivitate remanentibus; sub Machabæis contra plures Reges prævaluit, & celebre nomen sibi comparavit. 4°. Faciliùs mendacium suum tegerent recentiores Judæi, si fictitiam suam monarchiam in globo lunæ collocarent: nam Mercatores & alii illud non peregrinantur, sicut in terram Assyriorum, ubi Judæos viles & servos deprehendunt sicut in aliis regionibus. Fabulam de priscis illis Patriarchis deriserunt Origenes lib. 4. de Principiis cap. 1. sanctus Epiphanius in hæresi Ebionitarum, & Theodoretus in Dialogo primo. Vide Huetium in Demonstratione Evangelicâ cap. 5.

Longè gravior est difficultas quomodo sceptrum in Tribu Judâ permanserit ab excidio templi Jerosolymitani sub Nabuchodonosore usque ad adventum Christi Domini, hoc est per sexcentos circiter annos. Namque 1°. septuaginta annis Judæi captivi fuerunt apud Babylonios. 2°. Post solutam captivitatem nullus apud Judæos Rex extitit, sicut prædixerat Jeremias cap. 22. v. 29. & 30. ubi sic alloquitur Jechoniam: *Audi sermonem Domini; hæc dicit Do-*

minus : Scribe virum istum sterilem .... nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David & potestatem habeat ultra in Judâ. 3°. A diebus Machabæorum usque ad adventum Christi, hoc est per ducentos annos, Sacerdotes ex Tribu Levi præfuerunt genti Judæorum. Ergo pluribus annis ante adventum Christi, sceptrum defecerat in Tribu Judâ.

Nego conseq. ad antecedens verò

Respondeo 1°. regnum Judæorum non fuisse extinctum in captivitate Babylonicâ, sed solùm intermissum, cum spe illud repetendi, sicut prædixerat Jeremias cap. 29. *Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni .... suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.* Deinde in illo interregno resedit suprema potestas, seu jus vitæ & necis, penès Judæorum Principes, ut patet ex Historiâ Susannæ, Dan. cap. 13. legiturque cap. 25. 4. Reg. quòd Evilmerodach Rex Babylonis è carcere Joachin Regem Juda eduxerit, posueritque *thronum ejus super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone.* Atque in hâc responsione Catholici habent Judæos sibi consentientes.

Respondeo 2°. ex textu Jeremiæ ad summum posse colligi sceptrum in familiâ David defecisse; nam in Tribu Judâ remansisse constat ex mox dicendis. Quanquam nec statim post captivitatem ablatum sit à familiâ David; nam legitur 1. Paralip. cap. 3. v. 18. Jechoniam genuisse Salathiel, à quo ortus est Zorobabel, qui fuit dux populi Babylone redeuntis. Jeremias ergo solùm prædixit Jechoniam non habiturum filios regiâ dignitate fulgentes, & ut subdit, *qui sedeant super solium David.* Eventus autem veram prophetiam demonstravit;

neque enim Zorobabel, nec ullus deinceps ex familiâ David usque ad Christum regiâ dignitate potitus est; imò post Zorobabelem principatus Judæorum ad summos Pontifices, qui erant de Tribu Levi, delatus est. Hinc exurgit præcipua difficultas, quomodo verè dicatur sceptrum & Ducem in Tribu Judâ non defecisse à morte Zorobabelis usque ad Christi adventum. Omissis variis Theologorum opinionibus.

Respondeo 3°. juxta communiorem sententiam, sceptrum resedisse primariò penes Tribum Judam; secundariò verò & ministerialiter penes Tribum Levi; quia summi Pontifices & Senatores Concilii Sanhedrin à Tribu Juda electi, ejus nomine & tanquam ejus Ministri rempublicam administrabant. Sic olim Romani dicebantur imperare, licèt non rarò exteri, ut Trajanus Hispanus, sceptrum apud illos tenerent; & in Poloniâ nostrâ ætate Dux Saxonum, natione Germanus, regio titulo potitus est, sed ab illâ gente accepto, ut illius nomine & auctoritate communi bono invigilaret.

Instabis 1°. Ait Jacob Patriarcha: *Non auferetur sceptrum de Judâ, & Dux de femore ejus;* atqui summi Pontifices non erant duces de femore Juda, sed de femore Levi: ergo prophetiæ veritas in ipsis stare non potuit.

Respondent nonnulli summos Pontifices per lineam maternam ex Judâ duxisse originem; namque Aaron, Exodi 6. v. 23. uxorem accepit Elisabeth filiam Aminadab, qui erat de Tribu Juda, & alii deinceps ex illâ Tribu uxores sibi asciverunt, ut constat ex cap. 22. lib. 2. Paralip. ubi Josabeth filia Regis Joram dicitur uxor Jojadæ summi Pontificis.

D v

Verùm probari non poteſt iſta ſententia, tum quia nulla extat lex, quâ aſtringerentur Sacerdotes ex Tribu Juda uxores ducere; nec demonſtrari poteſt hanc apud Judæos invaluiſſe conſuetudinem: tum quia origo materna jus ad ſceptrum conferre non potuit; aliàs jus illud tranſmiſſum fuiſſet ad filios Herodis, qui Mariamnem Aſſamonæorum filiam ſibi in uxorem ſumpſerat.

Reſpondeo itaque conceſsâ majore, diſtinguendo minorem: Summi Pontifices non erant Duces de femore Juda, Duces, inquam, primarii, Conc. Duces ſecundarii, id eſt, nomine Tribûs Juda rempublicam adminiſtrantes, nego minorem & conſequentiam. Solutio patet ex dictis.

Inſtabis 2°. Summi Pontifices, & Senatores Concilii Sanhedrin non à ſolâ Tribu Juda, ſed & ab aliis unâ eligebantur: ergo ſceptrum non magis in Tribu Juda, quàm in aliis Tribubus perſeveravit.

Reſpondent quidam Theologi, prophetiam Jacobi non ſpectare ſolam Tribum Juda, ſed ad omnes Tribus pertinere; ita ut ſolùm voluerit ſanctus Patriarcha ſuam familiam ex duodecim Tribubus conflatam nulli extraneo ſubdendam, ſed ſui juris futuram uſque ad Chriſtum ducem.

Sed contra 1°. hæc ſententia contra Scripturam manifeſtè pugnat: Jacobus enim benedixit ſingulis filiis ſuis benedictionibus propriis, c. 49. Gen. v. 28. Et hoc liquet ex contextu capitis 49. *Juda*, inquit Jacobus, *te laudabunt fratres tui*. In quo autem ipſos antecellat, ſubdit, *Non auferetur ſceptrum de Judâ*, concluditque ſuam benedictionem his verbis; *Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores*; quæ

ſanè ad ſolum Judam pertinent. 2°. Omnes Patres, Sanctus Juſtinus Apol. 2. Origenes hom. 17. in Gen. SS. Cyrillus Jeroſolymitanus, & Alexandrinus, lib. 8. contra Julianum; S. Epiphanius in hæreſi Ebionitarum; S. Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum, cap. 47. & alii hunc locum ad ſolam Tribum Juda referunt, conſentiuntque Judæi.

Reſpondeo ergo, poſt captivitatem Babylonicam, Tribum Juda aliis Tribubus nomen & auctoritatem dediſſe: hæc enim una nominatim & ſolemniter dimiſſa eſt libera, cum facultate utendi ſuis legibus. *Conſtitue Judices*, ait Eſdræ Artaxerxes lib. 1. Eſdræ cap. 7..... *ut judicent omni populo, qui eſt trans flumen..... & omnis, qui non fecerit legem Deo, & legem Regis diligenter, judicium erit de eo, ſive in mortem, ſive in exilium.* Scribit quidem Joſeph libro 11. Antiquitatum cap. 10. non mediocrem Sacerdotum & Levitarum turbam omneſque Benjamitas Tribui Judæ ſe adjunxiſſe. Sed hæc non impediunt quominus ex ſolâ Tribu Judâ reſpublica coaluiſſe affirmetur; quia Levitæ ex officio rebus ſacris mancipabantur, & Benjamitæ adeo pauci numero erant, ut vix uno loco haberentur, quemadmodum colligitur ex libro 4. Regum cap. 17. ubi adductis in captivitatem decem Tribubus Iſraël, dicitur ſolam Tribum Judam remanſiſſe, quamvis Tribus Benjamin, & multi Levitæ in eâ permixti cum eâdem permanſerint. Ex aliis quidem Tribubus, quas idem Joſeph c. 5. ejuſdem libri 11. commemorat trans Euphratem tranſportatas, & uſque in hodiernum diem infinitâ multitudine ibidem fixiſſe ſedes, aliqui ad Judæos tranſierunt, ſed propterea imperium cum ipſis non ſunt partiti, ſicut nec partiuntur Gallorum

D vj

imperium, v. g. sive qui à sedibus suis expulsi in Galliam confugiunt; sive provinciæ, quæ huic Monarchiæ adjiciuntur.

Secunda prophetia, quæ tempus adventûs Messiæ designat, habetur Danielis cap. 9. ubi deprecantem pro Judæorum libertate, cùm instaret septuagesimus annus, quem Deus captivitatis Babylonicæ terminum præfixerat, sic affatur Gabriël Angelus: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt* (in Hebræo, *definitæ sunt*) *super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum* (in Hebræo, *sanctitas sanctitatum.*) *Scito ergo & animadverte, Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea & muri in angustiâ temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus* (Hebraicè, *exscindetur;*) *& non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* In quem locum sic scribit sanctus Hieronymus proœmio in Danielem: *Illud commoneo nullum Prophetarum tam apertè dixisse de Christo. Non enim solùm scribit eum esse venturum, quod est commune cum ceteris; sed etiam quo tempore venturus sit, docet, & Reges per ordinem digerit, & annos dinumerat, & manifestissima signa prænuntiat.* Et in caput nostrum Danielis adducit testimonium Julii Afri-

cani assertentis omnes Scriptores usque ad suam ætatem, hoc est, ad secundum & tertium seculum, hanc prophetiam de Christo fuisse interpretatos. *Nulli dubium*, inquit, *quin de adventu Christi prædictio sit, qui post septuaginta hebdomadas mundo apparuit*: quod & consequentium Patrum unanimis consensio confirmavit. Vide S. Augustinum epist. 199. aliàs 80. Quin & ipse Christus Dominus Matth. 24. hanc prophetiam de primo suo adventu intelligendam docet. *Cùm ergo videritis*, inquit, *abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Prophetâ, stantem in loco sancto... tunc qui in Judæâ sunt, fugiant ad montes.* Et Lucæ 21. *Cùm videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus.* Addo veteres Judæorum Doctores, teste Sancto Hieronymo in caput nonum Danielis, Messiam hîc à Daniele prænuntiatum agnovisse.

Enimverò Messias, *quod est interpretatum Christus*, inquit sanctus Joannes cap. 1. v. 41. bis in hâc prophetiâ nominatur, pingiturque iis omnibus characteribus, quibus alii Prophetæ sparsim illum designarunt. Est Sanctus Sanctorum; sanctitas sanctitatum: orietur in diebus ejus justitia sempiterna: finem accipiet peccatum: confirmabit pactum, de quo Jerem. 32. Quæ nec Cyro, nec Oniæ, nec Antiocho Epiphani impiissimo, nec alteri cuiquam, nisi Messiæ aptari possunt.

Jamverò prophetiam ex omni parte in Christo impletam cernunt vel ipsi Judæi; Atque ut à lætis exordiat, quibus Angelus Danielem consolatus est: pactum seu novum testamentum confirmatum est; nam multis dedit Deus Spiritum suum in visceribus eorum, contestantibus variis signis & prodigiis, Pe-

trus piſcator rete ſuum extendit ſemel & iterum, & octo millia ſimul traxit ad Chriſtum; augebatur quotidie numerus credentium, nec modica turba Sacerdotum credidit, ut habetur in libro Actuum. In his omnibus finem accepit peccatum, & effloruit juſtitia, atque, ut verbis utar propheticis, Judæus in primis Chriſti diſcipulis factus eſt velut ros vivificus ſuper univerſam faciem terræ: ubique juſtitia & ſanctitas germinavit; cœperunt Gentes concurrere ad montem Domini, dicentes Judæis: Tantummodo inter vos invocatus eſt Deus, venerunt ex Africâ & Lydiâ, Italiâ & Græciâ, & ex Inſulis procul, Iſ. 66. & quidem in tantâ multitudine, ut conqueri viderentur quaſi anguſtus eſſet locus, & diceretur ad novam Jeruſalem: *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas*, Iſ. 54. His lætis Angelus ſubjungit triſtia de Judæis incredulis: negarunt Chriſtum, qui & ab iiſdem occiſus eſt, atque in pœnam tanti ſceleris, remanſerunt ſine Rege, ſine ſacrificio: ſecuta eſt talis abominatio in templo, quâ major eſſe non potuit, ſive cùm Fanatici illud repleverunt homicidiis, ſacrilegiis, & omni genere ſpurcitiarum, ut refert ipſe Joſeph, ſive cùm Romani ſub Veſpaſiano & Tito Fanaticos illos expugnarunt, templum ſuffoderunt & incenderunt, eamque Judæorum ſtragem ediderunt, quæ & horrorem incutiat legentibus apud Joſephum belli Judaïci hiſtoriam, & veram Chriſti prophetiam demonſtret. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi.* Matth. 24. Addit S. Lucas cap. 21. *quia dies ultionis ſunt, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt.* Denique ad viſionis complementum perſeverat Judæorum diſperſio & ſervitus, talis deſolatio templi,

& urbis vastitas, ut non ex iis remanserit lapis super lapidem: quæ enim nunc extat Jerusalem, alia est quam Romanorum Imperator Elius Adrianus ædificavit; unde ab ejus nomine Elia vocata est.

Dices 1°. Danielis prophetia ita obscura est & intricata, ut quisque ad suum votum possit illam interpretari. Namque 1°. numerat septuaginta hebdomades, sed liberum relinquit quo sensu accipiantur, an hebdomades jubileorum, aut seculorum, an dierum vel annorum. 2°. Sic dividit illas hebdomades in tres partes, & quidem non sine aliquâ ratione, ut omnia, quæ prædixit, non videantur complenda, nisi in ultimâ hebdomade. Porrò si mille anni sunt apud Deum tanquam dies una, 2. Petri c. 3. quid per hebdomadam unam intelligere non liceat? Ergo ex istâ prophetiâ nihil concludi potest.

Nego antecedens, 1°. quia Angelus non accepit hebdomadas, nisi in vulgari Judæorum acceptione: atqui illud nomen non usurpatur apud Judæos, nisi vel pro hebdomada dierum, Levit. 23. *Numerabitis. . . . septem hebdomadas plenas usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies:* vel pro hebdomada annorum, ut Lev. 25. *Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem.* Porrò in prophetia Danielis hebdomadæ dierum intelligi non possunt, quia in tam brevi spatio, quod est unius anni circiter cum dimidio, nulla insignis mutatio in Judæorum regno contigit. Restat ergo ut intelligatur de hebdomadis annorum. 2°. Quia Angelus clarè & nitidè asserit numerandas hebdomades septuaginta, quæ conficiunt annos 490. usque ad Christum

ducem. En regulâ certâ, & nulli errori obnoxia, ad cognoscendum quo tempore Messias venturus sit. Tum dividit illum annorum numerum in tres partes, non obscuritatis causâ, sed majoris claritatis, nempè ut distinguat annos ultimæ hebdomadæ, & notet quid in unaquâque eveniet: ait enim, post sexaginta novem hebdomadas, hoc est, post 483. annos, ungetur Sanctus Sanctorum, scilicet ineunte septuagesimâ hebdomadâ declaratus est Messias, cùm in Jordane vox Patris de cœlo audita est; *Hic est Filius meus dilectus*: & exindè Evangelium suum multis miraculis confirmavit usque ad medium ejusdem hebdomadæ, hoc est annum quartum, quo crucifixus est, quæ cùm sigillatim explicentur in prophetiâ, videtur potiùs historia quàm vaticinium. Falsò autem in objectione supponitur intra spatium septuaginta hebdomadarum contineri prædictam desolationem & vastitatem: ex contextu enim sermonis facilè intelligitur excidium secuturum post illas hebdomadas: *In medio hebdomadis* (scilicet ultimæ) *deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis.* Porrò circa illius excidii tempus, quo vulgò creditur legem veterem, quæ in morte Christi fuerat mortificata, evasisse mortiferam, & cultum ejus superstitiosum, gens Judaïca propriè & plenè desiit esse populus Dei; quia à verâ Religione & legitimo cultu defecit. Cùr autem Angelus primas septem hebdomades à ceteris diviserit, hæc fortè posset afferri ratio, quòd Judæi totidem annos insumpserint ad ruinas reparandas, urbes reædificandas & muniendas, & suam Rempublicam componendam. Quibus perfectis & stabilitis, monet Angelus iterum numerandas

xaginta duas hebdomades usque ad Christum :nturum.

Instabis: Ex hac prophetiâ non potest colligi mpus venturi Messiæ, nisi certò numerentur ıni ab Angelo prænotati: atqui certò numerari on possunt. Ergo.

Minor probatur. Ut numerentur illi anni, :cesse est scire imprimis unde ducendum sit lorum exordium: atqui fatentibus etiam Caıolicis, non constat de illo exordio, hinc atiæ Scholæ opiniones; alii repetunt à temore vaticinii Jeremiæ, cap. 29. v. 10. *Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visiıbo vos.. .. ut reducam vos ad locum istum.* Alii b edicto Cyri, Esdræ 1. Alii à secundo anno)arii Hystaspis, quem dicunt in conjugem asımpsisse Estherem, & erga Judæos propensum. lii hebdomades inchoant à secundo anno Araxerxis Longimani; alii à septimo ejus anno; lii ab ejus filio, qui dictus est Darius Nothus. :rgo.

Distinguo majorem. Non potest colligi præ:isè ante oraculi eventum, Concedo; post)raculi eventum, Nego majorem. Probatur :fficaciter etiam contra Judæos responsionis reritas argumento à simili. Prædixerat Jerenias Judæos post septuaginta annos Babylone n patriam redituros. Hoc vaticinio nixi Judæi sperabant suam captivitatem non fore diuturıam; sed quo præcisè anno finem esset ac:eptura prævidere non potuerunt; quia Pro)heta non designaverat temporis punctum, ex quo numerandi erant illi septuaginta anni: ex variis tamen prophetiæ circumstantiis intellexerunt instare tempus pristinæ libertatis recipiendæ: hinc frequentes Danielis ad Deum preces, ut verbum suum impleret. Solutâ autem

per Cyrum captivitate, hoc est, impleto Jeremiæ vaticinio, Christiani simul & Judæi secutius investigant exordium illorum septuaginta annorum, & quamvis illud certò figere non possint, nec in suâ computatione conveniant etiam Judæi, propterea vaticinium non nutabit: namque vaticinii veritas potissimùm ex eventu probatur. *Propheta*, inquit Jeremias c. 28. *qui vaticinatus est pacem, cùm venerit verbum ejus, tunc scietur Propheta, quem misit Dominus in veritate.* Ex eventu verò judicatur quis in computatione septuaginta annorum ad veritatem accedat, quis verò aberret. Verisimilius est, v. g. eos errare, qui initium illorum annorum sumunt ab undecimo anno Sediciæ Regis, quo excisum est templum; quia exinde ad solutam captivitatem, seu ad primum annum Cyri, non fluxêre nisi triginta anni, 4. Esdræ, c. 3. vers. 1.

Similiter Judæi ex Prophetiâ Danielis colligere debuerunt Messiam intra septuaginta hebdomadas, hoc est intra annos 490. venturum: id enim non obscurè prædixit Propheta; sed utrùm eo anno, qui fuit decimus quintus imperii Tiberii Cæsaris, declarandus esset, præscire non potuerunt; quia ex divino oraculo non constat quis annus primo loco numerandus sit in computatione septuaginta hebdomadarum; quanquam pervulgata apud Judæos esset fama, quando Christus advenit, adimpletas esse illas hebdomadas, atque eâ persuasione jugum Romanorum excutere tentaverint duce Barchochebâ, ut notat Rabbi Manasses in termino vitæ. Jam verò cùm in Christo cernantur peracta quæcumque Daniel in adventu Messiæ futura prædixit, nullum superesse potest dubium quin septuaginta hebdomades in illo

lesierint; nec varia annorum computandorum ratio hujus oraculi veritatem magis obscurat, quàm vaticinii Jeremiæ, imò ex ejus eventu erroris arguuntur qui hebdomadas inchoant vel à Jeremiæ vaticinio, vel ab edicto Cyri.

Namque ab initio hebdomadarum non debent numerari usque ad baptismum Christi, nisi 483. anni, hoc est, sexaginta novem hebdomades, cùm à vaticinio Jeremiæ numerentur plusquam sexcenti anni, & ab edicto Cyri quingenti sexaginta circiter.

Refellitur insuper utraque opinio ex verbis ipsis oraculi; ait enim Daniel: *Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea & muri in angustiâ temporum.* Nomine autem sermonis Propheta significat edictum quoddam, virtute cujus muri & platea Jerusalem ædificentur. Atqui editum Cyri effectu caruit, nec Judæi templum, cujus fundamenta ipso regnante jecerant, (Esdræ 3. & 4.) perficere potuerunt, nisi sub Dario, Esdræ capite 6. prohibiti enim fuerant regnante Artaxerxe, Esdræ 4. sed non licuit eis manus admovere ad urbem reparandam, nisi anno vigesimo alterius Artaxerxis; qui & Assuerus dicitur, Esdræ 4. Perfecerunt murum in angustiâ temporum, hoc est quinquaginta duobus diebus, Nehem. 6. Plateas autem & ædificia publica & privata constructa fuisse per triennium scribit Joseph lib. 11. Antiq. c. 5. tum solemniter celebrata est dedicatio muri & urbis anno 23. Artaxerxis; Nehem. 12. atque in illâ dedicatione contigisse creditur illud miraculum, de quo lib. 2. Machab. c. 1. & 2. Ergo verba oraculi cogunt inchoare septuaginta heb-

domades vel à vigesimo anno Artaxerxis, quo murus constructus est; vel à vigesimo tertio, quo ipsa urbs reparata.

Sed quis sit ille Artaxerxes ambigitur; quia Reges Persarum & Medorum dicebantur linguâ persicâ Artaxerxes, id est, magnus bellator; & linguâ medicâ Assuerus, id est, Princeps.

Secundùm communiorem sententiam, quæ nobis videtur verior, Artaxerxes hic est Longimanus filius Xerxis, probaturque duplici ratione. Prima, quia vigesimus annus illius Artaxerxis, ex quo cum patre regnavit (nam Xerxes contra Græcos profecturus, filium in regno collegam instituit) in annum mundi 3550. incidit; baptismus verò Christi in annum 4033. Atqui ab anno 3550. ad 4033. sunt præcisè 483. anni, hoc est 69. hebdomades. Secunda, eaque certissima ratio numerandi annos sumitur ab Olympiadibus. Olympiades autem sunt ludi solemnes in honorem Jovis Olympii instituti 23. annis ante Romam conditam, tempore Oziæ Regis Juda; celebranturque tantùm anno intercalari circa solstitium æstivum: unde Olympias constat annis quatuor. Porrò juxta Scriptores tum profanos, tum Ecclesiasticos, annus vigesimus Artaxerxis Longimani, concurrit cum secundo anno Olympiadis 81. mors verò Christi cum Olympiade 202. exeunte, ex Phlegonte suprà citato, qui scribit insolentem Solis eclypsim, quæ in Christi morte mundum terruit, eâ ipsâ Olympiade contigisse. Numerantur ergo à vigesimo Artaxerxis anno usque ad Christi mortem 121. Olympiades, quæ cum tribus annis Olympiadis 81. conficiunt sexaginta novem hebdomadas cum dimidiâ,

n quâ mortuus est Christus, hoc est, annos 487. Nihil ergo expressius hoc Danielis vaticinio, nec efficacius ad convincendos Judæos, quorum effugia sunt Christianorum victoria: adeò enim manifestè Scripturæ textum depravant, ut superfluum videatur illorum cavillationes refellere.

Nec obstat quòd Josephus scribat. 1°. Nehemiam à Xerxe missum esse in Judæam; 2°. eumdem Sanaballat, (qui filiam in uxorem dederat uni ex filiis Joiadæ summi Sacerdotis, Nehemiæ 13. v. 28.) occurrisse cum octo millibus Alexandro Tyrum obsidenti; 3°. Jaddum summum Pontificem, cujus meminit Nehemias cap. 12. v. 11. & 22. pacatum Alexandrum reddidisse. Ex quibus concluditur Nehemiam non fuisse missum ab Artaxerxe Longimano; aliàs vixisset plusquam ducentis annis: nam Esdræ cap. 1. numeratur inter eos, qui sub Cyro Jerosolymam ascenderunt. Atqui à Cyro usque ad Alexandrum, qui devicit Darium Codomanum, ultimum Medorum Regem, fluxêre anni ducenti. Non obstat, inquam, quia cùm constet Nehemiam jam grandævum fuisse primo anno Cyri, vel concedendum est ipsum vitam protraxisse ultra ducentos annos, si superstes fuit tempore Alexandri Magni, quod non est credibile; vel necessariò admittendum Josephum errare, dum refert unum & eumdem Sanaballat, (qui coætaneus fuit Nehemiæ) Alexandro suppetias tulisse; sicut nec ab errore vindicari potest, ubi asserit Nehemiam à Xerxe missum, cùm Scriptura Artaxerxem expressè appellet. Quod Jaddum seu Jeddoam spectat, alii duplicem Jaddum admittunt; alii fatentur unum & eumdem, qui recensetur in libro Nehemiæ, occur-

risse Alexandro; quia apud Josephum utrobique eosdem habet parentes & majores; sed contendunt alienâ manu nomen *Jaddus* in libro Nehemiæ fuisse insertum: quemadmodum cap. 34. Deuteronomi à Moyse conscripti, mors ipsius describitur.

Tertia prophetia signans tempus venturi Messiæ profertur ex cap. 2. Aggæi, ubi Propheta Zorobabelem & alios Judæos Babylone reduces ad reædificandum templum his promissis accendit: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam; & movebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus: & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimæ plusquam primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco isto dabo pacem.* Malachias quoque, qui unà cum Aggæo & Zachariâ Judæos divinis pollicitationibus ad templi reædificationem impellebat; sic eos affatur cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam; & statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis: ecce venit, dicit Dominus exercituum.* Negare non possunt Judæi quin hîc promittatur Messias brevi venturus. Quis enim nisi Messias expetitur à Judæis, desideratur à cunctis gentibus; cujus sit templum, quod ædificabitur; qui sit dominator, Angelus novi testamenti & fœderis, qui adventu suo commoturus est cœlum & terram: qui secundum templum, quamvis structuræ tam vilis, ut quasi non esset in oculis Judæorum, qui primum viderant, (Aggæi 2. v. 4.) longè majori gloriâ impleturus est? Atqui illud tem-

ım, quod Aggæus & Malachias mirificè mmendabant, à Tito eſt funditus everſum in cidio Jeroſolymitano. Ergo Meſſiam ante il- d excidium veniſſe neceſſum eſt. Indicent au- n Judæi alium præter Dominum noſtrum ſum - Chriſtum, qui adventu ſuo cœlum mmovit, cùm miſſus eſt Gabriel Angelus; ;ta eſt multitudo cœleſtis exercitûs in ejus tivitate; ſtella Magos ad præſepe adduxit; ɔx Patris de cœlo audita eſt in ejus baptiſ- o; Spiritum ſanctum in figurâ venti vehe- entis & ignearum linguarum in diſcipulos fudit; cum ſolem nativo ſuo lumine mo- ens ſpoliavit. Qui commovit terram innu- eris prodigiis, Oraculi Delphici & aliorum entio, teſte ipſo Cicerone lib. 2. de Divi- tione; Statuarum & Idolorum, tum in Ca- tolio, tum alibi, liquefactione & dejec- one, ex Dione lib. 37. & aliis, horrendo rræ motu, qui contigit in paſſione Chriſti, : quo ipſe Plinius lib. 2. cap. 48. commo- one omnium gentium per Evangelii prædi- tionem, & horrendam ubique Martyrum ragem. Qui commovit mare, partim per ge- ralem terræ motum tempore Paſſionis; nam are etiam concuti neceſſe fuit; partim per ejus nperium, quo & ſedatæ procellæ undæ pe- bus calcatæ; partim etiam ſtupendâ piſcium ultitudine, quos in Petri retia ſemel & iterum ɔllegit. Novum teſtamentum condidit ipſe ngelus teſtamenti: pacem dedit ipſe pax no- :a, non quomodo mundus dat, hoc eſt, non ıæ foveat vitia, ſed quæ extinguat; non quæ ıpiditates contra rationem armet, ſed quæ s comprimat & ſubjiciat; quam Angeli ipſo ſcente prædicaverunt dicentes: *Gloria in ex- ſis Deo, & in terrâ pax hominibus.* Venit ad

templum suum Dominator Dominus, templum, inquam, à Zorobabele constructum; de eo enim loquebatur Aggæus, non de alio tertio, quod fingunt Judæi à Messiâ nunc frustrà expectato ædificandum. In illo Zorobabelis templo, cùm Virgo Mater purificationis legi obsequeretur, pro carnalibus victimis oblatus est hostia Deo acceptissima, aliquando mactanda: oracula divinæ suæ sapientiæ sæpius effudit, illudque præsentiâ majestatis suæ sic illustravit gloriâ, ut nec aurum, quo circumtectum fuerat templum Salomonis, nec arca fœderis, nec Urim & Thummim, quæ erant præcellentissima ejus ornamenta, jam ascendant super cor, quemadmodum prædixerat Jeremias, c. 3. v. 16.

Indubitatum itaque manet ex tribus insignibus Prophetarum oraculis explicatis, Messiam debuisse venire eo tempore, quo Christus Dominus apparuit. Et

Confirmatur primò ex interpretatione somnii Nabuchodonosoris, Dan. capite secundo, ubi Divinus Vates per statuam designat quatuor florentissima regna, nempè Assyriorum, Medorum, Græcorum, & Romanorum: per lapillum verò de monte excisum sine manibus, qui statuam comminuit, & factus est mons magnus universam terram implens, demonstrari docet regnum æternum (scilicet Messiæ fatentibus Judæis) quod sumet quatuor illa regna, & stabit in æternum. Vide caput septimum, ubi Daniel sub imagine quatuor bestiarum, describit quatuor regna à filio hominis conterenda. Atqui contrita sunt illa regna: ergo Messias venit.

Confirmatur secundò ex pervulgatâ apud omnes homines opinione circa Christi tempora

pora Messiam advenisse. *Invenimus Messiam*, ait Andreas, Joan. 1. v. 41. *Scio*, inquit, mulier Samaritana Joan. 4. *quia Messias venit.* Herodiani, hoc est, Judæorum Secta, impiâ adulatione Herodem pronuntiabant Messiam. Synagoga Sacerdotes & Levitas misit ad Joannem, ut eum interrogarent num esset Christus, Joan. 1. Plures Pseudoprophetæ, de quibus in Actis Apostolorum, ut Simon Magus; & in Historiâ Ecclesiasticâ, ut Barchochebas, pro Messiâ voluerunt haberi, quod ante illa tempora fuerat inauditum. Quin & apud Gentiles percrebuerat ille rumor. Cicero lib. 2. de Divinatione sic scribit de *Rege tunc prodituro*, & *à Romanis suscipiendo, si salvi esse vellent.* Cecinit Virgilius Eclogâ 4. de progenie è cœlo ventura, & aureo seculo mox reducendo. Suetonius in Vespasianum cap. 4. *Percrebuerat*, inquit, *Oriente toto vetus & constans opinio esse in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur.* Denique Tacitus lib. 5. Hist. Scribit: *Persuasio inerat antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæâ rerum potirentur.* Hujus rei ita conscii sunt Judæi, ut diris jam vovere soleant, qui adventûs Messiæ tempora supputant in Sanhedrim c. 11.

Nec dicant Judæi Messiam quidem juxta Prophetarum oracula jam venire debuisse; sed propter Judaïci populi peccata adventum suum distulisse; namque 1°. oracula absolutè pronuntiant, & sine ullâ conditione. 2°. Messias non solis Judæis, sed & Gentibus promittitur. 3°. Si deicidium in personâ Christi admissum excipias, Judæi minùs gravia deliquerunt à tempore captivitatis Babylonicæ, quàm sub Judicibus & Regibus Israël & Juda, præsertim

Achaz & Manasse; quæ tamen priora peccata, nec irrita fecerunt, nec suspenderunt Dei promissa. Denique promittitur Messias, ut finem accipiat peccatum, & oriatur justitia. Nullus itaque Judæis superest subterfugii locus, tempus adventui Messiæ præfixo elapsum est: ergo Messias non est ultrà expectandus, sed haud dubiè venit. Restat nunc expendendum utrùm in Christo impleta sit visio & prophetia, id est, utrùm omnes characteres, quibus Prophetæ Messiam delinearunt, occurrant.

Paragraphus II.

Ostenditur consensus Evangelii cum libris Prophetarum.

Primò, nuntius ex deserto profectus viam Messiæ præparabit, Malach. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statum veniet*, &c. If. 40. *Vox clamavit in deserto*. Sanctus Joannes Baptista è solitudine exiens præcessit Messiam in spiritu & virtute Eliæ, Luc. 1. Prodigia, quæ ejus conceptionem & nativitatem comitata sunt, probant ministerium illud fuisse peractum Dei consilio, non humano, aut malâ arte.

Secundò, Messias matrem habiturus est virginem, If. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id est, nobiscum Deus. Hic filius non est Ezechias, utpote qui jam natus esset: non Isaiæ filius, cujus conceptio & ortus referuntur c. 8. v. 3. tum quia conceptus non est de virgine: tum quia non est Emmanuel, nec terra Juda ipsius est, sed Emmanuelis, c. 8. v. 8. *implens latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel!* Quod autem virgo

ſumatur pro puellâ viro incognitâ, colligitur ex Hebræo; ubi pro virgine legitur *alma*, quæ vox ſignificat puellam abſconditam, ſeu incognitam; ſumiturque eo ſenſu 1. Can. v. 2. Pſal. 67. v. 26. & alibi frequenter. Septuaginta quoque Interpretes longè ante adventum Chriſti virginem reddiderunt. Denique ea fuit veterum Rabbinorum ſententia Meſſiam ex virgine naſciturum. Atqui Chriſtus Dominus natus eſt ex virgine; *quod . . . , in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, ait Angelus ad Joſephum Matth. 1. nec audiendi ſunt recentiores Judæi, qui cum Celſo apud Origenem dicere audent Chriſtum Dominum natum eſſe ex adulterio, cùm gratis id effutiant contra communem patrum ſuorum fidem, qui illum omnes crediderunt eſſe filium Joſeph, à quo beata Maria nullo divortio fuit ſeparata. *Nonne hic eſt filius Joſeph?* inquirebant ejus concives, Luc. 4. Annon ex ſuis Synagogis illum expuliſſent, ſi pro legitimis ejus natalia non habuiſſent?

Dices: Si Chriſtus, ex Joſepho non eſt genitus, filius David dici nequit: conſtat enim ex cap. 1. Lucæ, matrem ejus fuiſſe de Tribu Levi, & conſanguineam beatæ Elizabeth, quæ dicitur de filiabus Aaron. Ergo.

Nego antecedens. Namque iidem ipſi Evangeliſtæ hæc tria ſcripſerunt: 1°. Chriſtum Dominum eſſe filium David: 2°. non eſſe ex Joſepho progenitum: 3°. beatam Elizabeth eſſe ex filiabus Aaron, cognatam Virginis Deiparæ. Qui verò homines mentis compotes evulgaſſent inter æmulos, quales erant Judæi, tam manifeſtè pugnantia, ſi beatiſſima Virgo ex Davide originem non duceret? Conſtabat ergo apud Judæos beatiſſimam Virginem, cùm fratribus careret, nupſiſſe viro ejuſdem Tribûs

& familiæ, juxta legis præscriptum, Num. c. 36. *Cunctæ fœminæ de eâdem Tribu maritos accipiant, ut hereditas permaneat in familiis.* Ergo ubi periculum non erat aliò transferendæ hereditatis, licebat uxores deligere ex quâlibet Tribu, ut patet in Davide, qui uxorem accepit filiam Saülis è Tribu Benjamin, I. Reg. 18. Et ita beata Virgo potuit esse de Tribu Levi secundùm lineam maternam.

Tertiò, Messias nasciturus prædicitur in urbe Bethleem: *Sic enim scriptum est per Prophetam* inquiunt Principes Sacerdotum Matth. 2. *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in Principibus Juda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël.* Michææ 5. Atqui Christus Dominus, licèt Nazareth in Galilæâ conceptus, Deo tamen providente Bethleem natus est.

Quartò, Messias Salvatoris nomine insignitur Is. 49. v. 6. & Zach. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus ... Salvator.* Atqui hoc nomine vocatus est Christus ab Angelo priusquam in utero conciperetur, Luc. 2. Jesus enim idem est ac Salvator.

Quintò, pauperem vitam aget Messias. *Sicut radix de terrâ sitienti ... & vidimus eum ... despectum & novissimum virorum*, iniquit Isaïas c. 53. Et Zacharias c. 9. ait: *Ecce Rex tuus ... ipse pauper.* Christus autem adeo pauper fuit, ut testetur Luc. 9. se non habere ubi caput reclinet.

Sextò, Messias prædicaturus est. *Ad annuntiandum mansuetis*, inquit Is. 61. *misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam.* Doctrinam suam multis signis confirmaturus. *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.* Is. 35. Et tamen ab auditoribus odio habendus: *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum.* Is. 65. Quæ omnia in Christo impleta Judæi agnoscunt.

Septimò, Messias asino vectus solemniter ingressurus Jerusalem prædicitur Zac. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi... ascendens super asinam & super pullum filium asinæ.* Atqui turba Judæorum non modica Christum in hoc apparatu urbem ingredientem cum plausu suscepit, Joan. 12.

Octavò, Prophetæ cecinerunt Messiam multa passurum, ac tandem occidendum, omnesque passionis ejus circunstantias accuratè descripserunt: 1°. ab amico & familiari prodendus erat: *Homo pacis meæ qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem*, Psal. 40. ℣. 10. 2°. vendendus triginta argenteis postea projiciendis, & ex eis emendus ager Figuli, Zach. 11. v. 12. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos... & projeci illos in domum Domini ad Statuarium*, id est, qui effingit statuas ex luto vel metallo; 3°. deserendus à suis: *Percute Pastorem, & dispergentur oves gregis*, Zach. 13. v. 7; 4°. accusandus à falsis testibus: *verbum iniquum constituerunt adversùm me*, Ps. 409; 5°. accusationibus non responsurus: *Non aperuit os suum*, Is. 53. v. 7; 6°. Sputa & omnis generis contumelias passurus. *Corpus meum dedi percutientibus: & genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Is. 50. v. 6. 7°. Cruci inter iniquos affigendus, Psal. 21. ℣. 7. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Zac. 13. v. 6. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Is. 53. *Cum sceleratis reputatus est*; 8°. à prætereuntibus irridendus. *Omnes videntes me deriserunt me: Speravit in Domino, eripiat eum*, Psal. 21. 8; 9°. Nudandus erat, & super vestes divisas mittenda sors. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*, *Psal.* 21. 19; 10°. felle & aceto potandus. *Dederunt in escam meam fel, & in siti meâ potaverunt me*

aceto; 11°. In latere fodiendus : *Et aspicient ad me quem confixerunt*, Zach. 12. Porrò hæc de Christo vaticinia ipsimet Judæi incauti nec advertentes impleverunt; unde, nisi cæcitatis vitio laborarent, perspicuum illis esset Christum Dominum eum ipsum esse, quem Prophetæ pinxerunt. Ad Hæreticos pergimus.

CAPUT VI.

Quomodo asseritur contra Hæreticos mysterium Incarnationis esse peractum?

EX Scripturâ, præsertim novi Testamenti, & ex Ecclesiæ Traditione : utramque enim admittunt Hæretici, paucis exceptis. Verùm non ex unâ parte, neque conjunctis viribus, sed divisis turmis illud mysterium impetunt. Alii siquidem Christi divinitatem impugnant, alii humanitatem, alii unionem hipostaticam. Qui impugnant humanitatem, rursus inter se dissentiunt; namque alii negant Verbum assumpsisse carnem; alii admissâ carne, negant animam, alii animam & carnem in Christo agnoscunt; sed contendunt non assumpsisse intellectum : alii voluntatem humanam solummodo rejiciunt : alii denique naturam humanam in Christo integram confitentur, sed nulli dolori fuisse obnoxiam volunt; adeo ut meritò in hæreticos transferas quod in Psalmo 117. de Christi persecutoribus legitur : *Circumdederunt me sicut apes*; sicut enim milites singula Christi membra in Passione vexaverunt, ita & hæretici Incarnationis ejus œconomiam venenatis linguarum sua-

rum aculeis undique pupugerunt. *Certum est*, inquit sanctus Fulgentius lib. 1. ad Transimundum cap. 3. *penè omnes hæreticæ pravitatis errores hinc multipliciter subrepsisse, cùm magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne .... nonnulli aut non sicut est, credunt, aut omnino non credunt.* Quare nobis hîc probanda incumbit Incarnationis definitio capite primo explicata, singulæque ejus partes contra totidem hæreses vindicandæ; atque, ut efficacius id à nobis præstetur, operæ pretium est breviter referre præcipuarum hæreseum auctores, ortum & progressum: namque, ut ait S. Augustinus lib. 16. de Civitate Dei cap. 1. *Multa ad Fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, ut adversùs eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, & ab adversario mota quæstio, discendi existit occasio.* Jam diximus satis de hostibus divinitatis Christi Domini in Tractatu de sanctissimâ Trinitate, ubi invictissimis argumentis probavimus Christum esse Deum. His ergo omissis, ad alios recte transimus.

Paragraphus I.

Veram in Christo carnem & verum sanguinem negarunt.

Primo seculo, (superstitibus adhuc Apostolis) Saturninus & Basilides, Simonis Magi ambo discipuli, docuerunt Corpus Christi fuisse phantasticum, ac propterea minimè passum, ex sancto Irenæo lib. 1. cap. 22. Tertulliano de præscrip. cap. 46. & S. Clemente Alexandrino lib. 4. Stromatum. Addidit Basilides

Christum lusisse Judæorum conatum, dum Simonem Cyrenæum, cui milites crucem imposuerant, in propriam figuram mutavit; ipse verò in Simonem transfiguratus evasit.

Secundo seculo Basilidis sententiam amplexus est Cerdo, ex Tertulliano lib. de præscrip. cap. 15. & ejus discipulus Marcion, ex eodem Tertulliano lib. de carne Christi, ubi Hæreticum his verbis ad molliendum animum aptissimis compellat, cap. 3. *Parce unicæ spei totius orbis, qui destruis necessarium decus fidei. Quodcumque Deo indignum est, mihi expedit, salvus sum, si non confundar de Domino meo.* Refert S. Irenæus lib. 3. cap. 3. S. Polycarpum interrogatum à Marcione, num ipsum agnosceret, respondisse se illum nosse primogenitum diaboli.

Manes, qui à suis dictus est Manichæus, quasi manna fundens, errorem Basilidis & Marcionis tertio seculo disseminavit, ex sancto Augustino lib. de hæresibus cap. 46. Manichæis quarto seculo adhæserunt Priscillianistæ, ex sancto Leone epist. 93.

Eodem secundo seculo Valentinus Christo tribuit corpus cœleste seu aëreum, quod per Mariam Virginem veluti per canalem, nihil ex eâ accipiens, transisse finxit, ex Tertulliano lib. contra Valentinianos c. 15. Appelles Marcionis discipulus, relicto Magistro, adhæsit Valentino, ex Tertulliano, lib. de carne Christi.

Refelluntur 1°. ex Scripturâ: Sanctus Joannes contra hujusmodi fabulas primam suam epistolam scripsit. *Omnis Spiritus*, inquit c. 3. *qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est; & omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, hic est Antichristus.* Rom. 1. Christus dicitur, *ex Semine David secundùm carnem.* Texitur ejus genealogia à sanctis Matthæo & Lu-

â : in eâ autem dicitur filius David,& Abrahæ. semen Abrahæ apprehendit, Heb. 2. addit Apostolus v. 14. *quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* In ultimâ cœnâ sanguinem suum Apostolis bibendum distribuit. Post resurrectionem ait ad discipulos: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere;* Luc. 24. Videntibus discipulis cum corpore in cœlum ascendit, cum eodem iterum descendet homines judicaturus, Act. 1. Sanguinem suum in Eucharistiâ nobis reliquit, Matth. 26. & tanquam Summus Sacerdos novi testamenti in cœlum velut in sancta sanctorum, non cum alieno sanguine, sed in proprio introivit, Heb. 9.

Refelluntur 2°. ex Traditione, quam demonstrant tum Symbolum Apostolorum, in quo confitemur Christum natum ex Mariâ Virgine: tum laudati Patres, S. Irenæus, Tertullianus, S. Augustinus, qui contra hujusmodi errores pugnarunt; ac præsertim sancti Clemens Alexandrinus lib. Pædagogi cap. 2. Athanasius epistolâ ad Epictetum; Gregorius Nazianzenus Or. 42. qui ex professo docent corpus Cristi in cœlo non esse exangue.

Dices 1°. Phil. 2. dicitur Christus in similitudinem hominum factus: ergo non fuit verus homo.

Distinguo antecedens: in similitudinem naturalem & substantialem, quâ homines sunt inter se similes, concedo: similitudinem accidentalem, secundùm quam imago depicta similis dicitur prototypo, Nego anteced.

Dices 2°. Ex Apostolo I. Cor 15. *Primus homo de terrâ terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis:* ergo Verbum corpus terrenum non assumpsit.

Distinguo antecedens: secundus homo de cœlo cœlestis, vel propter personam, quæ de cœlo descendit; vel propter mores sanctos & omnino cœlestes; vel denique propter dotes gloriosas, quibus corpus ejus post resurrectionem ornatum fuit, concedo: cœlestis propter materiam sydeream, ex quâ compactum fuerit ejus corpus, Nego antecedens. Namque Apostolus vult ibidem Christianos similiter fieri cælestes: *Qualis*, inquit, *cœlestis*, *tales & cœlestes*; ad quod sanè necessum non est ut exuant substantiam terrenam & carneam.

Dices 3°. II. Cor. 5. ait Apostolus: *Etsi secundùm carnem cognovimus Christum, sed nunc jam non novimus*. Ergo Christus post resurrectionem exuit carnem.

Nego conseq. nam de omnibus hominibus, qui oculis ejus observabantur, similiter scribit: *Ex hoc neminem novimus secundùm carnem*: an inde sequitur omnes homines fuisse phantasmata. Vult itaque Apostolus veros Christi discipulos nihili facere honores, hominum favores, & cætera commoda temporalia. Novimus olim Christum secundùm carnem, hoc est, plurimi faciebamus quòd cognatus noster esset secundùm carnem, quòd apud nos temporaliter sanaverit ægros: nunc verò spiritualia sectantes, hoc præsertim in ipso spectamus, quòd pro omnibus mortuus sit, ut omnes Deo vivant, sed spirituales.

Dices 4°. Christus Luc. 8. dicit se non habere aliam matrem & alios fratres, quàm qui verbum Dei audiunt, & faciunt. Enimverò Evangelistæ ita texunt ejus genealogiam, ut credendum nobis relinquant ipsum non habuisse parentes carnales, sed spirituales.

Respondeo Christum hîc non negare Ma-

tiam Virginem esse suam matrem, sed præferre unionem spiritûs, quæ per charitatem habetur, omni conjunctioni sanguinis: sanctissima autem Virgo utramque habuit.

Quod spectat verò Christi genealogiam, quæ diversa est apud Matthæum c. 1. & Lucam c. 2. duplex est sententia. Alii volunt Matthæum texere Christi genealogiam secundùm lineam maternam; Lucam verò secundùm lineam paternam, adeo ut Heli idem sic ac Joachim pater beatæ Virginis; sive Heli & Joachim sint duo nomina ejusdem personæ, juxta sanctum Hilarium & alios; sive idem sit nomen, & Joachim per apocopen dicatur Eli, quemadmodum IV. Reg. cap. 23. idem Rex Juda vocatur Eliacim & Joakim. Alii docent Matthæum recensere parentes Christi naturales, Lucam verò legales; nempe Eli & Jacob fuisse fratres uterinos ex eâdem matre Jescâ; sed cùm Eli sine liberis defunctus fuisset; Jacob juxta præscriptum legis, duxisse ejus viduam, ex quâ genuit Josephum, qui est filius legalis Heli, naturalis verò Jacobi. Et ita Africanus apud Eusebium dicit se accepisse ex ipsismet consanguineis Josephi.

Dices 5°. Pro Lutheranis benemultis, qui duce Osiandro, ut impugnent dogma catholicum de concomitantiâ naturali sanguinis cum corpore sub specie panis, & vicissim corporis cum sanguine sub specie vini; contra Scripturæ & Traditionis auctoritatem fingere ausi sunt Christum in cœlo esse exanguem, quia sanguis est necessarius tantùm ad vegetandum & nutriendum corpus animale; est enim proximum ejus alimentum. Corpus autem gloriosum, quale est corpus Christi, non est animale, sed spirituale, I. Cor. 15. non est

nutritioni obnoxium, sicut nec mutationi; Sed est prorsus incorruptibile & immortale. Ergo.

Respondeo 1°. Argumentum nimis probat, nam sequeretur corpus gloriosum carere stomacho & intestinis, quæ nutritioni subserviunt, corde & hepate, quibus conficitur sanguis. 2°. Etiamsi sanguis non sit actu pars corporis, pertinet tamen ad naturæ humanæ constitutionem, & spiritus vitales & animales, subtiliores sanguinis partes, sunt necessaria vitæ animalis instrumenta.

Duo hîc agitantur in Scholis. Primum, utrùm corpus Christi fuerit formosum. Secundum, utrùm verbum sit immediatè unitum sanguini.

Primum est incertum; quia neque ex Scripturâ, neque ex Traditione definiri potest. Pro deformitate affertur illud Isaiæ 53. *Non est ei species, neque decor:* sed ad passionem referri potest, in quâ plagis & sputis fuit deformatus. Pro oris venustate laudantur verba Psalmi 44. *Speciosus formâ præ filiis hominum; diffusa est gratia in labiis tuis.* Sed plures è sanctis Patribus illa exponunt de animæ pulchritudine, & oris facundiâ, propter quam dicebant turbæ: *Nunquam sic locutus est homo.* Joan. 7. Non eadem quoque Patrum est sententia: antiquiores scripserunt Christum non fuisse aspectu decorum, ut sanctus Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 1. lib. 1 Stromatum. Origenes ejus discipulus objicienti Celso, qui sub Adriano floruit, Christum fuisse vultu deformem, respondet lib. 6. id quidem in confesso esse apud omnes: Tertullianus lib. contra Judæos; SS. Cyprianus lib. 2. contra eosdem; Basilius in Psal. 44. Augustinus in Psal. 127.

Sanctus Chrysostomus contra asserit homiliâ 27. in Matth. Christum fuisse aspectu gratissimum. Sanctus Hieronymus epistolâ ad Principiam scribit Christum, nisi in vultu & oculis habuisset quiddam sydereum, nunquam uno verbo Apostolos fuisse tracturum. Hanc sententiam amplexi sunt sanctus Joannes Damascenus, & alii deinceps.

Quod spectat alteram quæstionem, num Verbum immediatè sit unitum sanguini, an mediatè tantùm, & eo modo quo unitur operationibus ab humanitate Christi elicitis: Durandus in 4. Dist. 10. qu. 1. & nonnulii alii Theologi censuerunt mediatè tantùm unitum; quia sanguis non est pars corporis, ac proinde in triduo mortis sanguinem fuisse à Verbo separatum, nec latriâ tum adorandum; fuisse tamen pretii infiniti cùm effunderetur, & in redemptionem generis humani à Christo offerretur, utpote qui esset personæ infinitè dignæ, à quâ trahebat valorem infinitum, quemadmodum actiones ab humanitate Christi elicitæ.

Verùm nunc concors est Theologorum sententia, à quâ recedere non licet post decretum Clementis VI. de quo cap. 1. pag. 15. Verbum immediatè uniri sanguini.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Heb. 2. sic loquitur Apostolus: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Atqui Verbum immediatè carni communicavit: ergo & sanguini: nam Apostolus scribit similiter participasse utrique.

Probatur 2°. ex Traditione. In Concilio Chalcedonensi, actione primâ, approbatur illa explicatio sancti Cyrilli, *Verbum caro factum est*, id est, *carnem & sanguinem sumpsit*,

Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. quinquagesimâ, *Assumpsit*; inquit, *corpus ex carne, ossibus, & sanguine constans.* Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus.* de pœnit & remiss. docet unam guttam sanguinis Christi fuisse sufficiens pretium redemptionis nostræ, propter unionem ad Verbum.

Dices: Sanctus Augustinus epistolâ 3. ad Volusianum, nunc 137. scribit Verbum per animam rationalem corpus humanum sibi coaptavisse. Ergo à fortiori non assumpsit sanguinem nisi mediante animâ & corpore.

Distinguo antecedens. Per animam rationalem corpus sibi coaptavit ordine intentionis, quia propter animam rationalem assumpsit corpus humanum, concedo: ordine executionis, nego antecedens. Assumpsit itaque simul animam rationalem, corpus & sanguinem; sed priùs intendit rationem seu intellectum, quàm animam, & hanc priusquam corpus & sanguinem; quia illud priùs intenditur in opere, quod est dignius & aptius ad finem propositum. Atqui in assumptione naturæ humanæ anima rationalis est dignior corpore, & aptior ad finem Incarnationis, nempè ad reconciliandum genus humanum, & satisfaciendum Deo. Ergo.

Paragraphus II.

Christum ex Virgine natum inficiati sunt.

Primò Cerinthus & Carpocrates, qui docuerunt primo seculo beatam Virginem ex sancto Josepho Christum concepisse. Ita sanctus Irenæus lib. 1. cap. 25. Tertullianus lib. de præscrip. cap. 48. & lib. de carne Christi cap. 28.

Secundò, Jovianus quarto seculo voluit Matrem Dei, licèt in conceptione virgo permanserit, in partu integritatem amisisse. *Christum cum Manichæis phantasma crederemus, si Matris incorruptâ virginitate diceremus exortum*, inquit sanctus Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 1. Joviano præiverat Tertullianus lib. de carne Christi cap. 23.

Durandus, quamvis Mariam in partu virginem agnoscat, ejus tamen integritatem quodammodo labefactat; cùm enim corporum penetrationem non putet possibilem, vult beatissimam Virginem Christum effudisse partium dilatatione absque fracturâ aut divisione. Hanc sententiam amplectuntur Calvinistæ, eâ ratione ducti, quâ negant possibile esse Christum in Eucharistiâ existere sine extensione locali.

Tertiò, Helvidius eodem quarto seculo docuit beatam Virginem, post Christi nativitatem, ex sancto Josepho filios suscepisse, ut testatur sanctus Hieronymus libro contra eumdem Hæreticum, ubi facit illum auctorem Antidicomarianitarum, id est, Mariæ adversariorum; quanquam Origenes hær. 7. in Lucam, & sanctus Hilarius can. 1. in Matth. Helvidio antiquiores hujus hæresis meminerint. Olim extinctum Helvidii errorem plures è Novatoribus suscitarunt, ex Canisio lib. 2. de beatâ Mariâ.

Contra hos errores invicta manet catholica veritas in Concilio sexto generali, actione undecimâ his verbis expressa: *Mariæ virginitas ante partum, in partu, & post partum intemerabilis.*

Prima pars est de fide; probaturque 1°. ex Scripturâ, Matth. 1. *Quod in eâ natum est, de*

Spiritu sancto est .... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem (Isaiæ 7.) *Ecce virgo in utero habebit & pariet filium.* 2°. Ex constanti Traditione, quæ satis colligitur ex laudatis Patribus, qui contra errorem oppositum scripserunt.

Dices : Textus Isaiæ non potest intelligi de conceptione Christi ; namque Propheta ibi loquitur de conceptione & partu futuris antequam Reges Syriæ & Samariæ extinguerentur, ut patet ex v. 16. Atqui extincti sunt duo illi Reges biennio post Isaïæ vaticinium. Ergo.

Nego antecedens, & oppono auctoritatem Evangelistæ. Ad confirmationem verò sané difficilem, respondeo distinguendo majorem : Loquitur de conceptione & partu brevi futuris, & simul de aliâ conceptione per priorem adumbratâ, Concedo : de illâ solâ conceptione, nego majorem. Itaque Deus cap. 7. & 8. promittit duos filios ; unus vocatur Emmanuel, capite 7. v. 14. qui est Christus Dominus, *& nobiscum Deus.* Alter appellatus *accelera spolia detrahere*, capite 8. v. 3. Primus est veritas, & Filius Dei ; secundus est figura, & filius Isaïæ : *Accessi*, inquit, *ad Prophetissam*, cap. 8. v. 3. id est, ad uxorem. Paulò post nativitatem hujus posterioris, regnum Syriæ & regnum Samariæ privata sunt suis Regibus, in typum & figuram prioris : Christo enim nato Herodes Rex Judææ & Samariæ, & Oboda. Rex Syriæ, ex Josepho lib. 16. Antiq. cap. 6. interierunt, & eorum regna in potestatem Cæsaris Augusti devenerunt, qui & ipse erat Rex Assyriorum. Sed longè nobiliori modo natus puer festinavit prædari, cùm in ortu suo oraculis Gentilium silentium

impoſuit, multa idola contrivit, teſte Dione & aliis Scriptoribus profanis; Magos ad ſuum præſepe, non revinctis manibus, ſed liberis affectibus ſupplices & adoratores attraxit.

Secunda pars, quæ eſt de virginitate in partu, probatur 1°. ex laudato Iſaiæ teſtimonio, *Ecce virgo concipiet & pariet*: ibi enim Mater Dei prædicitur virgo æquè in partu ac in conceptione; 2°. ex conſtanti Eccleſiæ Traditione. In Symbolo Apoſtolorum Chriſtus dicitur *natus ex Mariâ Virgine*. Sanctus Epiphanius hæreſi 78. *Quis unquam, ait, aut quo ſeculo auſus eſt proferre Mariæ nomen, & interrogatus non ſtatim intulit virginis vocem? ex ipſis enim nominibus etiam virginitatis ſigna elucent.* Patres communiter comparat egreſſum Chriſti ex utero Virginis cum exitu ejus de ſepulcro lapide non reſerato, & ingreſſu in cœnaculum januis clauſis. Ita Sanctus Cyrillus in Concilio Epheſino: *Miraculum hoc, inquit, ſtupidum me reddit.* Sanctus Auguſtinus Epiſt. 137. aliàs 3. *Ipſa virtus per inviolatæ matris viſcera, membra infantis eduxit, quæ poſteà per clauſa oſtia membra juvenis introduxit. Hîc ſi ratio quæritur, non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod non fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Quæ verba Concilium Toletanum ſecundum in eamdem rem uſurpat. Contra Durandum verò expreſſa ſunt ſancti Chryſologi verba, ſer. 142. *In tuo conceptu, in tuo partu, crevit pudor, aucta eſt caſtitas, integritas roborata*, Item Guarrici h. 2. de laudibus Virginis: *Nequaquam Rex gloriæ vincula laxavit, aut dilatavit.* Rationem affert Auctor ſermonis vulgati ſub nomine ſancti Auguſtini, aliàs 15. de Tempore,

nunc 123. in appendice, *Qui dirupta corporum membra in aliis poterat redintegrare tangendo, quantò magis in suâ matre quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit in ejus partu integritas corporis potiùs quàm decrevit, & virginitas ampliata est potiùs quàm fugata.* Sancto Fulgentio tribuitur à Lovaniensibus.

Dices: Patres communiter docent Christum nascendo vulvam matri aperuisse. *Hic est,* inquit Sanctus Epiphanius hæresi 78. *qui verè aperuit uterum matris.* Ergo.

Distinguo antecedens. Aperuit vulvam matris, quatenus dedit ei fœcunditatem, quemadmodum dicitur Gen. 20 vulvam claudere, qui sterilem reddit, Concedo: aperuit propriè, Nego antecedens. Hæc solutio est sancti Hieronymi, Dialogo 2. contra Pelagium, ubi sic loquitur: *Solus Christus clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt.*

Tertia pars, scilicet Matrem Dei nunquam virum cognovisse, & permansisse virginem post partum, probatur ex constanti Ecclesiæ Traditione, cujus testes sunt Patres, qui Helvidii & Bonosi errorem tanquam doctrinæ catholicæ contrarium insectati sunt, ut sanctus Hieronymus libro contra Helvidium; sanctus Ambrosius epistolâ 81. ad Siricium summum Pontificem, nomine Concilii Mediolanensis. Sanctus Siricius cum Concilio Romano, epistolâ quæ est octogesima inter epistolas sancti Ambrosii, habeturque tom. I. Conciliorum. Sanctus Epiphanius hæresi 78. Sanctus Martinus Papa in Concilio Romano, Can. 3. Sanctus Joannes Damascenus lib. 4 cap. 15. & alii; colligitur ex Scriptura, Lucæ 1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quibus verbis beata

Virgo significat suum propositum servandæ virginitatis : Namque Christus Joannem pro filio non dedisset Matri, Joan. 19. si hæc habuisset naturales filios.

Dices 1°. Fratres Christi sæpe in Evangelio comparent. Ergo.

Respondent plures ex sanctis Patribus Josephum viduum duxisse beatam Virginem, & filios quos ex primâ uxore susceperat, vocari fratres Domini. Alii probabiliùs censent Josephum perpetuam virginitatem servasse, fratres autem Domini esse cognatos ejus ; mos enim Judæorum erat vocare fratres quoscunque consanguineos, Genes. 13. Abraham & Loth appellantur fratres, sicut Jacob & Laban Gen. 29. Jacobus minor filius Cleophæ seu Alphæi, vocatur ab Apostolo Gal. 1. frater Domini ; & Simeon Jerosolymitanus, fratres Jacobi, dicitur etiam frater Domini, ex Hegesippo apud Euseb. lib. 3. Hist. c. 10. & 16.

Dices 2° Matth. 1. legitur de sancto Josepho, *& non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* Ergo beata Virgo post nativitatem Christi alios filios peperit.

Nego conseq. Christus dicitur Mariæ primogenitus, quemadmodum Sapientia æterna primogenita, quia ante Christum & Sapientiam æternam alius non est genitus. Quod autem legitur, *non cognoscebat*, non sequitur quòd posteà convenerint, sed Scriptura quid factum non sit ostendit, ait sanctus Hieronymus in cap. 1. Matth. nam, ut scribit sanctus Basilius hom. 25. de humanâ Christi generatione : *donec dispensabatur Christi generatio, necessaria erat virginitas : quid verò posteà sit factum, ad mysterii hujus doctrinam non anxiè conjungendum est ? Veruntamen, nec hoc, eorum, qui Christum*

amant, ferre cogantur aures, quòd Genitrix Dei aliquando desierit esse virgo, has rationes sufficere putamus.

PARAGRAPHUS III.

Non agnoverunt in Christo animam rationalem.

PRimò Arius, qui cùm quarto seculo Verbum divinum Patre inferius & minimè consubstantiale profiteretur, non dubitavit asserere ipsum in Christo instar animæ extitisse, ex S. Athanasio, libro de adventu Christi Epiphanio hæresi 69. & aliis. Unde Patres, qui contra hunc Hæreticum pugnarunt, posteriorem ejus errorem confutatum credidêre eo ipso, quo Verbum Patri consubstantiale evicerunt; neque enim videbatur posse venire in cujusquam mentem Deum verum factum esse corporis animam. Nihilominus.

2°. Apollinaris seu Apollinarius, secundùm sanctum Hieronymum Laodicæ Episcopus, filius alterius Apollinaris professione Grammatici, vir priùs magni nominis, & contra Arianos & alios Hæreticos catholicæ veritatis defensor acerrimus, de quo sanctus Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, refert ipsum scripsisse innumerabilia volumina, & ejus adversùs Porphirium triginta libros inter cætera ejus opera vel maximè probari: docuit eodem quarto seculo, Verbum assumpsisse corpus humanum sine animâ, cujus vicem suppleret, atque adeo Verbum fuisse passum. Cùmque ipsum hæreticæ amentiæ puderet, admisit animam, sed rationem negavit, juxta Platonicorum placita inter animam & mentem distinguentium. *Videte*, inquit sanctus Augustinus tractatu 47. in Joan. *absurditatem &*

insaniam non ferendum; animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt: dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt animam hominis.

Refellitur absurdissimus error, non minùs rationi repugnans, quàm fidei; & origo multarum hæreseum, præsertim Eutychianorum & Monothelitarum, de quibus infrà: 1°. ex Scripturâ, Marci 14. Christus ait ad discipulos: *Tristis est anima mea usque ad mortem*: & in oratione procidens, subdit ad Patrem, *sed non quod ego volo, sed quod tu.* Atqui tristitia illa, oratio & voluntas non sunt actus naturæ increatæ, sed creatæ & rationalis: ergo; 2°. ex omnibus Conciliis, in quibus Apollinaris cum suâ impietate damnatus est: Alexandrino anno 362. Romano sub Damaso, anno 373. Antiocheno, anno 378.

Paragraphus IV.

Unionem hypostaticam seu personalem negarunt.

Primò Nestorius olim cum Joanne Antiocheno auditor Theodori Mopsuesteni, ac Diodori Tarsensis, ex Monacho, dehinc Presbytero Antiocheno, ob eloquentiæ ac sanctitatis famam creatus Episcopus Constantinopolitanus anno 428. voluit hominem in Christo per gratiam sanctificantem moraliter duntaxat esset unum quid cum Verbo, quemadmodum de omnibus justis scriptum est 1. Cor. 6. *Quid adhæret Domino, unus spiritus est*, & eatenus Christum impropriè & metaphoricè dici Deum, Filium Dei beatam Virginem esse Matrem Dei, juxta illud Matth. 12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror & mater est.* Ex quo falso principio impiè dedu-

xit, 1°. in Christo duas esse personas, divinam scilicet & humanam: 2°. duos filios, unum naturalem, alterum adoptivum: quem errorem octavo seculo suscitarunt Felix & Elipandus, de quibus primo capite: 3°. beatam Virginem non esse propriè Deiparam, sed Christiparam: 4°. nullam in Christo esse idiomatum communicationem, nec propriè dicendum, *Homo est Deus; Deus est natus, passus, mortuus.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus plurimis ad Nestorium epistolis frustra scriptis, commonuit Celestinum summum Pontificem, qui ex communi Romani Concilii sententiâ vices suas Cyrillo demandavit, præcipiens ut Nestorium, nisi intra decem à primâ monitione dies impia dogmata revocaret, Episcopali honore & sede privatum declararet. Cyrillus ex consilio Episcoporum, quos ex universâ Ægypto asciverat, decretum Celestini cum duodecim celebratissimis anathematismis ad Nestorium misit, qui statim totidem anathematismos oppositos in Sanctum Cyrillum detorsit. Hinc magna controversia, ad quam terminandam generale Concilium Ephesi indicitur anno 431. Nestorius ad Concilium accedere contempsit, licèt vocatus & monitus, interim palàm affirmare non desinens se bimestrem aut trimestrem Deum appellare non posse. Quocirca omni Sacerdotis gradu & Christiani nominis communione privatus est, ad pristinum suum Monasterium relegatus, ac deinde Oasim in Armeniam deportatus, ubi vitâ excessit, linguâ maledicâ vermibus scaturiente.

Nonnulli è Novatoribus Nestorium excusare præsumunt, atque in odium Concilii Ephesini, in quo habentur egregia monimenta cultûs Beatæ Virginis, & præsentiæ realis in

Euchariſtiâ, contendunt ipſum erraſſe in facto; probaturque 1°. ex ſcripturis Neſtorii ſer. 4. ubi ait: *De voce* (Deipara) *nulla eſt invidia tantùm ne Virginem faciat Deam.* Ser. 12. *Naturæ ſunt duplices, Filius ſingularis.* Epiſtolâ ad Cyrillum laudat illum, quod divinitatis & humanitatis conjunctionem in unum Chriſti perſonam prædicaret; conteſtaturque ſe ſolum vitare velle Apollinaris errorem quo beatam Virginem deitatis genitricem aſſerebat. Unde Socrates Neſtorio coætaneus ſcribit lib. 7 Hiſt. cap. 32. Neſtorium imperitiâ tantùm quaſdam voces ut larvam reformidaſſe. Secundò, Joannes Antiochenus & Theodoretus, cum Noſtorio amicitiâ conjuncti, affirmant ſanam eſſe Neſtorii doctrinam; ipſam proſcribere; idem eſſe ac pietatem anathematizare. Tertiò etiamnunc Neſtoriani idem cum Catholicis ſentiunt, licèt diverſis vocibus mentem ſuam exprimant.

Reſpondeo ad ſingula.

Ad primum. Neſtorius unam in Chriſto perſonam, Matrem Deiparam confitetur ſubdolè, ſcilicet propter unionem moralem hominis cum Deo, Concedo; ſincere & propriè, Nego. Enimverò Hæretici, ut invidiam Catholicorum vitent, eorum voces æquivocè uſurpant. Sic Pelagius Patres Dioſpolitanos decepit, ſubſcribens eorum difinitioni, gratiam ad bene operandum eſſe omnino neceſſariam. Nomine autem gratiæ intellexit creationem & conſervationem. Sic Ariani confeſſi ſunt Filium Dei eſſe Patri per omnia ſimilem, ſed eo modo, quo perfecta tabella eſt ſimilis ſuo prototypo. Hanc attem in Neſtorio agnoverunt Patres in Concilio quinto generali, Can. 8. anno 553. *Siquis unam ſubſiſtentiam Do-*

mini nostri Jesu Christi sic intelligit quasi suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem ...., & duarum personarum, quas introducit, unam personam dicit propter dignitatem, & honorem & adorationem, sicut Theodorus (Mopsuestenus) *& Nestorius scripserunt; anathema sit.* Et Can. 6. notat eum dixisse Dei genitricem abusivè, non verè. Nam serm. 7. ait, *Maria non peperit Deum, sed peperit hominem divinitatis instrumentum.* Mirum autem non est Socratem Historicum & minimè Theologorum verbis æquivocis Nestorii fuisse deceptum.

Confirmatur responsio. Si Nestorius rectè sensisset, cur non subscripsit definitioni Concilii Ephesini, in quo detractâ larvâ, quæ metum injiciebat, impium dogma Apollinaris explosum est, & nitidè definitum, unionem factam esse in personâ? Cur non acquievit sanis consiliis familiarium Joannis Antiocheni & Theodoreti, etiam post compositam pacem Cyrillum inter & Joannem; nam à Cyrillo tanquam ab Apollinaristâ Joannes recesserat. Denique cur Nestoriani Magistri vestigiis inhærentes hactenus à Catholicis separati permanent, nec ab illis redeuntes ab Ecclesiâ suscipiunt, nisi ejuratâ hæresi, & emissâ novâ professione?

Ad secundum distinguo. Joannes Antiochenus & Theodoretus sanam Nestorii fidem affirmarunt, quandiu ejus errorem compertum non habuerunt, nihil sinistri suspicantes de amico, quem pium & orthodoxum fuerant experti, quique venenum sui erroris vocibus catholicis obvelabat, Concedo: postquam obfirmatum ejus animum in impietate deprehenderunt, Nego. Nam & Joannes Antiochenus auctor

auctor fuit, ut Nestorius è Monasterio, ubi plebem Antiochenam depravabat, in exilium ejiceretur & Theodoretus, qui quidem seriùs Nestorii vafritiem detexit, lib. 4. hæreticarum Fabularum cap. 12. Nestorii doctrinam inter hæreses recensuit, eique anathema dixit in Concilio Chalcedonensi.

Ad tertium patet solutio ex responsione ad primam objectionem.

Secundò, Eutyches Archimandrita, seu Abbas Monasterii Constantinopoli, dum Nestorianos acriùs insectaretur, ex imperitiâ potiùs, quàm ex malitiâ, incidit in oppositum errorem, qui majores motus excitavit, Ecclesiamque per centum annos & ampliùs valde turbavit; sed Aulicorum, & maximè Imperatricis simul & Monachorum patrocinio fretus, magna cum impietate & pertinaciâ defendit quod inconsultè protulerat, nimirum, unionem factam fuisse in naturâ, ita ut in Christo unica sit natura sicut & persona. Anno 448. coram Flaviano Episcopo Constantinopolitano accusatus, à præconceptâ opinione dimoveri non potuit; quapropter Sacerdotii honore & Monasterii administratione spoliatus est à Synodo, cujus acta ad sanctum Leonem, qui tertius post S. Celestinum Romæ sedebat Pontifex transmissa comprobata sunt. Verùm cùm patroni Eutychetis multa contra Synodum objicientes non quiescerent, indictum est Concilium generale Ephesi celebrandum anno 449. In eo præfuit Dioscorus Episcopus Alexandrinus, sancti Cyrilli successor, & amicus Eutychetis, simul cum Legatis summi Pontificis. In hóc autem Concilio jus omne sic violatum est, ut meritò latrocinium vocatum fuerit. Legati summi Pontificis non sunt auditi, nec

ejus epiſtola lecta prohibente Dioſcoro: S. Flavinius exauctoratus eſt, pugnis & ictibus impetitus martyr occubuit, Eutyches verò in integrum reſtitutus fuit. Quibus auditis, S. Leo conciliabuli acta reſcidit, Dioſcorum damnavit, qui & ipſe contra ſummum Pontificem excommunicationis ſententiam proferre auſus eſt. Dolet Theodoſius Imperator ſe ab uxore & Aulicis fuiſſe deceptum, & moritur; ſuccedit Marcianus Imperator piiſſimus. Chalcedone celebratur Concilium generale quartum, anno 451. in quo Legati ſancti Leonis præſident, abrogatur latrocinium Epheſinum, aſſeritur duplex in Chriſto natura; Eutyches ob hæreſim damnatur, Dioſcorus omni dignitate exuitur, Theodoretus tandem dicit anathema Neſtorio, alioquin è Concilio ejiciendus.

Cùm verò Eutyches nunquam explicare voluerit, quo ſenſu diceret poſt unionem, unicam ſupereſſe naturam; ſectatores ejus inter ſe ſunt diviſi. Triplicem enim modum Hæreticus ille comminiſci potuit, nempe commixtionis, compoſitionis, & converſionis. Duo priores evidenter repugnant: namque in commixtione ſubſtantiali, ſubſtantiæ quæ commiſcentur, deſinunt eſſe quod erant priùs: & ex eis tertia exurgit, ut videre eſt in pharmaco ex multis herbis confecto, ſicque in Chriſto nec natura divina, nec humana ſupereſſent, ſed alia tertia ex ambabus exurgens. Quid autem abſurdius, quàm naturam divinam deſiiſſe? Non minùs evidenter repugnat ex naturâ divinâ & humanâ fieri unam naturam per compoſitionem. Vel enim compoſitum ex naturâ divinâ & humanâ eſſet tôtum eſſentiale, ſicut homo compoſitus ex naturâ & animâ rationali; Manifeſtè autem contradictorium eſt & chimericum, duas naturas

integras & completas in unam essentiam coalescere, putà in hircocervum; præterquam quod id non fieret sine mutatione, quæ non cadit in divinam naturam: Vel compositum esset totum integrale, quemadmodum ex multis aquæ guttis fit una moles & unum continuum, quod rebus corporeis & quantitate affectis solùm convenit. Restat ergo in Incarnatione, ad mentem Eutycheris, ambas naturas in unam confluxisse per conversionem unius in aliam, adeo ut quemadmodum in Eucharistiâ panis fit corpus Christi, sic in hoc mysterio Verbum caro fit factum, non per assumptionem carnis, quemadmodum cæcus natus (Joan. 9.) factus est videns per receptionem visûs; sed per conversionem unius naturæ in aliam. Neque hîc sistere possunt Eutychiani; si enim Verbum caro factum est per conversionem, sicut panis fit corpus Christi, Verbum æternum & immutabile post incarnationem non existit, sicut nec panis post consecrationem. Quis verò non horreat tantam blasphemiam? nec ipsi Eutychiani eam proferre audent, sed communiter definiunt naturam humanam in Deum esse conversam, & carnem Verbum esse factam; ex quâ vulgari eorum opinione sequitur Trinitatem passam fuisse, proptereà huic trisagio, *Sancte Deus*, *Sancte fortis*, *Sancte immortalis*, addiderunt, *qui passus es pro nobis.* Et hi dicti sunt Theopaschitæ, Petro Knapheo duce Episcopo Antiocheno. Postmodum varia sortiti sunt nomina deducta ab iis, qui sectam novis erroribus diviserunt, v. g. Severiani à Severo Monacho, qui in sedem Antiochenam intrusus est; Jacobitæ à Jacobo Cyro ignobili, quem faciunt auctorem sectæ Armenorum; Gaianitæ à Gaiano Episcopo Ale-

xandrino, qui sententiam Juliani Episcopi Halicarnensis asserentis Christum impassibile, amplexus est; unde & Incorrupticolæ dicti sunt.

Refellitur duplex ille capitalis error, scilicet, quòd in Christo duplex sit persona, & unica natura, quomodocunque tandem illa naturæ unitas explicetur? 1°. ex Scripturâ, cujus unum textum Philip. 2°. ex benemultis proferre sufficiat, ubi Apostolus de Christo sic loquitur: *Cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus; & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem .... propter quod & Deus exaltavit illum.* Hìc de Christo manifestè prædicantur duæ naturæ; alia quæ est in formâ Dei; alia, quæ est in formâ servi. Per primam, est æqualis Deo; per secundam, similis hominibus: hæc alteri obediens est usque ad mortem, propter quod illa exaltatur, ista exaltat. Prædicata autem tam opposita non possunt convenire uni & eidem naturæ: ergo in Christo revera duæ sunt naturæ. Sed illa prædicata quantumcunque opposita de eodem supposito & de eâdem personâ enuntiantur: idem enim est Patri æqualis, hominibus similis; seipsum exinanivit, formam servi accepit, factus est obediens usque ad mortem, & exaltatus. Ergo Christus est una persona, unum suppositum; nihil clarius.

Confirmatur. Deus infundens gratiam sanctificantem, & alia Spiritûs-sancti dona, per quæ moraliter unitur homini, non dicitur, nec potest dici exinaniri, fieri obediens, & mori obediente & occumbente justo. Atqui per Incarnationem hæc omnia de Deo dicuntur: ergo per Incarna-

tionem naturæ humanæ unitur substantialiter & hypostaticè.

Refellitur 2°. hæc eadem tum Nestorianorum, tum Eutychianorum impietas ex Traditione: 1°. ex Symbolo Nicæno & Constantinopolitano, in quo Patres confitentur Filium Dei Patri consubstantialem descendisse de cœlis, incarnatum, natum ex Mariâ Virgine, hominem factum mortuum resurrexisse, & ascendisse in cœlum. Hanc autem fidei professionem expendentes Patres Ephesini & Chalcedonenses, censuerunt tam luculenter continere suas definitiones de unicâ in Christo personâ, & duplici naturâ, ut laudato Symbolo quidquam addi aut interferi prohibuerint. 2°. ex Patribus. Sanctus Ignatius epistolâ ad Ephesios sic scribit: *Verbum caro factum est, incorporalis in corpore, immortalis in corpore mortali.* Sanctus Augustinus lib. 2. contra Maximinum cap. 10. *Christus,* inquit, *una persona est, gemina substantia, quia Deus & homo est.* Non minùs expressa scribit Enchiridii capite 25. Vide actionem secundam Concilii Chalcedonensis, in quâ antiquiorum testimonia congeruntur.

Dices pro Nestorio: antiquiores vocant Christum divinitatis instrumentum, Deiferum, templum divinitatis, hominem divinum: ergo.

Distinguo antecedens. Vocant aliquando, & recto sensu, Concedo: semper, & pravo Nestorii sensu, Nego antecedens. Revera Christus est instrumentum divinitatis, sed hypostaticè unitum: est Deifer, & templum ejus: quia divinitas in ipso habitat, sed corporaliter, ait Apostolus, id est, hypostaticè.

Instabis: S. Chrysostomus homiliâ 3. in pri-

mum caput ad Hebræos, scribit in Christo duas esse personas, duo prosopa, Deum & hominem: addit personas secundùm hypostasim distinctas. Ergo.

Respondeo 1°. Etsi daremus adversariis sanctum Chrysostomum à traditâ veterum Patrum doctrinâ recedere; propterea non nutaret fides nostra: quid enim unus contra omnes; Sed absit ut impium illum errorem tribuamus sancto Doctori, utpote qui potenter illum subvertat epistolâ ad Cæsarium, in quâ sic habet: *Pium est Christum, qui morte circundatus est, conferi in divinitate perfectum, & in humanitate perfectum; unum filium unigenitum non dividendum in filiorum dualitatem, habentem tamen in semetipso indivisarum duarum naturarum minimè confusas proprietates, non alterum & alterum, absit; sed unum & eumdem Dominum Jesum Christum, Dei Verbum, carne amictum, & eâ non inanimatâ & sine mente, ut impius Apollinarius dixit.... Etsi duplex natura, verumtamen indivisibilis & indissipabilis unitio, quam in unâ filiationis confitemur personâ, & unâ subsistentiâ & hypostasi.* Ergo S. Chrysostomus non tam conciliandus est cum aliis sanctis Patribus quàm cum semetipso.

Respondeo 2°. variam esse lectionem hujus homiliæ: alii enim legunt duas personas & Deum, alii duas personas ad Deum, ità ut sensus sit, Pater ungens, & Filius unctus, ut habetur Psal. 44. sunt duæ personæ & unus Deus; & ita exponit eumdem Apostoli locum Theophilactus S. Chrysostomi discipulus. Scopus etiam sancti Doctoris id postulare videtur; ait enim hoc Apostoli textu confodi Sabellium & Judæos, qui personarum pluralitatem negant. Alii hæc S. Chrysostomi verba intelligunt de

Christo sine ordine ad Patrem, velleque sanctum Doctorem in illo esse duas personas seu hypostases, sed impropriè dictas. Nomen enim personæ apud veteres sæpè usurpatum est pro naturâ, aliquando etiam pro diversis naturæ officiis & proprietatibus. Eo sensu Philosophi dixerunt tria esse animæ nostræ prosopa seu personas; quia tribus fungitur muneribus. Sabellius, qui Patrem & Filium & Spiritum-Sanctum non distinxit: tres tamen in Deo personas, tria prosopa non refugit. Eodem sensu S. Athanasius epistolâ ad Antiochenos, duas in Christo personas, hominis assumpti, & Verbi Dei assumentis, asseruit. Imò S. Leo, acerrimus vindex unius in Christo personæ, & duplicis naturæ, serm. 3. de Epiphaniâ cap. 2. triplicem personam in Christo agnoscit, regiam, divinam & humanam.

Dices 2°. pro Eutychete: S. Irenæus lib. 2. cap. 21. Tertullianus Apologet. cap. 21. S. Augustinus epist. 137. ad Volusianum, num. 11. incarnationem vocant mixtionem. Ergo in Christo naturæ confusæ sunt, & in unam mixtæ.

Nego consequens, nomine enim mixtionis intelligunt intimam & supernaturalem naturarum unionem in hypostasi. *In hâc personâ*, inquit sanctus Augustinus, laudatâ epistolâ, *mixtura est Dei & hominis; si tamen recedat auditor à consuetudine corporum, quâ solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam.*

Instabis 1°. S. Gregorius Nyssenus lib. 4. contra Eunomium, & lib. contra Apollinarem, scribit, hâc mixtione naturam humanam in divinam transiisse, quemadmodum aceti gutta pelago immixta naturalem qualitatem in præ-

valentis immensitate deperdit. Ergo.

Distinguo antecedens. Natura humana in divinam transiit quoad defectus, qui sunt peccati consectaria, ut concupiscentia, passionum inordinatio, ignorantia, ægritudo, Concedo: quoad substantiam & naturales proprietates, Nego antecedens: illas enim in Christo permansisse probat contra Apollinarem.

Instabis 2°. S. Cyrillus epist. 1. ad Successum unam prædicat Christi naturam: & epist. 2. scribit: *Duas quidem naturas asserimus, post unionem verò, sublatâ divisione in duas, unam esse credimus filii naturam tanquam unius; sed inhumanati & incarnati*; addit illas naturas in Christum coaluisse, quomodo in hominem conveniunt anima & corpus. Ergo.

Respondeo 1°. multos equidem, ut Joannem Antiochenum & Theodoretum, in S. Cyrillum, tanquam Apollinaristam, insurrexisse; Eutychetem & ejus asseclas illo veluti magistro & patrono solitos gloriari; necnon è Calvinistis quosdam etiam nunc contendere sanctum Doctorem Eutycheti prælusisse. Sed immeritò; namque 1°. S. Celestinus in epistolâ ad eundem S. Cyrillum significat se ejusdem cum illo fidei, fidem catholicam ab eo esse firmatam, & per eum triumphasse: & in epist. ad Joannem Antiochenum sanctum Cyrillum vocat summum Ecclesiæ catholicæ defensorem. 2°. Concilium Ephesinum, actione primâ, & Chalcedonense actione primâ, secundâ & quintâ, ejusdem sancti Doctoris epistolas probarunt & laudarunt; ac tandem Concilium quintum damnavit scripta Theodoreti contra Sanctum Cyrillum exarata. 3°. Ipsemet S. Cyrillus sæpius in suis scriptis hæresim Eutychianam confodit:

Non quòd naturarum differentia, inquit, epistolâ ad Nestorium, *unione sublata sit; sed quòd unum nobis Dominum Jesum-Christum divinitas & humanitas effecerint.* Et lib. 3. contra Nestorium: *Altera res divinitas, altera naturæ similis humanitas, si eam, quæ naturalis inest, rationem consideres: verùm conventione, quæ in veram unionem fit, unus ex ambabus Christus existit.* Quin ipsemet epistolâ secundâ ad Successum diluit criminationem, quâ fama ejus proscindebatur propter verba in objectione allata. *Si*, inquit, *cùm unam diximus naturam, tacuissemus, nec statim adjunxissemus incarnatam, probabilitate fortè non careret eorum sermo; sed quoniam humanitatis perfectio, & eadem nobiscum substantiâ eâ voce exprimitur, desinant confidere super baculum arundineum.*

Respondeo itaque 2°. distinguendo antecedens, juxta explicationem S. Cyrilli. Una est filii natura incarnata, id est, carni seu humanitati substantialiter unita, Concedo: una est simpliciter & absolutè, Nego antecedens. Enimverò *qui unam Christi naturam incarnatam agnoscit*, inquit Theodoretus Dialogo 2. *eo ipso duplicem in Christo naturam confitetur; alia enim est, quæ carnem assumat, alia verò carnis assumptæ.* Et eo loquendi modo multi post S. Cyrillum usi sunt ad exprimendam contra Nestorium unionem substantialem & hypostaticam, quâ fit ut sola divinitas in se subsistat, humanitas verò in alio, nempè in Verbo. Unde familiare fuit Patribus asserere post unionem unam in Christo naturam subsistentem, sed incarnatam, id est, non sine carne seu humanitate, ut explicat Martinus I. in Concilio Romano contra Eutychianos, qui sub hâc loquendi formulâ venenum sui erroris occultabant

quamvis ipse Eutyches in Synodo Constantinopolitanâ confiteri detrectaverit unam naturam Verbi incarnatam.

At, inquies, quomodo Sanctus Cyrillus potuit dicere duas naturas ante unionem; cùm natura humana in primo instanti fuerit Verbo unita.

Dixit ante unionem, non prioritate temporis, sed prioritate naturæ; quia priùs natura concipitur in suo esse constituta, quàm uniatur, quamvis in eodem instanti temporis utrumque extiterit.

Paragraphus V.

Christum doloribus obnoxium negaverunt.

PRimò Valentinus, ex S. Clemente Alexandrino lib. 3. Stromatum. 2°. Eutychiani incorrupticolæ ex Acephalorum grege, id est, eorum qui fuerunt sine capite, ex quo à Petro Moggo Episcopo Alexandrino recesserunt, eo prætextu, quòd Concilio Chalcedonensi anathema palàm dicere dissimularet. Hanc hæresim multum adjuvit Justinianus Imperator, uxore suâ Eutychianâ deceptus, cùmque excandesceret, in orthodoxos strenuè adversantes, exiliique pœnam esset decreturus, repentinâ morte sublatus est anno 565. superstitibusque graves de suâ salute dubitandi rationes vir anteà de Ecclesiâ bene meritus reliquit.

Refellitur hic error, 1°. ex Scripturâ. Isaïæ 53. Christus dicitur Vir dolorum, sciens infirmitatem. Matth. 4. esuriit Joan. 4. fatigatus est ex itinere. Matth. 26. ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Luc. 22. factus est in agoniâ, &

factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis, & apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum, Luc. 24. *oportuit Christum pati.* 2°. ex Traditione. In Symbolo Apostolorum & Constantinopolitano Christus dicitur passus. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 7. scribit ipsum passionibus humanis fuisse objectum. Ita Origenes lib. 1. contra Celsum, S. Athanasius libro de Incarnatione.

Dices 1°. S. Dionysius Alexandrinus contra Paulum Samosat. docet Christum tristatum, sicut de Spiritu Sancto legitur Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum Sanctum.* Atqui illud posterius metaphoricè dicitur: ergo & prius.

Distinguo majorem: Christum ut Deum metaphoricè tristatum, Concedo; ut hominem, Nego majorem. Nempè quæstio versabatur Dionysium inter & Paulum, utrùm Christus esset verus Deus. Paulus colligebat esse purum hominem, ex eo quòd tristatus esset. Sanctus Doctor contrà arguebat Deum in Christo fuisse tristatum, quemadmodum Spiritus-Sanctus dicitur gemere, orare, & contristari in justis.

Instabis: atqui S. Dionysius docet Christum, etiam ut homo est, fuisse metaphoricè contristatum; docet enim sanguinem ejus non fuisse corruptioni obnoxium.

Nego subsumptum, cujus confirmationem distinguo. Docet sanguinem corruptioni actuali non fuisse obnoxium, Concedo: corruptioni naturaliter possibili, Nego. Enimverò Paulus contendebat sanguinem Christi effusum, fuisse corruptum, ac proinde non fuisse à Verbo assumptum, nec dicendum Dei sanguinem. Sanctus Dionysius hoc ratiocinium destruit, exemplo Spiritûs Sancti, quem Propheta Joël prædixit effundendum super omnem carnem. Si enim

Spiritus-Sanctus non est corruptus, licèt effusus; neque credendum est sanguinem è Christo fusum fuisse corruptum.

Dices 2°. S. Hilarius lib. 10. de Trinitate fusè probat Christum non habuisse doloris sensum. *Quamvis*, inquit, *ictus incideret, aut vulnus descenderet .... afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent.* Et hoc explicat exemplis aquæ, ignis & aëris, quæ si verberentur, perforentur aut dividantur, minimè sentiunt. Ergo.

Respondeo 1°. à pluribus seculis inter Catholicos agitari quæ in hâc parte fuerit mens S. Hilarii. Erroris eum accusarunt Claudianus Mamertus lib. 2. de statu animæ cap. 9. Baronius ad annum 563. num. 4. Illum contra vindicant Lanfrancus contra Berengarium hanc noxam Hilario impingentem; Magister Sententiarum in tertium; Sanctus Bonaventura in tertium dist. 16. quæst. 5. Sanctus Thomas tertiâ parte, & omnes passim Theologi. Alii existimant Sanctum Doctorem incidisse quidem in hunc errorem, sed revocasse; ut Guillelmus Parisiensis, teste Sancto Bonaventurâ, citato loco; & Petavius lib. de Trinitate, cap. 5. Namque sanctus Hilarius sententiam catholicam disertè exprimit in Psal. 53. num. 7. *Esurivit*, inquit, *sitivit, dormivit, lassatus fuit, mœstus fuit, & flevit, & passus, & mortuus est.* In Psal. 44. num. 6. *In eum*, inquit, *omnia quæ nostræ necessitatis sunt, irruerunt; sed ab eo naturæ suæ virtute suscepta sunt, dum mortem nostram potens non mori, etiam timorem in se morti ingruentem non renuit.* In Psal. 68. num. 23. *Percussus est Dominus peccata nostra suscipiens, & pro nobis dolens*, num. 25. *Gerens hominis Deique naturam, habet, & ex hominis infirmitate trepidationis affectum, & ex*

conscientiâ Deitatis fiduciam securitatis.

Respondeo 2°. juxta communem Theologorum sententiam, sanctum Hilarium secum conciliari posse, nec contraria scripsisse in opere de Trinitate, ex quo desumpta est objectio, & in Commentario super Psalmos: namque lib. 10. de Trinitate num. 47. sic scribit: *pro nobis dolet.* num. 55. *flevit & doluit.* num. 67. *Passus quidem est unigenitus Deus quæ homines pati possunt.* Absit enim tam firmum Ecclesiæ propugnaculum alicubi cecidisse, cujus opera inoffenso pede decurri posse testatus est sanctus Hieronymus epistolâ septimâ. Itaque non doluit Christus, ictuum tela non sensit ex necessitate & conditione naturæ, quæ concepta est de Spiritu-sancto, immunis ab omni peccato sicut caro Adami, & hypostaticè unita Verbo: quomodo enim natura, quæ suo tactu febres fugabat, suo eloquio & suâ virtute discipulos contra mortem firmabat, hujusmodi infirmitatibus fuisset obruta, ait sanctus Doctor? sed illas affectiones humanas liberâ voluntate & ex charitate immensâ erga discipulos admisit. *Pro his*, inquit cap. 31. in Matth. *rogat dicens: Transeat à me calix: id est, quomodo à me bibitur ita & ab iis bibatur sine spei diffidentiâ, sine sensu doloris, sine metu mortis*, id est, sine sensu aut metu animam obruente.



Paragraphus VI.

Ex Apollinaristarum & Eutychianorum principiis unam in Christo voluntatem docuerunt septimo seculo.

Cyrus Episcopus Alexandrinus, Macarius Episcopus Antiochenus, Sergius Episcopus Constantinopolitanus, & ejus successores Pyrrhus & Paulus. Cyro fortiter repugnavit sanctus Sophronius adhuc Monachus: tum promotus ad sedem Jerosolymitanam, coactâ Synodo, nascentem hæresim proscripsit.

Sergius callidè scripsit ad Honorium summum Pontificem, ut duarum voluntatum perinde ac unius professione abstinendum decerneret, maximè cùm antiqui Patres hujusmodi quæstionem silentio compressissent, & duarum voluntatum prædicatio contrarietatem in Christo invehere videretur. Honorius incautè assensit Sergio, & paulò pòst defunctus successorem habuit Severinum. Sergius, Litteris Honorii acceptis, cum Cyro & Theodoro Heraclium Imperatorem jam titubantem facilè in præceps impulit, suisque conciliis effecit, ut Ectesim ederet, hoc est, fidei expositionem, statuens ne quis unam aut duas in Christo voluntates nominaret, cùm jam in multorum animis opinio unius voluntatis esset disseminata, quare Joannes IV. Severini successor Ectesim meritò proscripsit. Constantinus Heraclii filius decreto Joannis adhæsit: sed Constans, ejus in Imperio successor, agente Pyrrho, avi Ectesim famoso suo Typo confirmavit. Martinus verò I. coactâ Synodo Lateranensi ex centum quinque Episcopis, tam Heraclii Ectesim, quàm Constantis Typum, nec-

non & primarios Hæreticorum duces damnavit. Hinc commotus Constans Martinum Constantinopolim accersit, ubi crudeliter excipitur, ignominiosè per urbem traducitur, tandemque ærumnis confectus Chersone exul gloriosus Martyr occumbit, sed non sine divinâ in persecutorem ultione: nam Constans occiditur, succedit Constantinus Pogonatus, id est, Barbatus, religiosus Princeps, quo favente, sextum generale Concilium Constantinopoli indicitur anno 680. in quo præsunt Legati Agathonis summi Pontificis, anathema dicitur Theodoro Pharanitæ, Cyro Sergio, Honorio, & aliis; asseriturque duplex in Christo voluntas & operatio.

Probatur hæc catholica fidei definitio: 1°. ex Scripturâ, in quâ Christus sæpissimè distinguit voluntatem suam, ut homo est, à voluntate Patris, quæ est una & eadem in tribus personis divinis, Joan. 4. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me.* Joan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Mandatum certè & obedientia pertinent ad duas voluntates: Luc. 22. *verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.*

Nec dicas cum Monothelitis, ex hoc loco non elici duplicem in Christo voluntatem, nisi simul admittatur aliqua dissensio & inordinatio, quod est evidenter impium: namque 1°. nulla est inordinatio; quia mortis metus & aversio non fuerunt in Christo involuntaria, nec rationem anteverterunt, sicut in nobis contingit; sed pars superior, Deo volente, & ordinante & concurrente hujusmodi motus imperavit & excitavit, tum ut Christus verus homo probaretur; tum ut acutissimis & acerbissimis mortis aculeis pungeretur: minùs enim cruciat ictus mortis, quàm ejus timor & horror, si vehementes sint. Ad solatium autem membrorum suorum Christus ex-

pertus est vehementiores, quàm possit purus homo, ut juxta sanctum Augustinum nullus in his extremis dejiciatur propter affectiones, quas invitus patitur rebelles; sed speret in eum, qui voluntariè participavit eisdem, *ut liberaret eos*, inquit Apostolus Heb. 2. *qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*; dicantque exultantes redempti à Domino: *Ubi est, mors, stimulus tuus?* 1. Cor. 15. per Christum enim retusus est, & inefficax evasit. 2°. Nulla quoque fuit in Christo dissensio voluntatum; Deus enim voluntate suâ divinâ utrumque voluit, & Christum pati & naturam ejus humanam mortem adversari. Similiter & Christus Patri obtemperans utrumque executus est, morti ultrò se obtulit, mortis horrorem & fugam in se excitavit, eâ mensurâ & pondere, quæ ipse præscripserat. Quòd autem in his nulla sit pugna inter voluntatem divinam & humanam, illustrari potest quibusdam exemplis: 1°. membrorum nostrorum, quibus Deus indidit propensionem, tum ad sui, tum ad totius individui conservationem. Manus naturaliter ictum refugit, & naturaliter ictui se exponit ad tuendum caput; 2°. filii-familias, qui in hypothesi, quòd parentis vita ex morbo periclitetur, juxta Dei legem & ordinationem debet parere, & quidem absolutâ voluntate Deo animam patris revocanti, & nihilominus dolere ex pietate erga patrem. Verùm in hujusmodi affectibus humanis defectus occurrit; quia plerumque rationem præveniunt, & præscriptos ab eâ limites transcendunt. Talis autem inordinatio à Christo prorsus exulat, tum quia est à peccato: tum quia ad redemptionem generis humani nihil confert. Hinc vulgò dicitur in Christo fuisse propassiones, non verò passiones;

quia nomen, *passio*, secundùm communem acceptionem motus inordinatos significat.

Probatur 2°. Traditione, quam S. Hippolytus apud Theodoretum Dialogo 2. tuetur contra Beronem quemdam, quem dicit à phantasmate Valentini recessisse, sed in majorem pravitatem incurrisse, quatenus assereret carnem ejusdem esse cum divinitate operationis. Sanctus Athanasius lib. de Incarnatione, expendens illa Christi verba, *Non mea, sed tua voluntas fiat*, ait: *Duas hîc voluntates ostendit, unam videlicèt humanam, quæ carnis est propria; alteram divinam.* Idem in hunc locum advertunt sancti Gregorius Nyssenus lib. contra Apollinarem, Chrysostomus, & Augustinus.

Dices 1°. Dionysius vulgò Areopagita ep. ad Caïum, tribuit Christo unam theandricam operationem, hoc est divinam & humanam: ergo, inquiebant Monothelitæ, censuit ambas naturas in unam confluxisse, ex quâ exurgeret una voluntas & una operatio.

Respondeo 1°. adulteratum fuisse à Monothelitis textum, legendumque *novam*, non verò unam *theandricam*, ut monet Synodus sub sancto Martino, & Concilium generale sextum, actione decimâ quartâ. 2°. Etiamsi legatur, *una theandrica operatio*, nihil inde concludi potest adversùs doctrinam catholicam. Enimverò an ideò non est humana voluntas in justo, quia Deus in eo operatur velle & perficere? Est quidem una Dei & justi operatio, sed ad eam duplicis est voluntatis influxus, humanæ scilicèt liberè consentientis & vitaliter agentis; & divinæ per omnipotentiam cor moventis & efficaciter concurrentis: quo fit ut opus bonum magis sit Dei, quàm hominis; atque hoc sensu Patres jam laudati,

& alii, qui disertè duas in Christo voluntates profitentur, scribunt unam in ipso operationem divinam, cùm in hominibus ejus actionibus voluntas divina regnaret; theandricam quoque, cùm esset hominis Dei.

Dices 2°. Adversùs Concilii sexti definitionem pugnabat universalis Ecclesiæ Traditio: nisi enim Ecclesia Orientalis & Occidentalis unam in Christo voluntatem propugnassent, Concilium anathemate non contrivisset omnes Ecclesiæ Patriarchas uti Hæreticos, Cyrum nempe Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum & Paulum Constantinopolitanos, & Honorium summum Pontificem. Ergo.

Nego antecedens, tum quia illi Patriarchæ, uno Cyro excepto, non ita palàm & constanter unam in Christo voluntatem asserebant; sed contendebant duntaxat, neque unam, neque duplicem prædicandam, ne turbarentur Orthodoxi: ex quo colligitur Monothelitas timuisse majorem Orthodoxorum numerum: tum quia ubi virus erroris apparuit, fortiter ejectum est, ut patet ex Concilio Jerosolymitano sub sancto Sophronio, & Lateranensi sub sancto Martino. His adde persecutiones, quas Orthodoxi passi sunt pro defensione veritatis adversùs Imperatores: tum denique quia communior & verior est sententia Honorium non fuisse Monothelitam; namque 1°. legenti ejus epistolas patebit ipsum absolutè non negasse duas in Christo voluntates, sed solùm rejecisse à naturâ assumptâ (utpote quæ esset ab omni contagione peccati libera) legem carnis & concupiscentiæ repugnantem legi mentis. *Unam fatemur*, inquit epistolâ primâ, *voluntatem Domini nostri Jesu-Christi... quia non est assumpta à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mentis ejus; nam lex alia in membris,*

aut voluntas divisa non fuit vel contraria Salvatori; quia super legem natus est humanæ conditionis. Epistolâ verò secundâ operationes utriusque naturæ, divinæ scilicet & humanæ, expressè distinguit his verbis: *Duas naturas cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus; divinam, quæ Dei sunt operantem; humanam, quæ carnis sunt exequentem, non divisè, neque confusè, neque convertibiliter.* Pacis tamen & concordiæ causâ, de duabus voluntatibus perinde ac de unâ silentium imprudenter induxit. *Auferentes*, inquit epistolâ secundâ, *scandalum novellæ adinventionis, non nos oportet unam vel duas operationes definientes prædicare, sed .... oportet nos unum operatorem Christum Dominum in utriusque naturis* (quas dicit propria operari) *veridicè confiteri.* 2°. Sanctus Maximus Honorio coætaneus, ipsum ab omni hæreseos labe immunem demonstrat, tum ex ejus epistolis, tum ex testimonio Joannis Abbatis Honorii à secretis, & Joannis IV. ejus successoris. Prior autem Joannes, qui scripserat primam Honorii epistolam, sic loquitur in suâ epistolâ ad Imperatorem, relatâ à sancto Maximo in Dialogo: *Unam*, inquit, *voluntatem Domini diximus, non Deitatis ejus & humanitatis, sed solius humanitatis: cùm enim scripsisset Sergius esse qui dicerent in Christo duas contrarias voluntates, rescripsimus Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis, inquam, & spiritûs; sed unam tantùm. Id ita esse evidenter ex eo demonstratur, quòd membrorum & carnis facta est mentio, quæ Deitati quoque ejus non possunt attribui.* Posterior verò in epistolâ suâ apologeticâ pro Honorio ad eundem Imperatorem, sic habet, citato Dialogo: *Decessor meus docens de Mysterio Incarnationis Christi dicebat non fuisse in eo, sicut in nobis peccatoribus, mentis & carnis contrarias voluntates; quod quidem ad proprium sensum conver-*

tentes; Deitatis & humanitatis unam eum voluntatem docuisse suspicati sunt: quod veritati omninò est contrarium.

At, inquies, major habenda est fides Concilio œcumenico, à quo Honorius declaratus est Hæreticus, & uti talis cum Cyro, Sergio, & aliis Monothelitis damnatus. Quin & ipse S. Leo II. idem de Honorio judicium tulit statim post Concilium, in epistolâ ad Imperatorem. *Anathematizamus*, inquit, *novi erroris inventores, id est, Theodorum Pharanitam Episcopum, Cyrum & Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ Traditionis doctrinâ illustravit, sed prophanâ prædicatione immaculatam maculari permisit.*

Non una est responsio ad hanc gravem & celebrem difficultatem.

Quidam existimant Honorium non fuisse revera à Concilio damnatum, sed Græcos ægrè ferentes, quòd soli viderentur errasse: vel nomen Honorii in actis inseruisse absolutâ Synodo, vel seorsim convenisse, actionemque duodecimam & sequentes, in quibus nomen Honorii legitur, esse opus illius Conventiculi furtim additum germanis actis Synodi sextæ.

Sed commentum illud fabulæ potiùs quàm historiæ præ se fert speciem, exploditurque 1°. quia Constantinus piissimus Princeps, & Sedi Apostolicæ addictissimus, definitionem Concilii ipso præsente emissam statim annulo suo obsignavit, ne quid in eâ mutaretur; 2°. quia interpolatio tam gravis tantique momenti statim animos Episcoporum offendisset, atque in ejus auctores commovisset, quod propriâ auctoritate summum Pontificem Hæreticum pronuntiarant, & anathemati subjecerant, cùm

ipsi maturo judicio eum ab hâc criminatione absolvissent. Saltem Legati Sedis Apostolicæ contra tam horrendum scelus non tacuissent, vindictamque expetiissent, tum ab Imperatore, tum à Leone II. qui è contra simul cum actis Concilii sexti damnationem Honorii confirmavit: quod & præstiterunt Concilium generale septimum, actione sextâ; Concilium generale octavum, actione decimâ; & Adrianus II. in epistolâ ad Concilium octavum, in quâ scribit primam Sedem à nemine judicari, nisi in causâ hæresis, propter quam Honorio fuit anathema dictum.

Alii respondent Concilium errore lapsum fuisse, nec satis perspectis Honorii epistolis, immeritò cum aliis Hæreticis illum connumerasse: quamvis enim, inquiunt, Concilium generale errare non possit in definiendis fidei dogmatibus, falli tamen potest in quæstionibus facti. Ita Anastasius Bibliothecarius in Præfatione ad sua Collectanea, anno 873. Joannes à Turrecremata Cardinalis anno 1468. lib. 2. de Ecclesiâ, Baronius Cardinalis, ad annum 681. Bellarminus è Societate Jesu Cardinalis, lib. 4. de summo Pontifice cap. 2. Binius Theologus Coloniensis, in Notis ad Honorii vitam; Andreas Duvallius è Societate Sorbonicâ, Professor Regius, de infallibilitate summi Pontificis, parte 2. quæst. 1. & alii benemulti, tum ex Academiâ Parisiensi, tum ex familiâ Dominicanorum, ut Nicolaus Coëffetellus, libro adversùs Mornaïum; Combefesius in acta Concilii sexti; Gonetus, de fide, disp. 4. Contensonius lib. 5. tum ex Societate Jesu, ut Gretserus in Defensione Bellarmini; Becanus in summâ controversiarum; Petavius lib. 1. de Incarnatione cap. 21. Ergo secundùm hanc sententiam, non solùm Concilium sextum, sed & septimum & octavum, Leo

quoque II. & Adrianus II. cæcutierunt, & innocenti injustè anathema dixerunt. Quid verò posteriores isti Scriptores novi proferunt, ut judicium universalis Ecclesiæ toties confirmatum iniquum demonstrent, Honoriumque ipsi privati absolvant, *Habemus*, inquiunt, *ejus epistolas, & testimonia familiarium ejus.* Sed nunquid illa omnia in Concilio sexto non fuêre prolata, examinata & ponderata?

Respondeo itaque, juxta communem Theologorum sententiam, Honorium meritò fuisse damnatum, & inter Hæreticos connumeratum, quamvis ipse Hæreticus non fuerit; quòd grassantem hæresim nedum pro officio summi Pontificis represserit, quin suo decreto Orthodoxis classicum canentibus indixerit silentium; Monothelitas, qui jam primas sedes occupabant, in errore præconcepto tutos reddiderit; aliis episcopatum ambientibus ne via obtruderetur, auctor fuerit: denique Catholicorum causam ignavè prodiderit: Hæreticorum verò partes non hæretico quidem animo, sed imprudenti nimis, adjuverit frustra præmonitus à sancto Sophronio flammam hæreseos ubique serpere, nec jam tempus esse silendi. Cùm igitur Honorius non sine suâ culpâ Hæreticis sic patrocinatus sit, inter Hæreticos connumerari, & eâdem cum ipsis pœnâ plecti meruit.



CAPUT VII.

Utrùm natura humana in Christo, præter unionem hypostaticam, aliarum gratiarum donis fuerit ornata?

R. Habuit plenitudinem scientiæ in intellectu, & gratiarum in voluntate, & quidem ab instanti conceptionis suæ.

Probatur 1°. ex Scriptura, Luc. 1. *Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Ubi gratiæ & scientiæ plenitudo insinuatur veluti appendix & gloria debita unigenito Dei Filio Col. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei.* Joan. 21. *Domine, tu omnia nosti.* Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis; & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Timoris, inquam, non servilis, sed reverentialis, quo divinam majestatem summè reveritus est. Vox autem, *requiescet*, significat plenam & permanentem copiam donorum Spiritûs-Sancti, juxta illud Joan. 3. *non ad mensuram*, id est limitatè, *dat Deus Spiritum*, Christo scilicet, sicut patitur ceteris hominibus. Porrò ex donis Spiritûs-Sancti alia pertinent ad intellectum, ut sapientia, scientia, intellectus, & consilium: alia ad voluntatem, ut fortitudo, pietas & timor, quibus anima Christi facilè erat mobilis Spiritu-Sancto ad operationes extraordinarias.

Probatur 2°. ex Traditione Ecclesiæ, quæ contrarium errorem proscripsit, 1°. in Gnosti-

cis & Valentinianis asserentibus Christum sub præceptore alphabetum didicisse, ex sancto Irenæo lib. 1. cap. 17. 2°. in Arianis colligentibus Christum non fuisse Deum, ob inscitiam, quam ei tribuebant, ex sancto Athanasio, Oratione quartâ; 3°. in Nestorianis docentibus Christum in gratiâ profecisse, ut suprà monuimus, & speciatim in Leporio, qui in Synodo Africanâ errorem, quo omnimodam scientiam Christo denegabat, revocare coactus est; 4°. in Agnoitis Severianis sive Eutychianis, quos sanctus Gregorius confutavit lib. 8. epist. 42. 5°. in Erasmo, ad caput secundum Lucæ, & Calvino in suâ Harmoniâ. Denique universa Theologorum Schola improbavit quod scripserat Hugo Victorinus, Christum nullam aliam quàm divinam scientiam habuisse.

Probatur 3°. ratione à minori ad majus. Primus Adam, quia futurus erat Pater & Doctor omnium hominum, disciplinâ intellectûs fuit repletus, Eccli. 17. ergo à fortiori secundus Adam, qui dicitur Pater futuri seculi, Consiliarius, Is. 9. Legifer noster, Is. 33. & Doctor, Is. 30.

Dices: Christus didicit ex his quæ passus est obedientiam, Heb. 5. deinde legitur admiratum fuisse & sciscitatum, quod est signum ignorantiæ. 3°. Marci 13. habetur: *De die autem illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater*. denique Lucæ 2. Christus proficiebat sapientiâ & ætate coram Deo & hominibus. Ergo.

Respondeo ad singula.

Ad primum, didicit experientiâ, quod jam noverat, Concedo: didicit quod priùs ignorabat, Nego.

Ad secundum respondet Origenes in c. 13. Matth.

Matth. Christum alios interrogasse, quemadmodum Deus Adamum, Genes. 3. *Adam, ubi es?* Admiratio autem non est semper signum ignorantiæ; mirari enim possumus res magnas & hactenus inexpertas.

Ad tertium; Certum est verba Marci 13. non esse universaliter accipienda; Christus enim saltem ut Deus noverat Judicii diem. Unde cùm Ariani ex hoc textu arguerent ipsum non esse Deum, satis fuit Patribus respondere, verba illa spectare Christum ut homo est. Sed posteriores Patres ulteriùs progressi expenderunt utrùm Christus etiam ut homo prorsus ignoraverit diem Judicii; & una est eorum sententia, aliquo tantùm sensu ignorasse, nempe naturalibus viribus, secundùm S. Gregorium; vel scientiâ experimentali, secundùm SS. Epiphanium & Bernardum; liceat addere & scientiâ supernaturali, ex quâ explicabat hominibus mysteria regni cœlorum: sed cognovisse scientiâ saltem beatâ, quâ videbat in decretis divinis tempora & momenta, quæ Pater posuit in suâ potestate. Cùm autem cognitio alia non sit in usu apud homines, sicut nec notitia, quam Confessarius per Confessionem sacramentalem acquirit, Christus æquè ac Confessarius absque mendacio & æquivocatione affirmare potuit se nescire, quod sub tali secreto didicit.

Ad quartum, distinguo: Christus crescebat sapientiâ quoad usum & quasdam operationes, Concedo: quoad habitum, Nego. In conceptione itaque accepit animam rationalem omnibus sapientiæ & scientiæ donis instructam: sed propter infantiæ impedimenta ratio actu non discurrebat, non movebat oculos & alios sensus, juxta illud Isaiæ 8. *priusquam puer sciat*

vocare patrem; aliàs infantia in Christo non fuisset vera, sed ficta & simulata.

Dixi, *quasdam operationes*, quæ enim à phantasmatibus & sensibus non pendent, qualis est visio beatifica, & usus scientiæ infusæ, splendebant interiùs; colligiturque ex his Apostoli verbis Heb. 10. *Ingrediens mundum dixit: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Q. 2°. *Quotuplex distinguitur in Christo scientia?*

R. Triplex; scilicet beata, (quæ in visione Dei intuitivâ consistit;) infusa, & acquisita.

Primò, negari non potest Christi animam ab initio fuisse potitam visione beatificâ; quia etsi hæc propositio non sit de fide, cùm nec in Scripturâ clarè contineatur, nec in ullo generali Concilio fuerit definita; est tamen omnium Theologorum & Catholicorum, deducique potest non ita obscurè ex pluribus Scripturæ textibus, Joan. 1. *Deum nemo vidit unquam, Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Quòd autem hæc Unigeniti notitia ad ipsum pertineat, etiam ut homo est, suadetur ex his verbis Joan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui in cœlo est.* Quid est autem esse in cœlo aut in paradiso, nisi frui visione beatificâ? Unde S. Augustinus lib. 4. de consensu Evang. capite ultimo, scribit hominem, cujus susceptione Verbum caro factum est, distare à ceteris, quòd nemini ex his concessum sit in hâc vitâ videre Deum quemadmodum illi.

Enimverò Christi dignitas poscebat, ut non per speculum & in ænigmate, sed clarè & perfectè seipsum cognosceret: atqui clara & plena illa cognitio est personæ divinæ, ac proinde Dei intuitiva. Imò sanctus Fulgentius in Responsis ad Ferrandum, (& post illum

Albinus Flaccus lib. 2. de Trinitate cap. 12.) ex eò quòd Christus habeat personam æqualem Patri, arguit ipsum, ut homo est, habere etiam notitiam æqualem. Unde multi Theologi existimant Sanctum Doctorem eò progressum fuisse, ut assereret Christum intellectu creato Deum comprehendere; quod impossibile ostendimus tractatu de Attributis. Hoc tamen discrimen inter utramque notitiam ponit S. Fulgentius; quòd notitia Patris Deus est, non verò notitia Filii hominis: Nullatenus ergo censuit cum Augustino de Romä animam Christi tam clarè & intensè Deum videre, quàm Deus videt seipsum; quæ propositio damnata est in Concilio Constantiensi.

Dices: Si Christus ante mortem Deum intuitivè vidit, Christus ante mortem fuit comprehensor, ac proinde actiones ejus non fuerunt meritoriæ; falsum consequens, ergo & antecedens.

Distinguo majorem. Fuit comprehensor simul & viator, Concedo: fuit comprehensor duntaxat, Nego majorem. Christus itaque fuit comprehensor secundùm animam; quia eatenus Deum possidebat & erat beatus: secundùm corpus verò viator; quia nonnisi in Resurrectione beatitudinem corporis obtinuit, juxta illud Lucæ 24. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare gloriam suam?*

Instabis: Sicut summus calor excludit omne frigus, sic summum gaudium, quod percipitur ex visione Dei, expellit omnem tristitiam & dolorem. Atqui Christus acerbissimos dolores passus est: ergo non fruebatur summo gaudio, nec proinde visione beatificâ.

Distinguo majorem: expellit naturaliter, Concedo: supernaturaliter, Nego majorem.

Distinguo etiam minorem: Christus acerbissimos dolores passus est in parte inferiori, Concedo; in parte superiori, Nego minorem. Itaque ubi Christus Deo fruebatur, ibi summo gaudio perfundebatur, hoc est, in superiori animæ parte: naturaliter quidem torrens ille voluptatis in inferiorem partem erupisset, eamque totam implesset, nisi Christus sponte fluentem grandi miraculo continuisset. Quis ergo membrorum consensus cum capite, si ad dolorem vitandum miracula expeterent, cùm Christus ad patiendum miracula ediderit?

Secundò Christus habuit scientiam infusam, quâ extra Verbum cognovit supernaturalia cordium secreta: *ipse enim sciebat quid esset in homine*. Joannis 2. & res contingentes, nam ex dictis in Tractatu de Attributis, beatis plura vel pauciora revelantur, secundùm Officia, quæ in terris exercuerunt. Cùm ergo Christus sit doctor, Mediator, Judex & Caput omnium hominum, ad ejus statum pertinuit ut omnia futura, saltem usque ad diem Judicii, cognoverit.

Dixi 1°. *futura*; nam ex ibidem dictis omnia possibilia cognosci non possunt quin simul comprehendatur omnipotentia divina; quod impossibile est omni intellectui creato.

Dixi 2°. *usque ad diem Judicii*: quia tunc implebitur Mediatoris officium; nec ulla ratio evincit animam Christi cognoscere quæcunque futura sunt per totam æternitatem.

Tertiò Christus instructus fuit scientiâ acquisitâ seu Philosophiâ naturali, quâ colligebat ex causis necessariis effectus, & ex effectibus causas: hæc enim facultas ad naturæ humanæ perfectionem pertinet; videmusque in

Evangelio Christum eâ plerumque usum fuisse. Dicitur autem acquisita à non quòd Christus studio, labore & experientiâ illam sibi comparaverit, habuit enim illam infusione, quemadmodum primus parens; sed quòd naturaliter acquiri possit. Fuit igitur acquisita quoad substantiam, infusa verò quoad modum habendi, ut loquuntur Philosophi.

Dices: Non est admittenda in Christo operatio naturalis. Atqui usus scientiæ acquisitæ est naturalis: Ergo.

Respondeo 1°. Si quid concluderet hoc argumentum, Christo denegandus esset usus oculorum & omnium sensuum, quia est naturalis.

Respondeo itaque 2°. in formâ, distinguendo majorem: Non est admittenda in Christo operatio naturalis, tum elicita, tum imperata, Concedo: naturalis elicita & supernaturaliter imperata, Nego majorem. Similiter distinguo minorem: Usus scientiæ acquisitæ est naturalis per ordinem ad principium eliciens, v.g. ad facultatem visivam, motricem, nutritivam, Concedo: per ordinem ad principium imperans, & applicans illas facultates ad usum proprium, Nego minorem & conseq. Igitur videre, ambulare, manducare, & ratiocinari ex merâ naturæ inclinatione & propensione, est defectus prorsus à Christo eliminandus, sed defungi hujusmodi naturæ officiis ex motivo supernaturali, est hominis iusti, & omnium virtutum donis cumulatissimi.

Q. 3°. *Quotuplex in Christo distinguitur gratia?*

R. Duplex: alia competit Christo, ut est homo singularis: alia, ut est caput omnium hominum; dicitur gratia capitis.

Q. 4°. *Quomodo dividitur gratia Christi ut est homo singularis.*

R. Dividitur in gratiam gratis datam, quæ directè tendit in commodum aliorum; talis est gratia sanitatum, & operatio virtutum, quas Christus operabatur in hominum salutem, tum temporalem, tùm æternam; & in gratiam gratum facientem, quæ naturam humanam Christi in seipsâ perficiebat.

Q. 5°. *Quotuplex fuit in Christo gratia gratum faciens?*

R. Duplex; actualis & habitualis. Actualis, si sumatur terminativè, est divina tum intellectûs illustratio, tum voluntatis motio: si verò sumatur principiativè, est supernaturalis & specialis Dei concursus cùm intellectu & voluntate Christi ad eliciendos actus supernaturales; & hæc gratia erat Christo absolutè necessaria ad hujusmodi actus: quemadmodum enim actus naturalis non potest elici sine naturali Dei concursu: sic supernaturalis sine concursu supernaturali: Habitualis verò complectitur gratiam sanctificantem, quâ anima formaliter redditur sancta; & virtutes infusas, quibus anima fit disposita ad actus supernaturales eliciendos.

Q. 6°. *Habuit-ne Christus omnes virtutes infusas?*

R. Certum est habuisse; quia gratiæ sanctificantis sunt appendices necessariæ iis duntaxat exceptis, quæ imperfectionem includunt, ut fides obscuritatem, spes objecti beatifici absentiam, pœnitentia mutationem mali consilii; ideoque præsupponit peccatum in pœnitente.

Dices 1°. Christus sperabat beatitudinem corporis sui, & nominis exaltationem: ergo in eo erat spes.

Distinguo antecedens. Sperabat, id est, expectabat tanquam rem certò futuram, Con-

cedo: ſperabat ſpe theologicâ, & propriè dictâ, Nego antecedens; tum quia ſpes propriè dicta eſt boni ardui & obtentu difficilis, propterea-que parit timorem illud non conſequendi. Hæc autem à Chriſto exulabat: quia ſpes Theologica neceſſariò habet Deum aut attributum divinum pro objecto primario; ex eo enim dicitur theologica, quòd circa Deum verſetur. Atqui ſublato primario objecto virtutis, tollitur ipſa virtus licèt remaneat ejus objectum ſecundarium. Hinc animæ beatæ, quia Deum jam poſſident, ſine ſpe Theologicâ expectant reſurrectionem & beatitudinem ſuorum corporum. Expectatio autem illa eſt actus charitatis omnia ad Deum referentis.

Dices 2°. Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfecit: Ergo pœnitentiam habuit.

Diſtinguo antecedens: ſatisfecit ex charitate, quæ inclinat ad dolendum de pecatis alienis, Concedo: ex pœnitentiâ ſpeciali, Nego antecedens; quia, ut jam diximus, pœnitentia ſpecialis non poteſt eſſe niſi de proprio peccato, cùm includat & mutationem pravi conſilii, & diſplicentiam.

Q. 7°. *Gratia Chriſti, prout eſt ſingularis homo, differt-ne à gratiâ capitis?*

R. Eſt eadem entitativè, ſed ſub diverſo reſpectu, nempe quatenus perficit naturam aſſumptam, dicitur gratia Chriſti, ut eſt ſingularis homo: quatenus verò dirivatur à Chriſto in homines, dicitur gratia capitis, de cujus plenitudine omnes nos accepimus, Joan. 1. Porrò aqua, quæ fontem implet, & quæ in rivum effluit, eſt prorſus eadem. Ceterùm, gratia Chriſti non habet hunc reſpectum ad homines ex naturâ ſuâ, ſed ex ordinatione Dei extrinſecâ; nam ex infrà dicendis, pac-

tum intercedere debuit, ut Christus esset obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, Heb. 5.

Q. 8°. *Est-ne proprium Christi habere gratiarum plenitudinem?*

R. Duplex est gratiæ plenitudo; alia ex parte objecti, seu ipsius gratiæ; alia ex parte subjecti gratiam recipientis: quod explicari potest exemplo caloris, qui si sit summus in igne, dicitur ignis habere plenitudinem caloris ex parte objecti seu virtutis; quia in se continet quidquid nomine caloris exprimitur: homo verò gaudens perfectâ sanitate, habet caloris plenitudinem ex parte subjecti; quia nihil caloris ipsi deest ad perfectam sanitatem. Jam verò Christus utroque modo fuit gratiæ plenus; sed plenitudo illa si spectetur ex parte objecti & ipsiusmet gratiæ, est ipsi propria, quia solus est omnium gratiarum fons & origo: si autem spectetur ex parte subjecti, est ipsi quodammodo communis cum pluribus; namque sanctus Stephanus dicitur plenus gratiâ & fortitudine, Act. 6. S. Joannes Baptista repletus est Spiritu sancto ex utero matris suæ, Luc. 1. & beata Virgo ibidem salutatur gratiâ plena. Attamen sicut alia est plenitudo rivuli, alia fluminis, alia maris, secundùm alvei angustiam vel latitudinem; sic pro diversâ amplitudine subjecti, diversa quoque est ejus gratiæ plenitudo. Unde minor sancti Stephani plenitudo, quàm S. Joannis Baptistæ; quia officium Diaconi tot dotes non requirit, quot officium Præcursoris: nec plenitudo matris Dei, quantumcumque excedat plenitudinem Præcursoris, propter singularem ejus dignitatem, accedit ad plenitudinem gratiæ, quæ competit unigenito Filio Dei.

Q. 9°. *Gratia Christi Domini est-ne infinita.*

R. Physicè non est; quia nihil creatum potest esse entitativè infinitum; unde secundùm potentiam Dei extraordinariam posset produci major: moraliter tamen potest dici infinita, quatenus, summa est, quæ esse possit secundùm Dei sapientiam, & potentiam ejus ordinariam.

Q. 10°. *Christus potest-ne dici prædestinatus?*

R. Potest, non quidem ratione suppositi & personæ, sed rationis donorum & compositi ex unione hypostaticâ exurgentis: 1°. quia cap. 1. epist ad Rom. expresse dicitur prædestinatus Filius Dei. Nec refert, quòd secundùm multos Interpretes, prædestinatus, idem sit, ac declaratus est & manifestatus Filius Dei ex virtute patrandi miracula, & seipsum à morte suscitandi, ut ibidem subdit Apostolus. Nam S. Augustinus & alii Patres ex hoc textu docent Christum fuisse prædestinatum, & ratio evincit; prædestinatio enim est actio Dei, quâ ab æterno prædefinit & præordinat quæ in tempore facturus est in ordine supernaturali. Atqui Deus ab æterno prædefiniit & præordinavit naturam humanam ad unionem hypostaticam elevare, gratiâ & gloriâ coronare, Christumque Dominum, ut aliquod totum ex duabus naturis hypostaticè unitis componere: quæ omnia ad ordinem supernaturalem pertinent. Ergo.

Caput VIII.

Utrùm Christus Dominus per Passionem suam & alia bona opera meruerit?

R. De fide est Christum Dominum meruisse. Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ hu-

jusce veritatis tot ferè testimonia subministrat, quot continet paginas, Is. 53. *Pro eo quòd laboravit, videbit & satiabitur.* Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens ... propter quod & Deus exaltavit illum.* Heb. 5. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* 2°. Ex constanti & perspicuâ Traditione Ecclesiæ, quæ solis Christi meritis innititur, nec quidquam à Deo petit, nisi per Dominum nostrum Jesum-Christum: in quâ fide Concilium Tridentinum ex abundanti fideles confirmavit suis definitionibus, nempe sessione 6. Can. 2. 10. & 26. ubi dicit anathema aliter sentientibus. 3°. Favet ratio Theologica: ille enim meruit, qui habuit omnes conditiones ad meritum requisitas: atqui Christus Dominus illas habuit: ergo.

Minor probatur. Tria generatim ad meritum requiruntur. Primum bona opera supernaturalia: secundum, persona Deo grata, liberè operans, & in statu viæ posita: tertium, pactum, quo Deus promiserit præmium & mercedem sic operanti. Atqui hæc tria in Christo adhuc mortali concurrerunt; nam de ejus operibus supernaturaliter bonis, & de ejus personâ Deo gratissimâ nullum potest esse dubium: de pacto constat ex capite 53. Isaiæ: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

Dices 1°. Christus ex dictis fuit beatus ab instanti conceptionis: ergo non fuit viator, nec proinde in statu merendi.

Distinguo antecedens. Fuit beatus secundùm animam, Concedo; secundùm corpus, Nego antecedens. Similiter distinguo consequens. Non fuit viator secundùm animam, Concedo:

secundùm corpus, Nego consequentiam. Fuit ergo simul comprehensor & viator.

Instabis: Christus non potuit mereri nisi per animam; corpus enim per seipsum non meretur, sed duntaxat quatenus ab animâ Sanctâ movetur. Atqui Christus per animam, utpote beatam, non potuit mereri: Ergo.

Distinguo minorem. Per animam, quatenus erat lumine gloriæ illustrata, & ex eo necessariò rapiebatur ad videndum & amandum Deum, Concedo: per animam quatenus erat gratiâ gratum faciente tum actuali, tum habituali ornata, Nego minorem. Verum quidem est Christum non meruisse per visionem intuitivam, neque per amorem beatificum; quia illæ operationes non erant sub dominio ejus nec de illis disponebat tanquam dominus; cùm ab illo non procederent liberè, sed necessariò: *Ubi autem necessitas, nec corona, nec damnatio*, ait S. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum. Sed meruit per actiones ex gratiâ gratum faciente elicitas; de illis siquidem liberè disponebat.

Ergo, inquies, Beati in cœlo hâc ratione merentur.

Nego consequent. Absolutè quidem Beati in cœlo sic mereri possent, & damnati in inferno demereri. Sed actu & de facto, nec illi merentur, nec isti demerentur; quia Deus mortem fixit hominibus, pro ultimo termino merendi aut demerendi. Hinc Christus à primo post mortem instanti non meruit, quamvis sit semper vivens ad interpellandum pro nobis, Heb. 7. illumque habeamus Advocatum apud Patrem 1. Joan. 2. Namque per suas preces nova nobis non meretur sed impetrat, ut merita vitæ anteactæ & passionis nobis applicen-

tur. Quod & de orationibus Sanctorum dicendum est.

Dices 2°. Ubi nulla libertas, nullum quoque est meritum. *Quidam posuerunt*, inquit S. Thomas quæst. 6. de malo art. 1. *quòd voluntas hominis ex necessitate moveretur ad eligendam aliquid, nec tamen ponebant quòd voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum... Hæc autem opinio est hæretica*, & uti talis damnata est ab Innocentio X. & ab Alexandro VII. namque ex Sancto Augustino lib. de duabus animabus cap. 11. *Nemo vituperatione suppliciove dignus est, qui id non faciat, quod facere non potest .... Nonne ista cantant, & in montibus Pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris Templis?* Atqui Christus non fuit liber à necessitate, cùm ex dictis cap. 1. peccare non potuerit, nec præceptum Patris, præsertim de morte subeundâ, prætermittere. Ergo.

Distinguo minorem. Non fuit liber libertate contrarietatis, Concedo: libertate contradictionis, subdistinguo: quoad specificationem, ut aiunt, quando opus bonum ipsi fuit imperatum, Concedo: quoad exercitium, Nego minorem & conseq. Multiplex itaque distinguenda libertas à necessitate: alia dicitur contrarietatis, quâ quis potest facere contraria, bonum scilicet & malum, qualis in homine viatore reperitur juxta illud Eccli. cap. 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere malum, & non fecit.* Et hæc libertas à Christo exulavit, est enim imperfectio posse deficere, quam gratia in homine viatore minuit, & in beato omnino tollit. Alia est libertas contradictionis, in eo sita quòd homo pos-

sit bonum velle seu facere, & non velle aut non facere, si præceptum non sit: si enim præciperetur, omissio illius esset mala, ac proinde bonum illud non posset omitti sine libertate contrarietatis à Christo prorsus eliminanda. Sed libertas contradictionis subdividitur in libertatem specificationis, quâ quis est indifferens ad hoc specie bonum vel ad aliud, quando neutrum præcipitur, v. g. ad sequendum hoc vel illud consilium; & talis libertas est in Beatis, in Deo quoque perfectissima, nec Christo deneganda, ubi præceptum non urgeret. At urgente præcepto, v. g. moriendi, non erat liber libertate specificationis; quia, ut jam monuimus, voluntas non potest sine peccato respuere opus præceptum. Sed præter libertatem specificationis, est alia libertas contradictionis, quæ dicitur libertas exercitii, quâ voluntas potest exercere hunc vel illum actum, licèt sit determinata ad unum etiam numero objectum; quod demonstratur uno & altero exemplo. Sancta Apollonia, referente sancto Dionysio Alexandrino, epistolâ ad Fabium, apud Eusebium lib. 6. hist. capite 41. sponte & proprio motu insiliit in rogum accensum, ad quem cremenda ducebatur: motus ille tum voluntatis, tum corporis, fuit liber, & judicio sancti viri, laude dignus; liber, inquam, non libertate specificationis; quia hæc supplicii species erat determinata, & ab electione sanctæ Martyris independens: sed liberate exercitii, quatenus intrepida Virgo disposuit de suo actu, potuitque illum non ponere. Idem videre est in exemplo rei ad mortem damnati, & stipiti jam alligati, mox suspendio præfocandi: si ex desperatione præveniat carnificem, & ex scalâ

seipsum præcipitet, graviter peccat, vituperatione æternisve suppliciis dignus est; quia liberè ad tantum flagitium se determinavit. Ergo ad merendum aut demerendum libertas contrarietatis, aut specificationis non est absolutè necessaria: sed sufficit libertas exercitii, per quam homo verè & propriè est dominus sui actûs, ac de eo absolutè disponit. Porrò in hypothesi, quòd Christus Dominus à Patre mandatum moriendi acceperit etiam eo tempore, quo Agnus legalis immolabatur, ut veritas figuræ succederet, meritoria fuit tota ejus passio; quia libera libertate exercitii, ut patet ex historiâ Passionis: sponte ex urbe ad locum processit, ubi faciliùs à militibus comprehenderetur; *ut cognoscat mundus*, inquit Joan. 14. *quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc.* Et sciens Judam cum cohorte appropinquare, exiit eis obviam: *Processit*, ait sanctus Joan. Cap. 18. *& dixit eis: Quem quæritis?* Denique ex potestate & libertate emisit spiritum, ut vel eo probaverit quod dixerat Joan. 10. *Nemo tollit eam* (animam) *à me, sed ego pono eam à meipso.*

Dixi, *in hypothesi quòd mandatum moriendi acceperit;* non enim una est hac in re Theologorum sententia. Alii docent non accepisse, propter illud Isaïæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Alii plures contrarium affirmant, tum quia dicitur Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad mortem crucis;* tum quia Apostolus Rom 5. opponit Christum Adamo, in eo, quòd per inobedientiam Adami, peccatores constituti sunt multi; per Christi verò obedientiam justi constituentur multi. Atqui in Adamo inobedientia fuit propriè dicta, & contra præceptum ipsi divi-

nitus impositum. Ergo & obedientia Christi strictè accipienda est, supponitque moriendi mandatum; quamvis enim quælibet alia ejus actio sufficiens fuisset ad generis humani redemptionem, ut infrà dicetur, certum est tamen fuisse redemptum per ejus sanguinis effusionem. Alii Theologi tertiam ineunt sententiam, quâ sibi videntur conciliare duas priores; docentque Christum nullum moriendi mandatum absolutè accepisse, sed conditionatè tantùm, ex hypothesi quòd vellet homines redimere, adeò ut per patrem liberum ei fuerit salvare, vel non salvare homines: sed in hypothesi quòd vellet hoc pietatis officium præstare, illud implere non potuisse nisi per sanguinis effusionem; conditionem liberè accepit, inquiunt, & in hoc oblatus est quia voluit: jamque duræ conditioni subditus, ex obedientiâ mortem oppetiit.

Secunda sententia, ut communior, sic & longè verior videtur; quia decretum Incarnationis præsupponit decretum salvandi homines, Filius Dei propter nostram salutem descendit de cœlis, carnem passibilem accepit ut moreretur; *Propterea veni in horam hanc*, ait Joan. 12. v. 27. Passionem ejus prædixerant Prophetæ; hinc Christus ad Petrum Matth. 26. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? quia sic oportet fieri.* Lex igitur moriendi Christo fuit imposita; *ideo ingrediens mundum, dixit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi* ..... (scilicet statim à conceptione) *Ecce venio, in capite libri scriptum est de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam*, Heb. 10. Quòd autem voluntas illa esset lex & præceptum, additur in Psal. 39. *& legem tuam in medio cordis mei.*

Caput IX.

Utrùm Christus sibi meruerit?

R. PRimò Christus sibi meruit etiam de condigno, quædam Incarnationis consectaria; 1°. gloriam corporis, Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? 2°.* Nominis sui exaltationem, Phil. 2. *Factus obediens usque ad mortem .... propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* 3°. Divinos ubique honores, Apoc. 5. *Dignus est Agnus .... accipere ... divinitatem*, id est, ubique agnosci & collaudari ut Deus.

R. Secundò, sibi non meruit unionem hypostaticam, neque gratiarum plenitudinem, neque earum augmentum. Tres responsionis sunt partes.

Prima pars quæ est de unione hypostaticâ, probatur 1°. ex Scripturâ, quæ opus Incarnationis immensæ Dei misericordiæ tribuit, Luc. 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.* Joan. 3. *Sic .... Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*; 2°. ex sancto Augustino lib. de prædestinatione Sanctorum cap 15. *Fit ab initio fidei suæ homo quicunque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio factus est Christus.* Et infrà: *Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis invenerit, ipse in nobis membris ejus præcedenti merita multiplicatæ regenerationis inquirat*; 3°. ratione duplici: Prima, quia priùs est esse, quàm operari: ergo Christus per opera

mereri non potuit, ut esset homo Deus. Secunda, quia principium meriti non cadit sub merito, cùm omni merito præsupponatur. Atqui Incarnatio est principium totius meriti; omnia enim opera tum Christi, tum membrorum ejus, ex unione hypostaticâ habent ut sint meritoria. Ergo.

Secunda pars quæ est de plenitudine gratiarum, probatur; quia gratia sanctificans cum suis appendicibus, & gloria animæ Christo debebantur vi unionis hypostaticæ, quâ erat Filius Dei naturalis, ac proinde heres regni paterni, & eorum donorum particeps, sine quibus agere non posset, quemadmodum decet Filium Dei naturalem.

Tertia pars, quæ est de augmento gratiarum, patet ex dictis capite præcedenti, ubi probatum est Christum ab instanti conceptionis eâ plenitudine gratiarum cumulatum fuisse, quæ secundùm ordinariam Dei potentiam augeri non posset, essetque si non physicè, saltem moraliter infinita.

Dices 1°. Effectus nonnunquam præcedit causam moralem: merces, v. g. solvitur mercenario antequam perfecerit opera, quæ sunt causa moralis hujus anticipatæ solutionis: sic merita Christi futura fuêre causa moralis gratiarum Patriarchis & Prophetis concessarum. Ergo à pari potuerunt esse causa unionis hypostaticæ, etiamsi tempore ipsam præcesserint.

Concesso antecedente, nego consequentiam & paritatem. Disparitas autem est quòd unio hypostatica sit principium totius meriti; ac proinde non potest esse effectus etiam moralis ullius meriti. Hinc vulgare Theologorum effatum. *Principium meriti non cadit sub merito.*

Dices 2°. Pertinuit ad gloriam Christi Do-

mini ut plenitudinem gratiarum possideret duplici titulo, nimirum hereditatis & mercedis, quemadmodum Beati in cœlo felicitate æternâ potiuntur hoc duplici titulo. Ergo.

Nego antecedens. Imò in contumeliam filii Regis verteretur, si pater insignia & ornamenta ejus nativitati debita denegaret quandiu non fuisset ea promeritus: quia in illâ hypothesi non ut legitimum filium & heredem agnoscere videretur. Posset quidem accidentaria quædam dona meritis filii rependere, quemadmodum Deus Pater Filio, ob victoriam in morte reportatam, gloriam corporis retribuit.

Dices 3°. Sancti Patriarchæ per gratiam meritis Christi sibi collatam meruerunt Incarnationem: ergo à fortiori Christus ipse.

Distinguo antecedens. Meruerunt Incarnationem quoad substantiam: hoc est meruerunt ut Filius Dei incarnaretur, Nego: quoad aliquas circunstantias, subdistinguo: meruerunt de congruo, Concedo: meruerunt de condigno, Nego antecedens. Opera itaque Patriarcharum non potuerunt esse merita Incarnationis, tum quia eam præsupponebant futuram tanquam causam moralem gratiarum, per quas bona operabantur, tum quia etiam in hypothesi falsâ quòd independenter à meritis Christi futuri gratiæ fuissent illis concessæ, merita illorum utpote finita, nullam habuissent proportionem cum Incarnatione, quæ est præmium infinitum. Meruerunt tamen aliquas Incarnationis circunstantias. Abraham namque fide suâ meruit ut Messias è stirpe suâ oriretur, Gen. 22. v. 18. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes, quia obedisti voci meæ.* Ita etiam David Psal. 131. *De fructu ventris tui ponam su-*

et sedem tuam. Ita & Daniel c. 9. votis suis acceleravit Messiæ adventum.

Non meruerunt tamen de condigno, tum uia non intercessit Dei pactum quòd diximus prærequiri ad meritum de condigno; romissa enim mox recensita non præcesse-ınt, sed subsecuta sunt Patriarcharum opera: ım quia illæ circunstantiæ non sunt præmium d quòd naturâ suâ tendant bona opera. Quaropter sicut bona temporalia non sunt virtus merces de condigno, sed ad summum de ongruo; quia bona opera per gratiam elicita non tendunt ex naturâ suâ nisi ad beatiudinem spernaturalem, & ad perficiendum rincipium, ex quo procedunt, nempe graam sanctificantem; ita de Incarnationis cirunstantiis ratiocinandum est. Congruum taıen fuit, ut Deus iis beneficium concede-ꝛt, quos accipiendi fecerat dignos; eorumue preces exaudiret, ad quas gratiâ suâ initaverat.

Instabis: Mereri Matrem Dei fieri, idem est, mereri substantiam Incarnationis, cùm Ma-ꝛr Dei existere non possit, nisi Deus tempoıliter nascatur. Atqui beata Virgo meruit fiei Mater Dei: canit enim Ecclesia, *quem meuisti portare, resurrexit*: ergo beata Virgo meıit substantiam Incarnationis.

Distinguo majorem. Mereri nullo supposito Dei decreto Incarnationis peragendæ, Conedo: supposito decreto, Nego majorem. Jamque supposito tali decreto beata Virgo otuit mereri duntaxat ut Filius Dei incarnanus, ex ipsâ potiùs, quàm ex aliâ nasceretur; uod pertinet ad circunstantias Incarnationis, uemadmodum de Abrahamo & Davide diımus.

Distinguo similiter minorem. Beata Virgo meruit fieri Dei Mater, de congruo, Concedo: de condigno, Nego minorem propter rationes mox allatas.

Confirmatur 1°. auctoritate sanctorum Patrum. Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos sic scribit: *Adverte quòd beatam se dicat non proprio merito, sed Dei in se habitantis clementiâ.* Sanctus Bernardus serm. de nativitate beatæ Virginis, *Maria*, inquit *non prætendit meritum; sed gratiam quærit.* 2°. Ratione, gratia ordinatur ut perfectè Deo subditi simus per cognitionem & amorem: at maternitas hunc transcendit ordinem, efficitque ut persona creata cum homine Deo per identitatem & in primo consanguinitatis gradu sit unita, ita ut verè & propriè dicere queat Christo Domino: *Filius meus es tu, ego genui te, caro mea es. Tantò excellentior Angelis effecta*, inquit sanctus Bernardus, *quantò differentius præ illis nomen Matris accepit*: sub quo titulo supremus omnium Dominus filialem illi reverentiam exhibuit.

Urgebis: Illa meruit de condigno fieri Mater Dei, quæ tanto honore fuit digna. Atqui beata Virgo fuit digna, quæ Mater Dei fieret, ex sancto Ambrosio lib. 2. de virginibus. Sanctus Damascenus & S. Bernardus vocant eam sacrarium Spiritûs sancti, & templum Deo dignum: canit quoque Ecclesia eam fuisse præparatam, ut dignum fieret Filii Dei habitaculum. Ergo.

Nego majorem: beneficium enim non debetur eo ipso, quo quis illis accipiendi est dignus. Rex non tenetur induere vestem, quæ censetur Rege digna: homo pietate & eruditione insignis, ideoque Episcopatu dignus, Episcopatum propterea non meretur de condigno.

Vox itaque (dignus) significat solùm aptitudinem, decentiam & ad summum meritum de congruo.

Porrò beatam virginem de congruo maternitatem meruisse concessimus, tum propter auctoritates in objectione adductas, tum propter rationem quam sanctus Thomas quæst. 27. proponit in hunc modum. Deus neminem eligit ad aliquod munus, quin priùs illum disposuerit idoneumque reddiderit juxta illud Apostoli 2. Cor 3. *qui & idoneos nos fecit Ministros novi testamenti.* Atqui beatam Virginem præ ceteris elegit, ut esset Mater unigeniti Filii sui: ergo dubitandum non est, quin idoneam præparaverit ad singularem illam dignitatem; colligiturque ex Angeli verbis Luc. 1. *Invenisti gratiam apud Deum, ecce concipies.*

Q. 2°. *Quibusnam gratiarum donis beata Virgo idonea effecta est, ut esset Mater Dei?*

R. Quatuor recensentur à sancto Thomâ, quæst. citat.

Primò immunis fuit ab omni labe peccati actualis etiam levissimi, tum quia honos & ignominia parentum redundant in filios juxta illud Prov. 17. *Gloria filiorum patres eorum:* tum quia Dei sapientia habitavit non solùm in ejus animâ, sed etiam in utero, *In malevolam autem animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*, Sap. 1. tùm quia per maternitatem conjuncta est cum Filio Dei incarnato in primo gradu consanguinitatis, adeo ut caro Christi sit caro Mariæ, ex sancto Augustino: Ergo fuit ab omni labe pura: *Quæ enim societas luci ad tenebras?* 2. Cor. 6. illudque Cant. 4. in eâ impletum est: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Et ita semper Ecclesiam piè credidisse docent Patres Tri-

dentini, seff. 6. Can. 23. De immunitate autem à peccato originali diximus, ubi de lapsu primi hominis.

Secundò, libera fuit à fomite peccati, seu ab omni inordinato concupiscentiæ motu; quo vel inclinaretur ad malum, vel difficultatem pateretur in bono; quia talis inordinatio est quædam macula, quæ matrem Dei dedecet & corpus virgineum, ex quo nasciturus erat Filius Dei. Nec obstatquod scribit sanctus Joannes Damascenus, Spiritum-sanctum supervenisse, ut purgaret eam; purgavit enim eo modo, quo Angeli superiores dicuntur purgare inferiores, quatenus illos illuminant; hoc est, mentem illius amplius illustravit, & in amore Dei magis accendit, ita ut per allegoriam de beatâ Virgine dicere liceat, quod legitur Ezech. 43. *Ecce gloria Domini Israël ingrediebatur per portam orientalem:* id est, per Mariam; *&* *terra,* id est, caro ejus, *splendebat à majestate Dei.*

Tertiò, sanctificata est ex utero; quamvis enim Scriptura de ejus nativitate & conceptione omnino sileat, una tamen est Theologorum & Catholicorum sententia, illud privilegium Matri Dei non fuisse denegatum, quod aliis concessum legimus ut Jeremiæ, qui sanctificatus est priusquàm exiret de vulvâ, Jer. 1. & sancto Joanni Baptistæ, qui Spiritu Sancto repletus est ex utero matris suæ, Luc. 1. *Inde enim scimus*, inquit sanctus Augustinus lib. de naturâ & gratiâ cap. 36. *quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habere peccatum.*

Quartò, per hujusmodi sanctificationem consecuta est plenitudinem omnium gratiarum: *Ave gratiâ plena*, ait ad eam Angelus Luc. 1.

uò enim Sancti Christo omnium gratiarum
onti conjunctiores fuerunt, eò largiùs de ejus
enitudine receperunt, ut sanctus Joannes-
aptista & Apostoli. Atqui beata Virgo fuit
ngulariter & in primo gradu Christo con-
ncta: ergo habuit eam gratiarum plenitudi-
em, quæ nec sancto Joanni Baptistæ, nec
ncto Stephano, nec Angelis, nec ulli puræ
eaturæ convenire possit. *Bene gratiâ plena*,
quit Auctor Commentariorum, in Lucam
ud sanctum Hieronymum; *quia ceteris per*
rtes, Mariæ verò se totam simul infundit gratiæ
enitudo.

Objicit sibi Angelicus Doctor: ei quod est
enum & perfectum, non restat aliquid ad-
ndum: sed gratia Mariæ primò collata aug-
entum accepit, tum in Incarnatione, cùm
divit ab Angelo, *Spiritus sanctus superveniet in*
: tum in glorificatione. Ergo.

Respondet ad antecedens, triplicem esse di-
nguendam perfectionem & plenitudinem;
a est dispositionis, qualis in ligno proximè
sposito ad ignem, quâ lignum dicitur plenè,
rfectè, & summè calidum: alia est formæ,
alis est calor, qui cum igne introducitur in
num: alia denique finis, qui est ultima rei
rfectio, ultra quam progredi non licet. Beata
rgo in sanctificatione primam accepit pleni-
dinem: in Incarnatione secundam; in glori-
atione tertiam. Distinguenda quoque est ple-
udo capitis à plenitudine cujuslibet membri
am præcipui; sicut distinguitur plenitudo
aris à plenitudine conchæ, quamvis latissimæ
profundissimæ. Prior, quia talis est tum ex
rte subjecti, tum ex parte objecti & virtutis,
llum omnio admittit augmentum: poste-
r vero quæ talis dicitur solâ ratione subjecti,

majorem virtutis & gratiæ influxum recipere potest; nec dubitandum est, quin beata Virgo suis bonis operibus in gratiâ creverit.

Nec dicas fontem in concham semel plenam non influere, sed effluere. Fons namque in fluxu suo non auget conchæ dimensiones, secundùm quas capax est recipiendæ aquæ: contra Deus influendo sapientiam & gratiam, spiritûs humani & Angelici virtutem dilatat & perficit; dedit Salomoni cordis latitudinem, Scripturâ teste, eo ipso, quo potioribus scientiæ donis illum cumulavit, adeo, ut spiritus fiat vel angustior vel latior, secundùm donorum spiritualium mensuram. Unde licèt beata Virgo in sanctificatione suâ fuerit gratiæ plena, nullumque vacuum in ejus corde, remanserit, cùm omnes ejus animæ vires gratia ad se traxerit; nihilominus bonorum operum merito nova in dies illi accessit gratia sicut & cordis latitudo.

Caput X.

Utrùm Christus aliis meruerit.

R. Primò, meruit nobis vitam æternam, & omnes gratias, per quas illam consequi possimus.

Probatur 1°. Scripturâ generatim, Ephes. 1. *Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*; spirituali ait & in cœlestibus, non verò temporali & terrena; neque enim mortuus est Christus ut homines nascéremur, sed ut spiritualiter renasceremur, ut loquitur sanctus Augustinus, neque ut seculi felicitate gauderemus, sed ut jugum cupiditatis excuteremus. Ad hanc autem victoriam

riam plus juvant adversa, quàm prospera. Quod tamen non ita accipiendum est quasi in adversis ad Christum non sit recurrendum; nam & ipse tum cæcis restituit visum, ægris sanitatem, mortuis vitam, cùm ad æternam salutem expedire advertit; diximusque tractatu de Attributis hujusmodi bona temporalia posse aliquando numerari inter effectus prædestinationis: sed si ad ea petenda cupiditate agimur, non in nomine Salvatoris petimus, quia contra rationem salutis petimus. Ita ferè S. Augustinus tract. 102. in Joan.

Probatur 2°. speciatim quoad singulas responsionis partes. De prædestinatione, quæ est gratiarum prima, habetur cap. 1. ad Ephesios: *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum.* De vocatione, primo prædestinationis effectu, 2. ad Tim. c. 1. *Vocavit* (nos) *vocatione suâ sanctâ .... quæ data est nobis in Christo.* De justificatione, quæ vocationem consequitur, 1. Joan. cap. 1. *Sanguis Jesu-Christi, Filii ejus emundat nos ab omni peccato:* De bonis operibus, quæ sunt justificationis fructus, Joan. 15. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum quia sine me nihil potestis facere.* De vitâ æternâ Rom 6. *Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.*

Dices 1°. Ait Christus Joan. 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater .... traxerit eum:* Ergo Christus non meruit nobis vocationem & fidem.

Nego conseq. nam Pater trahit ut causa Physica, Filius ut causa moralis & meritoria, quatenus homo est.

Dices 2°. Christus eam gratiam nobis meruit duntaxat quam primus parens amisit. Atqui primus parens non amisit fidem: ergo non meruit nobis fidem.

Respondeo primò, negando majorem: nam Christus nobis meruit gratiam, quâ propter peccatum originale privamur. Atqui certum est nos privari fide propter peccatum originale; non enim fideles nascimur, sed renascimur per gratiam Domini nostri Jesu Christi. Ergo. Secundò negari potest etiam minor, quia multi Patres censent Adamum amisisse fidem, & credidisse diabolo affirmanti, contra Dei verbum, se ex esu fructûs vetiti nequaquam esse moriturum.

Q. 2°. *Christus meruit-ne Angelis?*

R. Meruit Angelis beatis gratias consectarias; per ipsum enim innotuit Principatibus & Potestatibus in cœlestibus multiformis sapientia Dei, cap. 3. ad Ephes. v. 10. Utrùm autem meruerit gratiam, in quâ conditi sunt Angeli, perseverantiam eorum in bono, & beatitudinem, pendet ex aliâ quæstione, scilicet an Adamo non peccante filius Dei fuisset incarnandus.

Scotistarum Schola cui se adjungunt alii Theologi, docet Filium Dei venturum impassibilem, etiamsi Adamus non peccasset: ex quo principio concludunt ipsum meruisse Angelis omnem gratiam & gloriam, & primis parentibus justitiam originalem.

Thomistarum Schola, & plures alii Theologi contra statuunt in eâdem hypothesi Incarnationem non futuram, ac proinde nec gratiam & gloriam Angelis, nec justitiam originalem primis parentibus fuisse concessam meritis Christi.

Hæc posterior Sententia longè conformior est Scripturis sacris, & Ecclesiæ Traditioni. 1°. Scripturæ sacræ unicam afferunt Incarnationis causam, nempe generis humani liberationem. Isa. 61. *Dominus . . . misit me, ut mederer contritis*

corde & prædicarem captivis indulgentiam. Matth. 6. *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus ... non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Luc. 19. *Venit ... Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Similia habentur Joan. 3. v. 16. & c. 10. v. 10. Gal. 4. v. 4. 1. Tim. 1. v. 15.

Secundò, hæc eadem sententia est sanctorum Patrum. S. Irenæus lib. 5. cap. 14: sic scribit: *Si non egeret caro salvari, nequaquam verbum Dei caro factum fuisset.* Origenes h. 24. in Num. *Si non fuisset peccatum, Filius Dei mansisset hoc quod erat in principio Deus Verbum.* S. Athanasius Orat. 3. contra Arianos: *quòd homo est factus* (Filius Dei) *nunquam contigisset, nisi hominum necessitas causam præbuisset.* Sanctus Ambrosius de Incarnatione c. 6. *Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ peccaverat, redimeretur?* S. Augustinus serm. 3 de verbis Apostoli: *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus l. 5. de Trinitate: *Si non peccassemus, neque factus similis nobis esset Filius Dei.* Denique Ecclesia in benedictione cerei Paschalis, prævaricationem Adami vocat felicem culpam, peccatum necessarium; necessarium, inquam, ut talem haberemus Redemptorem.

Probari etiam potest hac ratione Theologica. Decretum Dei liberum, & à solâ ejus voluntate pendens, eatenus nobis innotescit, quatenus nobis revelavit, nam *quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*, ait Apostolus 1. Cor. 2. Atqui æternum decretum de Verbo incarnando est liberum, utpote respiciens opus ad extra; diciturque ab Apostolo sacramentum à seculis in Deo absconditum, Ephes. 3. Nullibi Deus revelavit implendum, etiam in hypothesi, quod homines in Adamo non peccassent. Ergo divinationis genus est asserere

in eâdem hypothesi, tale decretum extitisse in Deo, & convenienti tempore fuisse implendum.

Dices: Filius Dei venit, non solùm ut redimerentur homines, sed etiam ut esset eorum Doctor, exemplar, & Caput. Quidni ergo tanta beneficia ipsis non peccantibus contulisset cùm actu & de facto Angelis in gratiâ perseverantibus factus sit Doctor & Caput?

Respondeo 1°. illud argumentum nimis probare; probat enim Filium Dei assumpsisse carnem propter Angelos, quod tamen est falsissimum. Unde illud retorqueo in adversarios: Filius Dei non venit ut esset Doctor & Caput Angelorum, qui in gratiâ perseveraverunt: ergo neque hâc de causâ venisset propter homines, si à gratiâ non excidissent.

Respondeo 2°. distinguendo antecedens. Filius hominis venit ut esset Doctor & Caput hominum; venit, inquam, secundariò, Concedo: primariò, Nego antecedens, Incarnatio itaque 1°. decreta est ad salvandum hominem: *Vocabis nomen ejus Jesum*, inquit Angelus ad Joseph, Matth. 1. *ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ex hoc autem primario Salvatoris titulo ceteri, tanquam ejus appendices, fluunt. Ideo enim Christus est hominum Doctor, quia illuxit his, qui in tenebris peccati & umbra mortis sedebant. Ideo Caput quia cùm per veterem Adam, infaustum hominum caput, peccatores constituti sint multi, novus Adam factus est nobis justitia & sapientia à Deo. Quia verò ratione hypostaseos & personæ, omnem creaturam, etiam Angelicam, antecellit, consequenter subduntur illi Principatus & Potestates, qui in ministerium ejus dati sunt, & per illum Dei mandata & con-

filia percipiunt, atque ita caput Angelorum effectus est.

Dices 2°. Tertullianus lib. de resurrectione Christi cap. 6. scribens de formatione corporis Adami, sic habet: *Quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus*. Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 15. Thesauri comparat Christum fundamento domûs, quod sanè prius est in ædificio. Ergo Christus prædestinatus est ante omnem creaturam, an proinde ante prævisum Adami peccatum, hinc dicitur creatus ante omnes creaturas, Prov. 8. primogenitus omnis creaturæ, Col. 1.

Nego conseq. Christus quidem ut Deus & Sapientia æterna, est ante omnem creaturam, sed ut sic non est prædestinatus: ut homo verò prædestinatus est, & præconceptus antequam Adamus fieret, sed non antequam peccatum ejus futurum prævideretur. Est quoque fundamentum reparationis generis humani, non creationis universi, aliàs sanctus Cyrillus sibi contradiceret. Et quamvis gratia Angelorum sit entitate similis gratiæ hominum, illis tamen concessa non est meritis Christi, sicut nec Adamo in statu innocentiæ; nec in illis per se fuit efficax sicut in hominibus post Adami lapsum. Cùm autem Adamus peccando gratiam amiserit, Christusque amissam restituerit, certum est Adamum redemptum omnem suam gratiam & gloriam Christi meritis debere.

Ex dictis hoc capite & præcedenti sequitur, Incarnationis causam finalem esse salutem hominum, efficientem verò solam Dei misericordiam, & omnipotentiam.

Caput XI.

Utrùm Christus propriè satisfecerit pro hominum peccatis?

Negant Sociniani, reclamantibus Scripturis, in quarum paginis ferè omnibus Christus prædicatur hominum Mediator, Salvator & Redemptor; Agnus pro nobis occisus; Sacerdos, qui in sanguine non alieno, sed proprio, Deum nobis repropitiavit. Sed ista pro more detorquent ad sensus improprios & metaphoricos: Christus, inquiunt, est Redemptor, quemadmodum Deus dicitur Salvator & Redemptor Israël, Isaiæ 48. & 63. quatenus scilicet liberavit nos doctrinâ suâ, & intercessione, absque soluto pretio: est Mediator eo modo, quo Moyses Gal 3. vers. 19. Pro nobis mortuus est, quia in commodum nostrum, hoc est, ut ejus exemplo mortem, spe melioris vitæ, alacriùs oppeteremus. Denique est Sacerdos non quòd ullum verum sacrificium obtulerit, aut in cruce victima piacularis extiterit; sed quia divinæ voluntatis fuit interpres, & in proprio sanguine cœlum introivit, ut appareat vultui Dei, pro nobis intercedendo, quemadmodum summus Pontifex Judæorum in sanguine alieno Sancta Sanctorum ingrediebatur ut fusè prosequitur Apostolus c. 8. 9. & 10. ad Heb. Sed contra hanc hæresim,

R. De fide est Christum Dominum propriè satisfecisse pro hominum peccatis; & hæc doctrina adeo constans est apud omnes, qui Christiano nomine censentur, ut ante Socinum

nullus etiam Hæreticus eam inficiatus sit; nec Tridentini Patres novâ definitione firmandam esse dixerint; sed eam tanquam inconcussam & indubitatam supposuerint, sess. 22. cap. 1. & 2. & Can. 3. & 4. Cùm autem innumeri propè Scripturæ textus ad hanc veritatem demonstrandam suppetant, omnes in uno syllogismo concludimus.

Probatur itaque hoc uno argumento, tum ex omni hominum sensu, tum ex Scripturis deprompto. Ille verè & propriè pro alienis offensis satisfecit, qui 1°. se sponsorem & vadem pro illis constituit: 2°. qui illorum loco pœnas peccatis debitas exsolvit: 3°. qui iram personæ læsæ & offensæ placavit, atque ita reos cum illâ reconciliavit, pristinamque amicitiam peccatis solutam redintegravit. Atqui Christus Dominus hæc tria pro nobis apud Deum præstitit: ergo verè & propriè pro nobis satisfecit. Majorem admittunt Sociniani.

Minor probatur 1°. ex Isaïæ capite 53. quod de Christo interpretantur etiam Sociniani. In illo autem capite, 1°. Christus ultrò se sponsorem obtulit, *Oblatus est quia ipse voluit;* & quidem non pro peccatis propriis; *Propter scelus populi mei percussi eum:.. eo quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.* 2°. Deus peccatis nostris læsus sponsionem admisit: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm .... & Dominus voluit conterere eum in infirmitate.* 3°. Christus revera pœnas peccatorum nostrorum tulit, non à cervicibus nostris illas duntaxat removendo, quemadmodum morbos corporales removit, ut fingunt Sociniani, sed & à nobis abstulit, & in se suscepit: *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* 4°. His vulneribus peccata nostra expiata fuêre & debita

persoluta: *Si posuerit pro peccato animam suam* (Hebraïcè, Si posuerit seipsum in Victimam piacularem) *videbit semen longævum.* Denique pax & reconciliatio nostra inde consecuta est, *disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.*

Probatur 2°. eadem minor ex capite 2. primæ Petri: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus: cujus livore sanati estis.* Ergo vulnera Christi non sunt mera exempla obtinendæ sanitatis, ut somniant Sociniani, sed remedia efficacia; aliàs sanari diceremur livore & plagis Martyrum, cùm iis incitemur ad vitæ præsentis contemptum & futuræ desiderium.

Probatur 3°. ex Epistolâ ad Hebræos, in quâ diceres Apostolum ex professo confutandum suscepisse errorem Socinianum, adeò fortiter illum ex quâlibet parte confodit, & accuratè omnia effugia occludit. Ac 1°. quidem ex communi omnium gentium notione & usu demonstrat Sacerdotem primariò esse institutum ad placandum divinum numen victimarum oblationibus, adeò ut ille non sit Sacerdos, cui non competit sacrificium offerre: *Omnis namque Pontifex*, inquit cap. 5. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum ut offerat dona & sacrificia pro peccatis.* & cap. 8. *Omnis .... Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: undè necesse est & hunc habere aliquid, quod offerat. Talis* autem *decebat ut esset nobis Pontifex* (qualis Christus ait capite 7.) *sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, & priùs pro delictis suis hostias offerre, deinde pro populi.* 2°. Expendit Apostolus

quæ hostia piacularis respondeat excellentiæ tanti Pontificis, & majestati divinæ; ac 1º. definit non esse trucidatum pecus, his verbis cap. 8. v. 4. *Si ergo esset* (Christus) *super terram nec esset Sacerdos, cùm essent qui offerrent secundùm legem munera, qui exemplari & umbræ deserviunt cœlestium.* Hoc est, si Christus offerret super terram victimas terrenas & legales, non esset Sacerdos, tum quia non est ex Tribu Levi, nec ex familiâ Aaron; tum quia illæ victimæ erant figuræ & umbræ futurorum & verorum, quæ per novum Sacerdotem erant implenda, ac proinde staret adhuc vetus sacerdotium, quo Christus, utpote ex tribu Juda oriundus, insigniri non potuit. Hinc 3º. declarat cap. 10. v. 5. & sequentibus, ipsum esse Sacerdotem simul & victimam piacularem. *Ideò*, inquit, *ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio ... ut faciam, Deus, voluntatem tuam .... in quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel.* Christus itaque juxta ratiocinium Apostoli succedit victimis Aaronicis, sicut lux umbræ, veritas figuræ. Atqui constat ex Scripturis victimas legales loco hominum nocentium substitutas & cæsas fuisse, Lev. 17. v. 11. *Anima carnis in sanguine est: & ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.* c. 16. v. 22. hircus pro peccato dicitur portare omnes iniquitates, quas Sacerdos in caput ejus transmittere significabat ritu ibidem præscripto v. 21. *Et positâ utrâque manu super caput ejus* (hirci) *confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, & universa delicta, atque peccata eorum, quæ imprecans capiti ejus*, &c. Ergo Christus

H v

novi testamenti vera & unica victima in se suscepit peccata nostra, & pœnas pro iis debitas. Hinc dicitur factus peccatum, 2. Cor. 5. v. 21. & maledictum, 3. Gal. v. 13. namque hostia pro peccato immolata dicitur peccatum, Oseæ 4. v. 8. Sacerdotes *peccata populi mei comedent*, id est, vescentur victimis pro peccatis populi oblatis.

Superest tertium & ultimum controversiæ caput, an & quomodo Christus pro nobis propriè sit sponsor & mediator, Sacerdos & victima piacularis, quemadmodùm hactenus demonstravit Apostolus, actu & de facto debita nostra solverit, & peccata nostra, quæ in se suscepit, vero sacrificio expiaverit. Hanc difficultatem aggreditur idem Apostolus capite 9. & 10. decernitque Christum in cruce hæc omnia præstitisse, atque hanc suî oblationem loco omnium victimarum & sacrificiorum legalium substituisse. *Et omnis quidem Sacerdos*, inquit cap. 10. v. 11. *præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata.* Loquitur de jugi sacrificio, in quo singulis diebus agnus immolabatur: de Christo verò pergens subdit: *Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dexterâ Dei.* In Græco habetur: *postquam obtulisset*, quod denotat oblationem cruentam & expiatricem in cruce semel peractam, & nunquam repetendam, ut Apostolus præmiserat, capite. 9. v. 25. 26. & 28. non *ut sæpè offerat semetipsum* ..... *alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi.* Nempe si una illa cruenta oblatio non sufficeret ad expianda tum priorum, tum posteriorum seculorum peccata: *nunc autem semel in consummatione*, id est, in fine *sæculorum*, *ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. Et*

quemadmodum statutum est hominibus semel mori ... sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.

At, inquiunt Sociniani, Christus ex Apostolo manet Sacerdos in æternum; eo quòd semper sit vivens ad interpellandum pro nobis in cœlo, in quod semel ingressus est per proprium sanguinem, quemadmodum Pontifex Judæorum semel in anno introibat in sanctum Sanctorum: *Non sine sanguine, quem offert pro suâ & populi ignorantiâ* c. 9. v. 7. Ergo peccata nostra non expiavit, nisi quatenus doctrinâ suâ sustulit ignorantiam, dum in terris ageret, & nunc in cœlo per sanctuarium adumbrato offert suum sanguinem pro nobis interpellans.

Contra, 1°. omnia peccata dicuntur stultitia & ignorantia, juxta illud vulgare effatum: *Omnis peccans est ignorans. Stultè egi nimis*, ait David 2. Reg. cap. 24. *Ignorantias meas ne memineris.* Psalm. 24. 2°. Christus substitutus est non solùm victimæ solemnis expiationis, quæ semel in anno immolabatur, Levit. c. 16. sed & omnibus aliis, quæ per singulos dies mactabantur, Heb. 10. v. 11. 3°. Apostolus distinguit duplicem oblationem: altera est cruenta, eaque unica & nunquam repetenda, quâ unâ *consummavit in æternum sanctificatos*, capite 10 v. 14. hoc est, quâ plenè expiavit omnium peccata, meruitque omnibus sanctificationem: altera incruenta, quam nunc in cœlis continuò peragit Advocatus noster apud Patrem, ut Passionis & cruentæ oblationis fructus nobis applicetur. Hujus autem oblationis duplicis umbram & figuram fuisse sacrificium expiationis demonstrat Apostolus; namque vitulus & aries pro peccatis Sacerdotis, & Hircus pro peccatis populi offerebantur in holocaustum extra san-

ctuarium; sanguis harum victimarum fundebatur super cornua altaris, & corpora extra castra comburebantur. Sed ut expiatio compleretur, Pontifex sanctuarium ingressus sanguine vituli & hirci asper gebat propitiatorium, Lev. 16. Sic Christus assistens Pontifex & victima futurorum bonorum in arâ crucis mactatus & oblatus est in holocaustum toto sanguine effuso; deinde per proprium sanguinem introivit in sancta non manufacta, id est, in cœlum, ut appareat vultui Dei, & virtute sanguinis sui interpellet pro nobis: quæ eleganter Apostolus prosequitur cap. 9. & 10.

Non adducimus traditionem, quæ nullius est pretii apud Socinianos, quamque in hac parte sibi adversari ultrò fatentur, eò temeritatis progressi, ut contendant Apostolorum discipulos Magistrorum mentem non fuisse assecutos, adeò ut veritas detegenda & liberanda Socinum expectaret. Qui ita sentit, desipit, ut verbis sancti Augustini loquar.

Objiciunt 1°. Sociniani, absurdè & contra Scripturarum luculenta testimonia asseritur Deum hominibus fuisse iratum, cùm ubique prædicetur benevolus, *Nolo*, inquit Ezech. 33. *mortem impii, sed ut convertatur.* Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Peccatores inimicitias contra ipsum gerentes sibi reconciliare non destitit, 2. Corinth. 5. v. 19. Non ergo erat opus Mediatore, qui Deum hominibus reconciliaret, qui ipsum placaret, pœnasque lueret; aliàs Christus ipse, utpote Deus fuisset placandus.

Nego antecedens: scriptum est enim Galat. 3. v. 10. *Maledictus omnis, qui non permanserit in*

omnibus, quæ scripta sunt in lib. legis. Romanor. 1. v. 18. *Revelatur ... ira Dei de cœlo super omnem impietatem.* Ephes. 2. v. 3. *Eramus naturâ filii iræ.* Psal. 4. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Ergo placandus erat Deus, ac proinde Christus ipse, quatenus Deus, & nobis reconciliandus, quamvis jam benevolus, quemadmodum pater in filium protervum & in se contumeliosum irascitur, & nisi resipiscat, ipsique satisfaciat, illum exheredare meditatur: ne autem ad illum extremum compellatur, pietas paterna illum quovis modo, interpositis etiam mediatoribus, ad pœnitentiam, & ad debitas reconciliationis conditiones, duras quidem adducere satagit.

Instabis: Negari non potest, quin immensa Dei misericordia in hominum reconciliatione eluxerit: atqui nulla deprehenderetur si ab eorum sponsore plenam & integram satisfactionem exegisset. Quæ enim indulgentia in creditore erga debitorem, qui ab ejus sponsore usque ad novissimum quadrantem repetit? Ergo.

Nego minorem: latum enim discrimen est inter restitutionem & satisfactionem: restitutio non spectat personam, sed rem ipsi debitam; præcisèque tendit, ut in rebus æqualitas reponatur, adeò ut creditor non plus retineat, quàm ad ipsum pertinet; creditor verò nihil minus habeat, quàm ipsi debetur. Unde si amicus creditoris oblatâ pecuniâ totum damnum resarcire velit, creditor, aliàs debitori infensus, & novis expensis illum opprimere appetens, solutionem abjicere non potest; licetque illi dicere: *Tolle quod tuum est, & vade.* At satisfactio directè respicit personam, quæ læsa est & depressa ab eo, qui in illam superbè & contumeliosè insurrexit; jusque habet, ut ille ipse

deprimatur, pœnas luat, rejectâ alterius satisfactione, qui ultrò tantum honorem, quantus à reo ablatus est, rependere offerret. Si igitur mediatorem admittat, qui pro reo veniam precetur & pœnam subeat, reo sanè gratificatur; quem sic reconciliatum in amicitiam suam recipit? quantò magis si ipse talem mediatorem reo per se ad condignè satisfaciendum impari præparasset & suscitasset? Sic autem Deus dilexit mundum.

Objiciunt 2°. Lex divina & humana prohibet ne innocens pro nocente spondeat, & plectatur: *Non occidentur patres pro filiis*, ait Dominus Deus. Deut. 24. *nec filii pro patribus, sed unusquisque peccato suo morietur.* Ergo.

Distinguo antecedens. Si Judex non habeat dominium directum in vitam innocentis, nec ipse innocens consentiat in suam necem, Concedo: secus, Nego antecedens. Judices quidem habent jus vitæ & necis, quatenus nocentes perimere possunt eo modo, quo licet Medico membra putrida & corpori noxia amputare; sed nulla potestas in vitam innocentis, etiam consentientis, ipsis concessa est, ut docent Theologi Tractatu de Justitiâ & Jure. Hanc potestatem Deus sibi retinuit Deut. 32. *Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego vivere faciam.* Atque hâc supremâ potestate præcepit Abrahamo, ut sibi Isaac immolaret, Gen. 22. minatur, Exodi 20. se visitaturum iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, quod in nepotes Achab opere complevit 3. Regum cap. 25. Porrò idem ipse *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, Rom. 8. Christus quoque Deus & propriæ vitæ Dominus sponte se obtulit *ad multorum exhaurienda peccata*, Hebr. 9.

Instabis: Ergo plus Christo debemus, quàm Patri.

Nego sequelam: Christo enim satisfacere plus non fuit, quàm Patri Filium suum dare; nam utrumque fuit infinitæ charitatis opus.

Caput XII.

Utrùm Christi satisfactio fuerit necessaria?

R. Primò: Neque Incarnatio, neque satisfactio Christi absolutè fuerunt necessariæ; 1°. quia opera Dei ad extra sunt liberrima: Deus enim, cùm ex sese sit infinitus & undequaque beatus, rebus extra se positis egere non potest. Atqui Incarnatio est opus ad extra: ergo; 2°. quia Deus potuit vel hominem peccatorem punire, quemadmodum Angelos perduelles vel aversum per gratiam suam convertere. *Universa massa*, inquit Sanctus Augustinus lib. de naturâ & gratiâ cap. 5. *pœnas debet, & si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè procul dubio redderetur.* & lib. de agone Christiano cap. 11. *Sunt stulti, qui dicunt: Non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & à peccatoribus omnia illa pateretur. Quibus dicimus, poterat omnino; sed si aliter faceret, similiter vestræ stultitiæ displiceret.*

Dices: Omne peccatum sub Deo justo puniri necesse est: ergo Deus sine præviâ satisfactione peccata hominibus condonare non potuit.

Distinguo antecedens. Puniri necesse est vel à Deo vindicante, vel ab ipso peccatore seipsum puniente, Concedo: à Deo solo vindi-

cante; Nego antecedens : licèt enim sit optimi Principis non sinere impios impunè grassari, laudandus tamen est, si aliquos à peccatis ad meliorem frugem adducat deinceps Reipublicæ profuturos.

Instabis 1°. Merces merito negari non potest: ergo nec pœna peccato.

Nego consequens. Disparitas est, quòd meritum acquirat jus personæ benemeritæ; peccatum verò personæ læsæ. Deus autem potest cedere jure suo, remittendo pœnas, cùm sit misericors; non verò alterum spoliare jure acquisito, cùm sit justus.

Instabis 2°. S. Athanasius lib. de Incarnatione asserit 1°. Deum integrâ & illæsâ suâ veritate & justitiâ, non potuisse hominem absque legitimâ satisfactione liberare. 2°. Indecorum futurum fuisse, si hominem lapsum deseruisset. Et hæc duo fusè probat S. Anselmus libro cui titulus est : *Homo Deus* : in quam sententiam consentire videntur Richardus Victorinus & Guillelmus Parisiensis : Ergo.

Distinguo anteced. non potuisse hypotheticè, nempe quia legem statuerat de pœnâ repetendâ, & illud prædixerat, Concedo : non potuisse absolutè, Nego antecedens, *Citra incarnationem*, inquit idem sanctus Doctor Orat. tertiâ contra Arianos, *poterat Deus solummodo loqui, & maledictionem solvere. Sed considerandum est quid hominibus expediat.* Opus equidem Incarnationis & redemptionis generis humani est convenientissimum, cùm in eo Deus manifestaverit infinitam suam misericordiam & justitiam, simul & odium, quo prosequitur peccatum, atque inde infinitus honos in ipsum refulserit, & incomprehensibilis ejus sapientia sensibiliter innotuerit ad spectantium stuporem. Hic

autem decor sine Incarnatione & Christi satisfactione mundo defuisset, ac propterea scribit Athanasius indecorum fore, si illud mysterium non fuisset peractum: indecorum, inquam, non positivè, quasi Deo repugnans; Deus enim producere non tenetur quidquid perfectissimum est, cùm nullo indigeat; quemadmodum nec humanus artifex pretiosissimam quamque materiam ad operandum assumere; sed sufficit, si susceptum opus juxta artis leges accurativè perficiat. Indecorum itaque foret negativè, hoc est, minùs decorum, & minùs conveniens, si Deus aliâ ratione hominem liberasset. Et ita conciliandi sunt inter se alii Patres, qui disertè docent aliis modis genus humanum potuisse salvari, ut sanctus Augustinus suprà laudatus, sanctus Leo serm. 2. de Nativitate, S. Cyrillus Alexandrinus lib. de Incarnatione; S. Bernardus epist. 1a. *Quis negat*, inquit, *Omnipotenti fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis?* Et nihilominus aliquando scribunt nullum esse salutis remedium, nisi Christus advenisset. Ita sanctus Augustinus sermone 14. de Tempore, & sermone 8. de verbis Apostoli; sanctus Leo sermone 1. de Passionne; sanctus Cyrillus Alexandrinus Dialogo de Incarnatione: excipiendum tamen sanctum Anselmum censent Vasquesius & Petavius, existimantes duriora ejus verba ut cùm communi sententiâ conciliari possint.

R. Secundò, Incarnatio Christi & satisfactio, ex hypothesi quòd Deus plenè & perfectè sibi satisfieri voluerit, necessariæ fuerunt; nec ulla pura creatura, etiam gratiis ornata, id præstare potuit.

Probatur 1o. ex auctoritate tum Scripturæ, tum SS. Patrum. Hebr. 9. & 10. Apostolus

multis argumentis demonstrat solo Christi sanguine peccata expiari potuisse. Id ipsum sancti Patres colligunt ex his verbis Psalmi 48. *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem suam.* In quem locum sic scribit S. Basilius: *Ne igitur fratrem quæras, qui redimat; sed eum, qui naturam tuam superet; neque merum hominem, sed hominem Deum Jesum Christum, qui & solus potest dare propitiationem Deo pro omnibus nobis.* Ita S. Ambrosius expositione in eumdem Psalmum, & lib. 4. in Lucam; & S. Paulinus epistolâ quartâ ad Severum. *Ideo dictum puto*, inquit, *frater non redimit, redimet homo; quia quos frater non redimeret, hoc est, Propheta seu Legislator, qui homo tantùm erat; hos homo redimit, quia & Deus erat: hujusmodi enim homo solus prævalere potuit adversùs sententiam mortis.* Hinc Sanctus Leo serm. 1. de Nativitate ait: *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium: si non esset homo, non afferret exemplum.*

Probatur 2°. ratione. Ad perfectam satisfactionem tria requiruntur: 1°. ut fiat ex propriis: 2°. ex indebitis: 3°. ut sit injuriæ æquivalens. Atqui nulla pura creatura, etiam gratiarum donis instructa, talem satisfactionem Deo offerre potest. Ergo.

Major evidens est namque 1°. si quis ex bonis creditoris satisfaceret, nihil ei daret: 2°. Si ex bonis aliunde debitis, putà ex locatione, solveret pro mutuo accepto, debitor remaneret. 3°. Si cùm deberet centum, quinquaginta duntaxat exhiberet, non esset adæquata solutio.

Minor probatur quoad singulas ejus partes: 1°. Quidquid creatura habet & est, Dei est. *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*, Act. 17. *Non quòd sufficientes simul cogitare aliquid à nobis*

quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est, 2. ad Corinth. 3. *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere*, Philip. 2. Ergo creatura nihil offerre potest, quod non sit Dei proprium: ergo & debitum ; quia quod ad te pertinet, id tibi debetur.

Nec dicas hominem, utpote liberum, habere dominium suarum actionum, cùm libertas sit facultas disponendi de suis actionibus. Unde Theologi nonnullas supererogationis vocant, ex eo quòd Deo ultra debitum offerantur. Namque & libertas nostra & usus ejus Dei sunt, & in ejus obsequium converti debent. Opera autem supererogationis dicuntur ea, quæ sine peccato omitti possent, cùm nullâ lege præcipiantur. Sed in hypothesi, quòd fiant, sicut à Deo exeunt, sic ad illum dirigi debent, nec sine Dei injuriâ quis supererogaret pauperibus propter mundanam gloriam. Itaque homo, non Dei respectu, sed creaturarum duntaxat, dominus est tum actionum, quas liberè elicit, tum fundi, quem legitimè possidet.

Superest probanda tertia minoris pars, nempe creaturam non posse satisfactionem offerre, quæ Dei injuriæ æquivaleat. Probatur autem efficacissimè. Ut satisfactio sit plena & adæquata, necesse est ut tantùm honoris personæ læsæ rependatur, quantùm per injuriam fuit ablatum. Atqui nulla creatura tantùm honoris Deo rependere potest, quantùm per peccatum detraxit. Ergo.

Major patet ex solâ terminorum explicatione. Enimverò justitia dicitur æquitas seu æqualitas, ex eo quòd æqualitatem servet aut reponat, ubi jus proximi læsum est, minusque habet alter, quàm habere debeat : unde & in-

justitia dicitur inæqualitas. Cum autem proximus injusta pati possit vel in rebus ad se pertinentibus, putà in bonis fortunæ & famæ; vel in propria persona, nempe si secum indignè & cum honoris dispendio agatur; duplex quoque distinguitur justitiæ actus; alter dicitur restitutio quâ æquatur res, quæ redditur, cum re ablata, nullâ ratione habitâ personæ sive quæ damnum intulit, sive quæ damnum passa est, non enim refert Princeps-ne sit aut ignobilis, qui centum rapuit, tantumdem restituere debet; quia restitutio tota est in rebus æquandis, nec comparat personas cum personis, sed rem cum re. Unde perinde est à quo fiat, an à raptore & injusto detentore; an à parente ejus, aut amico, dummodo reponatur æqualitas, recipiatque proximus totum quod suum est.

Alter justitiæ actus dicitur satisfactio; quâ resarcitur injuria personæ illata, ut si quis vestem alterius detraxerit & laceraverit cum ejus personæ grandi contumeliâ, satis non est reddere justum vestis pretium, quod fieri posse diximus per patrem contumeliosi; sed insuper tantumdem honoris reddendum est personæ læsæ, quantùm dehonestata est. Id autem ab ipsomet contumelioso præstari debet; cùm enim superbè in alium insurrexerit, & injustè illum dejecerit, sibique quodammodo subjecerit; justitia exigit, ut ipsemet reus per suî dejectionem erigat quem depressit, tantùmque honoris rependat, quantùm abstulit. Unde satisfactio sita non est in rebus, sicut restitutio, sed in actionibus in quibus habenda est ratio personarum, & comparanda persona nocens cum persona læsa. Namque injuria crescit pro dignitate personæ læsæ, & vilitate lædentis; quia

majoris observantiæ & honoris dignus est princeps, quàm persona inferioris gradûs, magisque deprimitur à cive infimæ plebis, quàm à viro æqualis secum dignitatis: satisfactio contrà decrescit pro vilitate personæ satisfacientis & dignitate personæ læsæ; quia persona satisfactionem ingreditur, quatenus per actionem satisfactoriam dejicitur ad erigendam personam, quæ per injuriam fuit depressa. Qualis autem potest esse dejectio personæ infimi gradûs, & qualis honos ex eâ in Principem læsum refluit? nullus sanè aut ferè nullus; cùm tamen injuria sit gravissima. Hinc pœna talionis, quæ potest esse justa inter personas ejusdem dignitatis, erit iniqua, si reus & innocens sint gradu dispares: v. g. si Magistratus alium Magistratum alapâ percussit, justitia servabitur, si similiter repercutiatur: at bajulus, qui sic in Magistratum exarsisset, non alapâ, sed suspendio plectendus est, ut ipsemet Aristoteles advertit. Ex hâc autem elucidatione.

Minor, nempe quòd nulla creatura tantùm honoris Deo rependere potest, quantùm peccando detraxit,, evidenter sequitur. Namque ex dictis crescit offensa pro vilitate personæ nocentis, & dignitate personæ injuriâ affectæ: contrà verò proportione eâdem decrescit satisfactio, adeo ut injuria sit summa, & satisfactio minima, si persona læsa sit in supremo gradu, & persona satisfaciens in infimo. Atqui est distantia infinita inter majestatem divinam & creaturam quâlibet gratiâ ornatam. *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.* Isa.40. v. 17. Ergo creatura non potest exhibere Deo satisfactionem injuriæ æqualem.

Hæc ratio efficaciter concludit, 1o. pro pec-

cato lethali, sive malitia ejus sit intrinsecè infinita in ratione offensæ, juxta communiorem Theologorum sententiam; sivè sit intrinsecè finita, & extrinsecè tantùm infinita, ut nonnulli Theologi opinantur; 2o. pro peccato veniali, quod non videtur offensa intrinsecè infinita: quia etsi injuria à plebeïo Regi terreno irrogata sit finita, cùm inter utrumque non sit distantia nisi finita, nihilominus vilior est reus læsæ majestatis, quàm ut condignè satisfacere possit: ergo à fortiori.

Nec dicas inde sequi peccatum veniale mereri pœnam infinitam, cùm expiari non possit condignâ justi satisfactione. Sicut enim plebeïus, qui in Regem peccavit, non est infinitâ pœnâ puniendus, quamvis pro læsâ majestate facere satis non possit; sic nec justus, qui venialiter in Deum peccavit; sed uterque poterit satis pati, & pœna ex gravitate injuriæ erit definienda. Sed de his ex professo in Tractatu de peccatis.

Dices: Tanta est bonitas in actu charitatis, quanta malitia in omissione ejusdem actûs præcepti, cùm utrumque se habeat ut forma & privatio: nam vita, v. g. æquè bona est, ac mors mala. Atqui pura creatura auxilio gratiæ potest elicere, & offerre Deo actum charitatis: ergo condignum offerre potest pro peccato.

Distinguo majorem; tanta est bonitas, &c. quanta malitia, &c. si physicè spectentur, hoc est actus charitatis secundùm entitatem & valorem intrinsecum; omissio verò ut mera privatio actûs debiti, Concedo: si spectentur moraliter, scilicet actus charitatis secundùm valorem extrinsecum, & à personâ derivatum: omissio verò, quatenus est offensa Dei à creaturâ proficiscens, nego majorem. Concessâ

minore, distinguo similiter consequens; ergo creatura condignum potest offerre pro peccato, si comparetur res cum re, ut fit in commutationibus & restitutione, Concedo: si comparetur persona satisfaciens cum personâ læsâ, habeaturque offensæ ratio, ut debet in satisfactionibus, Nego consequens: namque ex dictis, qui Regi restitueret justum pretium coronæ per injuriam ablatæ, non condignè satisfaceret.

Instabis: Justus absolutè potest alteri de condigno mereri gratiam sanctificantem: ergo & pro illo satisfacere, cùm gratia sanctificans per se sit peccati expulsiva, & amicitiæ Dei conciliativa.

Transeat antecedens; cùm tamen negari possit & debeat; siquidem peccator indignus est gratiâ sanctificante, quandiu offensa Dei expiata non fuerit: solus autem Christus illam expiare potuit. Sed admisso antecedente neganda est consequentia; quia in hypothesi falsâ quòd justus gratiam sanctificantem peccatori mereretur, inde concludi non posset ipsum pro peccato satisfacere, sed Deum duntaxat condonare offensam, quemadmodum si vir præpotens propter egregium aliquod facinus, torquem à Rege pro filio læsæ Majestatis reo & pœnitente obtineret, non censeretur Regi satisfecisse, sed benevolentiam Regis, & gratiam filio conciliasse.



Caput XIII.

Utrùm Christi satisfactio offensæ Dei fuerit æquivalens?

R. Satisfactio Christi non solùm fuit sufficiens, sed & superabundans.

Probatur 1°. ex Scripturâ. Heb. 10. v. 14. *Unâ . . . oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, Rom. 5. v. 20. *Ubi autem abundavit delictum superabundavit gratia.*

Probatur 2°. ex Patribus: ex S. Cyrillo Jerosolymitano Catech. 3. *Non tantùm nos peccavimus, quantùm ille justè egit.* ex S. Chrysost. hom. 10. in ep. ad Rom. *Multò plura his quæ debebamus, dependit Christus; atque adeo tantò plura, quantò mare immensum ad pusillam aquæ guttam collatum esse posset.* ex S. Anselmo lib. de conceptu virginali c. 22. *Quoniam nullus potest reddere* (Deo) *quantùm debet, solus Christus reddidit pro omnibus qui solvantur, plusquam debent.* Ita S. Thomas qu. 48. art. 2. & omnes Theologi.

Probatur 3°. ratione Christus in satisfactionem seipsum Patri obtulit, Phil. 2. *Cùm in formâ Dei esset . . . semetipsum exinanivit . . .* & . . . *humiliavit, factus obediens usque ad mortem.* Atqui satisfactio Christi pro offensis nostris se offerentis, & humiliantis usque ad mortem, est sufficiens & superabundans. Ergo.

Dices 1°. Non potest dari infinito majus: atqui peccatum est offensa infinita: ergo non potest dari satisfactio Dei offensâ major.

Distinguo majorem. Non potest dari infinito majus in eodem genere infiniti; v. g. linea alterâ infinitâ major, calor intensior calore infinito,

nito, Concedo: in alio genere infiniti, Nego
najorem: nam superficies infinita esset major
neâ infinitâ, infinitè enim extenderetur in
ongum & latum, cùm linea in longum dun-
ıxat protenderetur. Item sapientia infinita esset
uid majus & perfectius calore infinito. Porrò
ersona divina est quid substantialiter infinitum
ı omni genere perfectionis, cùm offensa Dei
t tantùm derivativè infinita, scilicet à dignita-
: Dei infinita, & à vilitate creaturæ, ex qui-
us proficiscitur.

Dices 2°. Christus satisfecit per actiones ab
umanâ naturâ elicitas. Atqui actiones illæ fi-
itæ sunt, cùm sint aliquid creatum: ergo.

Respondeo 1°. distinguendo majorem: Per
ctiones humanas simul & per propriam per-
onam, Concedo: per actiones humanas dun-
ıxat & nudè spectatas, Nego majorem; nam
ipsum obtulit, humiliavit & exinanivit.

Respondeo 2°. distinguendo minorem: Actio-
es humanæ Christi sunt aliquid finitum si se-
undùm entitatem & valorem internum, vel
tiam à gratiâ sanctificante derivatum specten-
ır, Concedo: si secundùm valorem extrin-
cum, & à persona Verbi derivatum æstimen-
ır, Nego minorem. Equidem actiones Chri-
i secundùm entitatem sunt bonitatis & valo-
s finiti, cùm sint quid creatum. Hauriunt
iam aliquem valorem extrinsecum à gratiâ
nctificante, quemadmodum actus fidei aut
terius virtutis; licèt sit ejusdem speciei in
sto & peccatore, parisque bonitatis & valo-
; intrinseci; tamen pluris apud Deum æsti-
atur in justo, quàm in peccatore; quia ex
atiâ sanctificante, quæ justo inest, deriva-
r aliquis valor extrinsecus in actiones super-
turaliter bonas. Sed cùm gratia sanctificans

quantumcunque perfecta in Christo finita sit, non potest ex eâ nisi valor finitus emanare. At persona Christi infinita est in omni genere perfectionis : ergo ex eâ derivatur valor infinitus in actiones à naturâ humanâ elicitas, cùm ipsius sint, dicanturque theandricæ, hoc est, divinæ simul & humanæ. Unde neganda est consequentia; Christus enim satisfecit per aliquid infinitum; tum quia seipsum obtulit, tum quia actiones liberæ per quas seipsum obtulit, infiniti sunt valoris ab ejus personâ derivati.

Instabis : Valor ille derivatus est quid creatum, ergo & finitum.

Nego antecedens : neque enim est creatus, neque increatus; quia non est quid physicum, sed morale, necessariò resultans ex personâ, cujus sunt actiones.

Dices 3°. Persona divina nec demitti, nec subjici potest : ergo satisfactionem non est ingressa.

Distinguo antecedens : demitti non potest ratione naturæ divinæ, Concedo : ratione naturæ humanæ assumptæ, Nego antecedens; actiones enim ideo dicuntur suppositorum, quia persona ipsa per suam naturam, potentiasque naturales agit & patitur. Hinc Filius Dei (Phil. 2.) humiliavit semetipsum, factus est obediens, mortuus est & crucifixus scilicet ratione naturæ assumptæ.

Dices 4°. Sponsor non sufficienter solvit, nisi debitorem ita à debito exoneret, ut creditor nihil ab eo repetendum habeat : Atqui Christus non ita exemit homines; namque 1°. Obnoxii sunt morti & aliis hujus vitæ miseriis, quæ sunt pœna peccati. 2°. Qui sunt Christi carnem suam pœnitentiæ exercitiis crucifigere

debent, Gal. 5. Hinc ipse Dominus & Magister crucem sequentibus se imposuit, Luc 9. v. 23. *Si quis vult venire post me .... tollat crucem suam quotidie.* 3°. Qui huic debito in præsenti vitâ non satisfecerint, in futurâ punientur, sive in infero, sive in purgatorio. Ergo Christus, inquit Socinianus, pro nobis nullatenus satisfecit, nedum plenè; sed ex I. Petri cap. 2. *Pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Calvinistæ contrà ut confitentur perfectam Christi satisfactionem, concludunt ablegenda opera satisfactoria, utpote satisfactioni Christi detrahentia.

Distinguo majorem. Si debitum sit reale, & solutio fiat per modum restitutionis, in quâ comparatur res cum re, pretium cum damno illato, nullâ ratione habitâ personarum, Concedo: si debitum sit personale, & solutio fiat per modum satisfactionis, Nego majorem. Itaque in restitutione debiti realis sine culpâ debitoris contracti, v.g. in solutione censûs annui si sponsor totum solvat, etiam invito debitore, creditor nihil habet repetendum; quia, ut jam diximus, justitia id unum exigit, ut in rebus ponatur æqualitas. Sed in satisfactione, quæ tendit ad reconciliandum reum cum personâ læsâ, duo requiruntur: primum, ut fiat adæquata injuriæ compensatio, tantumque honoris personæ læsæ rependatur, quantum per injuriam fuit depressa, & illud sponsor per se solum præstare potest. Secundum, ut reus fruatur beneficio compensationis, reconcilietur personæ læsæ, redeatque in ejus amicitiam; quod fieri nequit, nisi reus cum sponsore concordet, crimen retractet, de eo doleat spemque creditori injiciat, fore ut illum deinceps honorificè observet. Alioquin si

I ij

reus à sponsore dissentiat, personam læsam negligat, nec facti eum pœniteat, quantacunque fuerit abundans & superabundans sponsoris satisfactio, nullum ex eâ fructum percipiet. Et ita corruit Socinianorum & Calvinistarum objectio. Licèt enim Christus sponsor noster solverit extra debitum, nihilque addi possit satisfactioni, quam pro nobis obtulit infinitam, verè tamen scripsit Apostolus Col. 1. *Adimpleo ea quæ desunt, passionum Christi*; deerat enim & etiamnum in plurimis deest effectus tam plenæ satisfactionis, nempe reconciliatio hominum & sanctificatio, cujus minister erat Apostolus, & ad quam requiritur, ut homines per pœnitentiam ad Deum revertantur, hoc sentiant in se quod in Christo Jesu, Philipp. 2. compatiantur ut & glorificentur, Rom. 8. absurdum enim est & nimis probrosum reum in deliciis vivere, sponsore ejus gratiâ usque ad contumeliosam mortem exinanito. *Prædestinavit* (nos) *conformes fieri imaginis Filii sui*, ait Apostolus Rom. 8. Et Discipulus quem diligebat Jesus, 1. Epistol. c. 2. *qui dicit se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Propterea mors & aliæ hujus vitæ miseriæ, quæ primi hominis peccatum secutæ sunt, manent in renatis, non ut reatus pœnæ, qui per baptismum deletus est, sed ut pœnitentiæ & virtutis exercitium. Hanc crucem nobis impositam sponsor non exemplo suo duntaxat, sed & gratiâ suâ interiore inunxit ut eam leviùs & alacriùs feramus. Quin & hunc patiendi affectum membris suis inspirat caput nostrùm effectus, ut per quamdam idiomatum communicationem ipse in nobis patiatur (quemadmodum ait Act. 9. *Saule, Saule, quid me persequeris?* caput namque hîc pro membris

onculcatis loquitur, ex S. Augustino) totumue corpus, quod est Ecclesia, tanquam hostiam sanctam, & pœnitentiæ afflictationibus nactatam Deo offerat, ut sit integrum holoaustum; atque eo sensu Apostolus dicere etiam otuit se adimplere ea quæ deerant passionum Christi, quatenus singula ejus membra cum pso & per ipsum pati debent.

Neque propterea credimus nos addere quidquam satisfactioni Christi, quemadmodum Novatores impiè calumniantur; quin imò ejus neritum & efficaciam in his operari agnoscinus, tamen enim fuit, ut non solùm debita nostra expunxerit, sed meruerit insuper, ut Deus quasi nostrî indigus aversos præveniret, suavitate suâ deliniret, & ad omne opus bonum aptaret in laudem gloriæ gratiæ suæ, ut ait Apostolus Ephes. 1. Porrò si æterna damnatio sine injuria satisfactionis Christi manet eos qui contra Deum tam misericorditer exhortantem obduruerint quid ni & temporalis pœna purgatorii alios, qui ex toto corde non acquieverint.

Caput XIV.

Utrùm satisfactio Christi fuerit ex justitiâ?

THeologi circa hanc quæstionem, quæ ad fidem non pertinet, variè opinantur. Alii negant fuisse ex justitiâ; quia, inquiunt, non est justitia sui ipsius ad seipsum, nec filii ad patrem, nec vicissim patris ad filium, cùm pater & filius quasi una persona habeantur: justitia enim necessariò intercedit inter personas distinctas, quibus competant jura di-

ſtincta. Atqui ſatisfactio Chriſti non eſt ad alterum, ſed ad ſeipſum; ſatisfecit enim Deo, qui, cùm ſit unus in tribus perſonis ſubſiſtens, ſibi ipſi ſatisfecit: eſt quidem perſona à Patre & Spiritu-ſancto diſtincta; ſed prætærquam quod perſona Filii non habet jus ſpeciale & diſtinctum, non minùs læſa eſt peccatis hominum, quàm perſona Patris & Spiritûs ſancti: ergo quomodolibet ſpectetur Chriſtus, ſibi ipſi ſatisfecit. Alii cenſent ſatisfactionem Chriſti ex juſtitiâ quidem profluxiſſe, ſed minùs accuratâ. Alii denique utrumque affirmant, docentque ſatisfactionem Chriſti fuiſſe ex juſtitiâ, eâque accuratâ; cum quibus ad propoſitam quæſtionem,

Reſpondeo primò: Satisfactio Chriſti fuit ex juſtitiâ. Probatur 1°. ex Scripturâ, Rom. 3. v. 25. *Quem propoſuit* (Chriſtum) *propitiationem Deus . . . ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*; 2°. ex Patribus: ex S. Auguſtino lib. 3. de libero arbitrio cap. 10. Chriſtus diabolum ſubjugavit, non violento dominatu, *ſed lege juſtitiæ*. Ex ſancto Leone, *Ad dominationem diaboli deſtruendam magis uſus eſt* (Deus) *juſtitiâ rationis, quàm potentiâ virtutis*; 3°. ratione; quia ſolius eſt juſtitiæ jus violatum reſarcire ad æqualitatem. Atqui Chriſtus ſatisfactione ſuâ id præſtitit: ergo.

Reſpondeo ſecundò: Satisfactio Chriſti fuit juxta ſtrictos juſtitiæ apices. Probatur, Actus juſtitiæ ſtrictè ſumptæ debet eſſe 1°. ad alterum; 2°. ex propriis bonis; 3°. ex aliàs indebitis; 4°. æquivalens offenſæ. Atqui hæ quatuor conditiones in ſatisfactione Chriſti concurrunt: ergo.

Minor probatur quoad tres priores partes; nam quartam cap. præcedenti demonſtravimus.

Primò, ſatisfactio Chriſti fuit ad alterum;

quia ubi eſt vera alteritas ad rationem juſtitiæ requiſita, ubi perſona libera, licèt realiter una, virtualiter tamen eſt duplex. Atqui in Chriſto, licèt non ſit realiter alter & alter, ut fingebat Neſtorius, ſed una realiter perſona libera, tamen & virtualiter duplex: ergo.

Major explicatur duplici exemplo: 1°. Sint duo rami diverſæ ſpeciei unico trunco inſerti, erit unica realiter arbor, & duplex virtualiter; quia duo illi rami præſtabunt quod duæ arbores realiter diſtinctæ. 2°. Supponamus duas naturas creatas liberas ſubſtantialiter uniri: ex illâ unione exurget una realiter perſona, ut capite primo docuimus, quæ erit virtualiter duplex, & capax jurium & dominiorum diſtinctorum propter naturas liberas, ex quibus componitur; adeo ut ſi una alteram deliberatè lædat, contra juſtitiam peccet, & damnum illatum ex eâdem virtute reſarcire teneatur. Namque ad exercendam juſtitiam eatenus requiritur alteritas, quatenus neceſſe eſt æquare jus unius cum altero: unde ſi ſit locus duplici juri, erit & æqualitati, in quâ conſiſtit juſtitia. Porrò in noſtrâ hypotheſi quælibet naturæ jus habet, ut ab alterâ ſervetur indemnis, & ſi læſa fuerit, injuria reparetur.

Cùm ergo in Chriſto, quid eſt unica realiter perſona, ſint duæ naturæ liberæ, fundamentum quoque debet agnoſci duplicis juris & dominii: libertas enim eſt facultas diſponendi de ſuis actibus.

Confirmatur. Hæc virtualis perſonæ diſtinctio ſufficit, ut Chriſtus quatenus homo verè obediens fuerit non ſolùm Patri, ſed & ſibi ipſi & Spiritui ſancto; ab iis præceptum acceperit: ergo ut & ſibi, quatenus Deus eſt, ſatisfecerit.

Secundò, satisfactio Christi fuit ex propriis; quia satisfecit seipsum offerendo: nihil autem tam nostrûm est, quàm nos ipsi, si non simus sub dominio alterius.

Tertiò, fuit ex indebitis; quia persona Christi utpote divina & independens, immunis est ab omni debito.

Dices 1o. Minor est distinctio inter Christum hominem & Deum, quàm inter patrem & filium, inter creaturam & Deum. Atqui non satis distinguuntur pater & filius, Deus & creatura, ut inter eos actus justitiæ exerceri possit: ergo.

Nego minorem: namque pater verè est injustus, si bona filii propria dilapidet, & ex justitiâ restituere tenetur: similiter & filius, si bona paterna surripiat. Deus quoque sub dominio suo quidpiam ita retinere posset, ut homo sine injustitiâ manus in illud non injiceret. Sed de his plura in tractatu de Justitiâ & Jure tom. 4.

Dices 1o. Tam humana Christi voluntas, quàm ea, de quibus ipsa disponit, sunt sub Dei dominio. Atqui Christus non satisfecit, nisi per ea, de quibus humana voluntas disponebat; nam si assumpsisset naturam ratione destitutam, nec mereri nec satisfacere potuisset: ergo non satisfecit ex propriis.

Respondeo voluntatem propriè non disponere, sed ipsam personam per voluntatem rationalem, tanquam per id, quo: persona autem Christi sub nullius est dominio: nec pretium, quod obtulit in satisfactionem, sunt actiones humanæ secundùm entitatem & valorem internum spectatæ, ut diximus; sed ipse valor personalis, qui est proprius Verbi.

Instabis 1o. Ex Symbolo vulgò sancti Atha-

nasii, Dominus Pater, Dominus Filius, & Dominus Spiritus sanctus; & tamen non tres domini, sed unus est Dominus: ergo Filius non habet quid proprium, à quo Dominus dici possit excludendo Patrem & Spiritum-sanctum.

Distinguo antecedens: unus Dominus, si absolutè spectentur Pater & Filius & Spiritus-sanctus, Concedo; ut sic enim tres personæ dicuntur unus Dominus & unus Omnipotens per ordinem ad creaturas, quatenus subjacent omnipotentiæ divinæ, quæ est tribus personis communis; Unus Dominus, si relativè spectentur & secundùm proprietates personales, Nego antecedens: illæ enim proprietates non sunt communes tribus personis. Equidem in sanctissimâ Trinitate non constituunt tria dominia, cùm non operentur nisi per voluntatem divinam tribus personis communem: sed in Christo persona Filii per voluntatem humanam, quæ ipsius est, de seipsâ disponit.

Instabis 2°. Christus ex dictis est aliquod compositum à Deo pendens, tum in fieri, tum in conservari. Ergo totus Christus est sub Dei dominio.

Distinguo consequens: est sub Dei dominio præsuppositivè & indirectè, Concedo; formaliter & directè, subdistinguo: ratione naturæ humanæ & unionis, Concedo: ratione personalitatis, Nego conseq. Itaque meritum Christi præsupponit quidem unionem hypostaticam, quæ à totâ Trinitate est, & conservatur, quemadmodum dignitas, quam puella nubendo Regi consequitur, præsupponit matrimonii sacramentum per Sacerdotem confectum. Sed sicut illa dignitas est Reginæ propria, non

verò Sacerdotis : ſic meritum Chriſti eſt ejus perſonæ proprium,

Dices 3°. Chriſti ſatisfactio fuit Deò debita titulo obedientiæ, religionis, & charitatis: ergo Chriſtus non ſatisfecit ex indebitis.

Probatur antecedens : 1°. Chriſtus ex dictis præceptum à Patre accepit redimendi genus humanum ; 2°. ſicut Deus infinitum cultum meretur, ſic Chriſtus, quantùm potuit, Deum colere & diligere debuit : ergo honor, quem pro injuriâ Dei reparandâ exhibuit, erat Deo debitus titulo obedientiæ, religionis, & charitatis.

Ad hanc graviſſimam difficultatem alii aliter reſpondent. Suareſius reſpondet, ſolutionem eſſe ex juſtitiâ ſtrictè ſumptâ, etiam ſi aliunde ſit debita ex alio quàm juſtitiæ titulo : v. g. ſuperior præcipit inferiori ut mutuum ante terminum ſolvat mutuanti indigenti : hæc ſolutio debita eſt ex præcepto obedientiæ, gratitudinis, & charitatis, & nihilominus eſt verus juſtitiæ actus ; quia debitum aliarum virtutum non impedit, quominus reponatur æqualitas : impediret autem, ſi aliud juſtitiæ debitum occurreret, putà ex titulo emptionis & depoſiti ; & mutuatus redderet duntaxat pecuniam, quam mutuo acceperat ; mutuans enim minus acciperet, quàm ipſi deberetur. Nonnulli Thomiſtæ obſervant perſonam Verbi eſſe infinitam in omni genere perfectionis : unde concludunt Verbum incarnatum, cùm ſit multipliciter infinitum, potuiſſe pro nobis ſatisfacere ex indebitis ; quia quod in eo infinitum eſt, non fuit exhauſtum aut abſorptum per exhibitionem honoris infiniti ex motivo religionis. Alii meliùs reſpondent actiones Chriſti & paſſiones ſecundùm entitatem ſpectatas eſſe

quidem debitas titulo obedientiæ, religionis & charitatis: non verò ejus personam, quæ, cùm sit divina, nulli debito potest esse obnoxia: hanc autem pro nobis obtulit: ergo ex bonis propriis & indebitis pro peccatis nostris satisfecit.

Caput XV.

Utrùm Christus pro omnibus & singulis hominibus sit mortuus?

QUæstio non est utrùm mors Christi Domini fuerit sufficiens ad redimendos omnes & singulos homines; cùm enim ex dictis satisfactio fuerit superabundans, nihil dubii superesse potest, quin fuerit sufficiens non solùm ad singulos homines, sed & ad omnes dæmones liberandos. Sed difficultas est an morte suâ voluerit omnes & singulos homines redimere, an aliquos duntaxat, nullâ aliorum sicut nec dæmonum ratione habitâ? Hæc observatio imprimis necessaria est propter cavillationes & subterfugia quorumdam, qui ore aperto negare non audent Christum mortuum esse pro omnibus & singulis hominibus, sed dicunt mortuum esse sufficienter, ita ut adverbium *sufficienter*, cadat non in Christi voluntatem, sed in mortem, quæ cùm sit meriti infiniti, sufficiens est non solùm pro omnibus & singulis hominibus, sed & pro dæmonibus; atque hâc suâ ambiguâ responsione circumveniunt incautos. Sed ne supersit quidquam ambigui,

Observandum in illâ Christi voluntate duo intelligenda, nempe & pretium ex animo so-

lutum pro singulis redimendis, & præparationem mediorum, saltem eorum, sine quibus nullatenus possent frui redemptionis beneficio. Siquidem Princeps, qui pactam cum hoste pecuniam ad redimendos quotquot ex subditis detinet captivos, integram numeravit, non censetur propterea velle singulos liberare, si imbellem unum expunxit è numero eorum, quos virtute solutionis expletæ misit repetendos.

Observandum præterea hic duplicem in Christo distinguendam voluntatem, alteram absolutam, alteram conditionatam: quemadmodum ubi de decretis divinis tractatu de Attributis, dicimus Deum velle omnes homines salvos fieri, alios voluntate antecedente, quæ propter defectum causarum secundarum caret effectu; alios nimirum prædestinatos, voluntate absolutâ & consequente, quæ semper impletur illibatâ hominum libertate. Enimverò perfecta fuit Christi cum Patre consensio, *Quæ placita sunt ei, facio semper*, ait Jo. 8. v. 29. & rationem affert cap. 6. *quia*, inquit, *descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ergo Christus, quâ scivit voluntate Deum velle omnes homines salvos fieri, eâdem voluit offerre meritum sanguinis sui pro omnium salute, ac proinde quæstio proposita hoc uno definitur syllogismo: Christus pro illorum salute mortuus est, quos Deus vult salvos fieri per meritum mortis ejus. Atqui Deus vult omnes & singulos homines salvos fieri, saltem voluntate antecedente, per meritum mortis Christi: ergo Christus pro omnium & singulorum salute revera mortuus est.

Verùm, quominus nostra hic sistat disputa-

tio, obstant varii & oppositi errores, quibus generalis alia in Deo & in Christo voluntas humanæ salutis in alienos sensus detorquetur, quosque, ad plenam propositæ quæstionis elucidationem, refellere necesse est.

Paragraphus I.

Refelluntur errores.

PRimò itaque Semipelagiani, qui & Massilienses, ex eo quòd circa Massiliam in Galliis consisterent, statuerunt Deum sic velle homines salvos fieri, & propitiationem in sacramento sanguinis Christi singulis proposuisse, ut non præveniat, sed expectet eorum voluntates, exaudiat rogantes, adjuvetque conantes. Fatebantur quidem humanas voluntates à Deo præveniri eo ferè modo, quo pater præparat filii voluntatem suis consiliis, monitis & exhortationibus; admittebant enim Evangelii prædicationem præire debere, nec prorsus rejiciebant divinas suasiones etiam interiores; sed negabant Deum tribuere ipsum velle, seu credulitatis affectum & voluntatis conatum, vel ad opus perficiendum, vel salrem ad fidem concipiendam, idque duabus de causis. Prima, quia Catholicorum doctrina, quam tuebatur sanctus Augustinus, ipsis videbatur tollere diligentiam & industriam, fovere inertiam, cùm obvia cuivis protervo esset contra objurgationes excusatio, nimirum se à Deo non accepisse obediendi voluntatem. Secunda, quia esset in Deo vitiosa personarum acceptio, si ex duobus, qui sunt meritis aut demeritis pares, unum assumeret, alterum derelinqueret; cùm contrà consentaneum sit divinæ ejus sapientiæ & bonitati, si deprecantem exau-

diat, conantem & quod in se est facientem gratiâ suâ adjuvet, negligentem verò spernat.

Ut autem hanc fuisse Semipelagianorum mentem demonstretur, adversùs Jansenium Iprensem & ejus patronos, qui (ut negarunt ullam esse Christi veram gratiam, cui aliquando resistatur; atque adeò Christum esse mortuum pro eis, qui fidem non suscipiunt vel qui in susceptâ fide non perseverant;) contendebant Semipelagianos admisisse necessitatem gratiæ prævenientis; qualis erat in statu innocentiæ, hoc est sufficientis; operæ pretium est Semipelagianos tres classes distribuere.

In primâ classe occurrunt, qui ad bene operandum, cum Juliano, gratiæ necessitatem adversùs Pelagium asserebant, sed eam negabant ad velle credere, & ad velle bene agere, seu ad credulitatis & boni operis affectum. *In tantum à Pelagianis semitis non declinant*, inquit sanctus Prosper epistolâ ad sanctum Augustinum, in quâ describit Semipelagianorum errores, *ut cùm ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, coguntur, ne si meritis reddantur, frustra gratia nominetur, ad conditionem* (id est naturalem constitutionem) *hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in quâ cùm nihil priùs merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii & rationalem gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni ac mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem, petendo, quærendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introëat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam initia-*

lis (id est naturalis) *gratiæ ope meruerit pervenire.* Eadem refert Hilarius epistolâ ad eumdem Augustinum. *Cæterùm*, inquit, *ad nullum opus vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt .... unde consequens putant, exhibendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate conditoris concessum est; & nullam ita depravatam vel extinctam putant, ut non debeat vel possit velle sanari, propter quod vel sanetur quis à suâ, vel si noluerit, cum suâ ægritudine puniatur.* Objicientibus autem Catholicis gratiam non fore gratiam, cùm merito præcedentis voluntatis retribueretur, respondebant ex Hilario ibidem; *nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat.* Sanctus Augustinus respondens Prospero & Hilario, libro de prædestinatione Sanctorum, sic scribit, & confutat hunc errorem capite 1. *Pervenerunt etiam, ut prævenire voluntates hominum* (non ad credendum, sed ad bene operandum) *Dei gratiâ fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi neminquam sufficere posse.*

In secundâ classe numerantur qui & bonum opus, & ipsum operis affectum ac orationem gratiæ tribuebant; sed initium fidei, & credulitatis affectum naturæ viribus exurgere, causamque esse, cur Deus aliquos, rejectis negligentibus, ad Christum, ac demum ad æternæ salutis portum deducat. *Sed nunc eis respondendum esse video*, inquit sanctus Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum cap. 2. *qui divina testimonia ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus esse ex Deo; tanquam fides non ab ipso detur nobis; sed ab ipso tantùm augeatur in no-*

bis, eo merito, quo cœpit à nobis. Non ergo receditur ab eâ sententiâ, quam Pelagius ipse in Episcopali judicio Palæstino damnare compulsus est gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Porrò Pelagius in istis meritis præcedentibus nullam gratiam nisi naturalis conditionis agnoscebat; nam si agnovisset, ab Ecclesiâ non fuisset excisus, ut expressis verbis testatur sanctus Augustinus libro de gratia Christi capite 47. *Si ergo consenserit nobis non solam possibilitatem in homine, sed ipsam quoque voluntatem & actionem adjuvari divinitatis, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus, eamque esse gratiam Dei per ipsum Christum Dominum nostrum, nihil de adjutorio gratiæ inter nos, ut arbitrior, controversia relinquetur.*

Tertiam classem constituit Cassianus vir magni nominis, & quondam sancti Joannis Chrysostomi auditor. Hic enim collationum collatione decimâ-tertiâ scripsit, gratiam initium fidei aliquando præcedere, aliquando verò subsequi; ac proinde negavit gratiam esse necessariam ad concipiendum credulitatis affectum: unde sanctus Prosper sic eum insectatur cap. 4. libri, quem contra ipsum scripsit sub nomine Collatoris: *Tantam circa universos homines admitit Collator bonitatem esse Creatoris, ut alii ab eo, quia sponte veniam; suscipiantur laudati; alii, quia resistunt, attrahantur inviti, atque adeo volentium susceptor, nolentium verò salvator sit. Et cùm pars Ecclesiæ ex gratiâ, pars autem ex libero justificetur arbitrio, gloriosiores sint quos natura provexerit, quàm quos gratia liberaverit.* Nonnulli tamen existimant hunc errorem non Cassiano, sed Abbati Cheremoni esse ascribendum; cujus placita Cassianus simpliciter refert, sicut & Paphnutii collat. tertiâ, in quâ ille Abbas

necessitatem gratiæ prævenientis asserit; quod indicium esse potest Cassianum non suam, sed aliorum promere sententiam, ut in præfatione ejusdem libri ipse testatur. Vix tamen excusandus est, quod Lectorem non moneat, ubi cavendus est error, & venenum indiscriminatim cum alimentis sanis subministret. Utrùm verò Gennadius erga S. Augustinum & ejus discipulos minùs propensus inter Semipelagianos numerandus sit, non potest certò colligi ex opere de dogmatibus Ecclesiasticis; tum quia non omninò certum est, cujus sit opus illud; tum quia nunc habetur interpolatum & minimè sanum: in eo quippe leguntur Canones Concilii Arausicani secundi, quod post mortem Gennadii celebratum est, & caput quod Adrianus laudat numero quadragesimum in epistolâ ad Carolum Magnum, nunc septuagesimum tertium existit.

Omnes ergo Semipelagiani negarunt necessitatem gratiæ saltem ad initium fidei: docueruntque Deum ita velle omnes homines salvos fieri, & proportionem in Sacramento Sanguinis Christi sic proposuisse, ut humanas voluntates Evangelii prædicatione vocatas expectet, paratus suscipere venientes & adjuvare conantes.

Refellitur hic error, 1°. ex Scriptura, Romanor. 9. *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Phil. 2. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere.* Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* 2. Corinth. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*; 2°. ex Traditione Ecclesiæ, quæ hanc hæresim, ex qua apparuit, insectari non destitit, donec fuerit extincta. Prodiit au-

tem occasione libri, quem S. Augustinus scripsit de correptione & gratiâ, in quo hæc & similia: *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur*, ita offenderunt animos Massiliensium, qui alioquin erant viri pietate & eruditione celebres & commendati, ut, cùm priùs meliora sentirent ex epistolâ sancti Prosperi, novum errorem cuderint; novum, inquam, fateri enim coacti sunt se nihil in Antiquis invenisse, quod posteriori suæ opinioni faveret ex eâdem epistolâ. Nihil ergo ex pulvere subtilissimi erroris Semipelagianorum adhæsit antiquioribus Patribus, sive Græcis, sive Latinis, ut calumniatur Jansenius libro de hæresi Pelagianâ capite 4. Hunc errorem in Massiliensibus natum statim oppugnavit sanctus Augustinus libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ; & illo defuncto Celestinus summus pontifex epistolâ ad Episcopos Galliæ; Sanctus Prosper sub sancto Leone; Hormisdas Papa epistolâ ad Episcopos Africæ, in quâ commendat laudatos libros de prædestinatione & dono perseverantiæ; sanctus Fulgentius; Concilium secundum Arausicanum sub Felice IV. anno 529. (cujus canones universalis Ecclesia adoptavit) Can. 6. damnat eos, qui à semitis Pelagii vix recedebant. *Si quis*, ait, *sine gratiâ Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, petentibus nobis misericordiam dixit conferri divinitus .... & humilitati & obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, resistit Apostolo*. Can. 5. confodit sententiam eorum, qui plurimùm à Pelagio distabant: *Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, non per gratiæ donum, sed nobis naturaliter inesse dicit, Apostolicis dogmatibus*

adversarius reperitur. & Can. 8. revincit Cassianum his verbis: *Si quis alios misericordiâ, alios verò per liberum arbitrium ad gratiam posse venire contendit, à rectâ fide probatur alienus . . . quod ipse Dominus probat, qui non aliquos , sed neminem ad se venire posse testatur.* Tandem Concilium Tridentinum sess. 6. can. 3. sic definit : *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs-sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.*

Secundò extinctum Semipelagianorum errorem nostris temporibus nonnulli recentiores suscitarunt, mutatis duntaxat quibusdam vocibus ; docent enim facienti quod in se est viribus naturæ Deum obligari dare gratiam, non propter meritum illorum operum; sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum, & Patrem inito.

Refellitur hic error iisdem momentis, quibus præcedens, cùm sit planè idem, sicut declaravit Clerus Gallicanus anno 1700. hâc suâ censurâ: *Hæ duæ propositiones*, inquit, *quâ parte causam discernendi inter justos & non justos in opera merè naturalia referunt, Semipelagianismum instaurant mutatis tantùm vocibus. Pactum autem, quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est, temerarium, erroneum, nec solùm tacente, sed etiam adversante Scripturâ & sanctorum Patrum Traditione prolatum.*

Tertiò, Christum Dominum Passionis suæ meritum obtulisse non solùm ut à peccatoribus admoveret æternam, quam meruerant pœnam, sed ut etiam liberaret quotquot eidem erant actu traditi, docuêre Origenes & antiquiores Hæretici, de quibus sanctus Augustinus libro de hæresibus hæresi 79. Gregorius Ma-

gnus Homiliâ 22. in Evangelia, & Beda in primam Petri epiſtolam. Ad eum errorem acceſſit Auctor Commentariorum in epiſtolas ſancti Pauli, ad caput quintum epiſtolæ ad Romanos, inter opera ſancti Ambroſii. Idipſum ſenſerunt de quibuſdam, qui inter Paganos ad rationis normam mores exigere ſtuduerunt, ſanctus Clemens Alexandrinus libr. 6. Stromatum, & S. Joannes Damaſcenus libr. de Defunctis.

Refellitur ille error, 1°. ex Scriptura, quæ ſæpius definit peccatorum ſupplicium eſſe æternum, ut Matth. 25. nec eis poſt mortem eſſe ſperandi locum, Eccl. 11. *Si ceciderit lignum ad auſtrum aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*; 2°. ex Traditione Eccleſiæ quæ ſententiam hîc à nobis impugnatam conſtanter reſpuit ut manifeſtam hæreſim, teſtibus ſanctis Auguſtino, Gregorio Magno, & Bedâ, mox laudatis; quibus adde ſanctum Irenæum lib. 4. cap. 39. ſanctum Ambroſium in Pſalm. 118. Theodor. hæreſi 69. & Eccleſiam Gallicanam nono ſeculo, adeo ut Hincmarus Epiſcopus Remenſis, cùm in Concilio Valentino hujus erroris inſimularetur, illum deteſtari in libro de prædeſtinatione cap. 27. coactus fuerit. *Non ita ſcripſimus*, inquit, *contra illud propheticum: Ero mors tua, ô mors! ero morſus tuus, inferne.* Additque ſe ab hâc hæreſi abhorrere, quam beatus Auguſtinus, Gregorius, & Beda commemorarunt.

Objici poteſt illud I. Petri cap. 3. ubi de Chriſto ad inferos deſcendente ſic loquitur Apoſtolus: *His qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant: aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca.* Unde S. Gregorius lib. 12.

Moral. cap. 8. expendens illud Oseæ cap. 13. *Ero mors tua, ò mors! morsus tuus ero, inferne*, sic scribit: *Quod occidimus, agimus, ut penitus non sit: Ex eo autem quod mordemus; partem abstrahimus, partemque relinquimus. Quia ego in electis suis funditus Dominus mortem occidit, mors mortis extitit; quia verò ex inferno partem abstulit, partemque reliquit: non occidit funditus, sed momordit infernum.* Ergo,

Respondeo distinguendo antecedens. Prædicavit his qui increduli fuerant Noë prædicante pœnitentiam, sed posteà credidêre & pœnitentiam egêre, cùm viderunt impleri prædicta, aquis ubique exundantibus, Concedo; qui increduli, & impœnitentes aquis præfocati sunt, Nego antecedens. Innuit itaque Apostolus, quod ipsa ratio suadet, multos tempore diluvii ad Deum recurrisse pœnitentes. Hi judicati sunt & puniti secundùm homines in carne, ut ait idem Apostolus cap. 4. ut viverent secundùm Deum in Spiritu, & à Christo cum sanctis Patriarchis educti, impœnitentibus relictis; nec aliud docet sanctus Gregorius.

Quartò, Origenes ad dæmones; imò & ad astra, juxta Platonem & alios Philosophos animata, meritum Passionis Christi extendit: alii hæretici, ex Tertulliano libro de carne Christi, & Didymus ipse Alexandrinus in caput tertium primæ Petri, idem senserunt quoad dæmones, quin & S. Hieronymus in ep. ad Ephes. huic errori favere visus est: *Neque enim*, inquit, *scire possumus, quomodo Angelis qui in inferno erant, sanguis Christi profuerit, & tamen quin profuerit nescire non possumus* Sed agens contra Ruffinum, hanc noxam à se longè repulit. Utrùm autem Origenes voluerit Chri-

stum pro dæmonibus simul & pro hominibus passum, vel aliquando in aëre sive in cœlo passurum, non constat. Sanctus Bernardus sermone 54. in cantica illud posterius asserit: *Operatus est Christus*, inquit, *salutem in medio terræ nunquid & in medio aëris? hoc adversùs Origenem, qui in aëre Dominum gloriæ denuo impudenti crucifigit mendacio, cùm hujus consciens mysterii Paulus affirmet, quòd Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.*

Refellitur ille error, 1°. ex Scriptura Hebr. 2. *Nusquam .... Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Luc. 15. Christus tanquam verus hominum Pastor 99. oves dimisit, ut unam perditam, scilicet genus humanum, quæreret. Primæ ad Timoth. cap. 2. dicitur Mediator Dei & hominum. Matth. 25. lata est in dæmones sententia numquam revocanda. Secundæ Petri cap. 2. *Deus angelis peccantibus non pepercit*; 2°. ex Traditione. Tertullianus libr. de carne Christi capite 14. *Nullum*, inquit, *mandatum de salute Angelorum suscepit Christus à Patre: nam etsi Angelicis perditio reputatur numquam tamen illis restitutio repromissa est.* Sanctus Augustinus Enchirid. cap. 6. *non .... pro Angelis mortuus est Christus.* Idem supponit tanquam in Ecclesia certissimum S. Gregorius lib. 9. Moral c. 28. Porrò mera fabula est, astra esse animata, ut demonstrant Philosophi: dicuntur quidem in Scripturis laudare Deum; sed quemadmodum gelu, nix, & spiritus procellarum, scilicet per os hominis ad Deum conversum, ut loquitur S. Augustinus.

Quintò, Calvinistæ meritum Christi ad solos prædestinatos restringunt, contenduntque reprobos, quamvis à Deo vocentur & Sacramentis initientur, justitiam non consequi, &

quidem consequenter ad primum ab ipsis præstructum principium, scilicet neminem justificari posse, nisi per fidem certam, quòd sit in numero prædestinatorum: quam Sententiam ipsi Lutherani uti impiam detestantur, & Concilium Tridentinum multis Canonibus, præsertim 17°. sess. sextæ, proscripsit his verbis: *Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divinâ potestate prædestinatos ad malum anathema sit.* Refelletur autem illa impietas simul cum errore sequenti.

Sextò, quorumdam est sententia Deum velle reproborum salutem, non quòd velit illis vitam æternam, sed quòd velit sufficienter gratiam, in quâ antecedenter & veluti in virtute continetur vita æterna: atque eo sensu Christum mortuum fuisse pro salute reproborum, quatenus nempe consentiendo voluntati Patris, voluit ipsis gratias temporales, putà justificationem, quæ fit per Baptismum, non verò vitam æternam. In primâ parte à Calvinistis dissentiunt: in secundâ verò ipsis consentiunt.

Jansenius hanc sententiam amplexus est, contendens eam esse genuinam sancti Augustini doctrinam: sic enim scribit libr. 3. de gratiâ Christi Salvatoris cap. 21. *Illa extensio tam vaga modernorum Scriptorum, non ex alio capite, quàm ex istâ generali & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illâ sufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia veluti machinam à Semipelagianis introductam repudiant ... quæ sanè cùm in Augustini sententiâ perspicua certaque sint, nullo modo princi-*

piis ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute (nota) *mortuus esse, sanguinem fudisse, seipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur; scivit enim quò quisque jam ab æterno prædestinatus erat, scivit hoc decretumneque ullius preti oblatione mutandum esse, nec seipsum velle mutare. Ex quo factum est, juxta sanctissimum Doctorem, non magis Patrem, pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibusdam justitiæ effectibus rogavit, & pro iisdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum.* Ex quibus verbis expressa est celebris illa propositio; quàm autem fideliter, legentibus patebit: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse, sed mortuus est duntaxat pro salute prædestinatorum.*

Duæ propositionis sunt partes. Prima scilicèt, *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus esse mortuum*, primò, est falsa; quia falsum est ex dictis illud fuisse dogma Semipelagianorum. Secundò, temeraria; quia nullus hactenus erroris insimulaverat Sanctos Augustinum, Prosperum, Fulgentium, & alios, qui hanc tradiderunt doctrinam, ut mox ostendemus. Tertiò, scandalosa: quia id sine offensione Catholicorum dici non potest. Non tamen est hæretica; quia nondum fuit definitum, quòd hæreticum sit negare Christum mortuum esse pro omnibus omninò hominibus; nullo dempto, singulisque gratiam præparasse.

Secunda verò propositionis pars, nempe, *Christum mortuum esse pro salute duntaxat prædestinatorum*, primò est hæretica; quia de fide est Christum

Christum mortuum esse pro aliorum salute, quàm prædestinatorum: quod tamen negat Jansenius, dum asserit non esse mortuum pro salute infidelium, qui in infidelitate moriuntur, & Justorum, qui non perseverant: nam præter illos nulli alii assignari possunt; nisi prædestinati. Secundò, est impia, blasphema, contumeliosa divinæ pietati; quia impium est & blasphemum, dicere Deum iis præsertim non velle salutem, nec Christum hâc de causâ pro illis esse mortuum, quibus tribuit gratiam adoptionis, quæ est jus ad hereditatem æternam; atque ideo denegare gratias, sine quibus in mandatorum observatione perseverare non possunt.

Paragraphus II.

Statuitur Doctrina Catholica.

Christus mortuus est pro salute omnium hominum, prædestinatorum quidem efficaciter; aliorum verò sufficienter.

Prima pars, de Prædestinatis, est extra controversiam, constat enim apud omnes Christum esse causam meritoriam prædestinationis. *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, ait Christus Joan. 14. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum qui venit ad me non ejiciam foras ... Hæc est autem voluntas ... Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.* Joan. 6. *Oves meæ... non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ.* Joan. 10. *Quos dedisti mihi custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Joan. 17. Pro iis specialiter orat: *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo*, ibid. & quidem voluntate absolutâ; subdit enim: *Pater quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum,*

ut videant claritatem meam.

Secunda pars probatur 1°. ex Scripturâ, Lucæ 23. Christus, qui in cœnaculo speciatim pro Apostolis & Prædestinatis Patrem rogaverat, in arâ Crucis sacrificium suum peragens orat pro omnibus carnificibus suis, quorum maxima pars in infidelitate periit. 1. ad Tim. 2. vult Apostolus pro omnibus fieri orationes, quia hoc acceptum est *coram Salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri .... unus enim Deus, unus est mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ubi pro omnibus sine exceptione est orandum; quia Deus omnes vult salvos fieri, quia est omnium Deus, quia Christus est omnium mediator, & pro omnibus semetipsum dedit. Vitiosum autem esset Apostoli ratiocinium, si particula *omnes*, toties repetita, & ad probandam propositionem universalem assumpta, exceptionem admitteret; nam ex particularibus non potest universaliter concludi. Sed pressiori adhuc argumento quæstionem definit Apostolus capite 5. ad Rom. ibi enim componens cum Adâmo Christum ait: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condamnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Hîc redemptio tam latè patet, quàm damnatio, quemadmodum Adamus fuit omnibus & singulis causa ruinæ & damnationis æternæ, sic Christus quantùm ex se fuit causa salutis æternæ. Nihil fingi potest expressius. Idem argumentum urget Apostolus 2. Cor. 5. sed mutato ordine. *Si unus,* inquit, *pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Hoc loco evincit Apostolus

omnes & singulos mortuos fuisse in Adamo, ex eo quòd pro hominibus mortuus sit Christus. In omnem partem se vertunt adversarii, ut vim hujus argumenti declinent; sed frustra: pugnant enim non solùm contra Apostoli contexum, ut expendenti patebit, sed & contra unanimem sanctorum Patrum interpretationem, Quare

Probatur 2°. ex sanctis Patribus.

Sanctus Clemens Alexandrinus lib.7.S tromatum ait: *Non est hujus Salvator, illius autem minimè.*

Origenes l. 1. contra Cels. *Pro humano gene- tanta pertulit Christus*, inquit, *ut quantùm in ipso erat, Græci omnes & Barbari à malitiâ desciscerent.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat 25. de passionibus Christi sic scribit: *per quas omnes reformati sumus, nullo penitus excepto, qui eidem Adamo participavimus.*

S. Chrysostomus hom. 7. in primam ad Timoth. expendens illa verba, *unus mediator*, sic habet: *Etiam pro gentibus mortuus est. Et quo pacto, quies, illi non crediderunt? quia noluerunt: quod at partium ipsius, completum est.*

S. Hieronymus epist. ad Oceanum, *Mentitur annes digito Christum & voce demonstrans, Ecce gnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi; si sint adhuc seculo, quorum peccata non tulerit Christus.*

S. Augustinus, cujus auctoritate singulari: nituntur adversarii, lib. 6. contra Juliam c. 4. urgens illud Apostoli 11. Cor. 5. *Si is pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui t*; sic ait: *Ex hoc probavit Apostolus omnes rtuos esse; quia pro omnibus mortuus est unus; pingo, inculco, infercio recusanti, accipe salubre*

est, nolo moriaris, unus pro omnibus mortuus est. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. & tract. 12. in Joan. *Quare Salvator dictus est mundi, nisi ut salvet mundum; non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipso, ex te ipso judicaberis.* Denique sanctus Prosper jampridem vindicavit sanctum Doctorem ab illo errore, quem ejus æmuli ipsi impingebant, & etiamnunc non pudet adversarios nostros ipsi impingere; nam in Præfatione ad objectiones Vincentianas hanc calumniam primo loco ponit, quòd objicerent in Sententiâ S. Augustini, Dominum nostrum Jesum Christum non pro omnium hominum salute & redemptione fuisse passum: illamque accusationem in decursu operis tam feliciter confutat, ut Jansenius ipse lib. 3. de gratiâ Salvatoris c. 21. dicere cogatur sanctum Prosperum non assecutum fuisse mentem sancti Augustini, nec vestigiis ejus institisse. *Prospero,* inquit, *antiquior est & doctior S. Augustinus.* At, inquam ego, Jansenio antiquior est & doctior S. Prosper.

S. Leo, qui opera Prosperi usus est ad extinguendas Pelagianorum reliquias, serm. 1. de Nativitate, sic loquitur: *Dominus noster peccati mortisque destructor, sicut nullum à peccati reatu liberum reperit, ita & liberandis omnibus venit.*

Concilium Moguntinum sub Rabano, & Carisiacum sub Hincmaro Remensi nono seculo damnarunt Gothescalcum Monachum, definieruntque nullum esse, pro quo Christus passus non fuerit.

Nec dicas concilia Valentinum & Lingonense, Ecclesiam quoqueLugdunensem lib. de tenendâ veritate Scripturæ, & l. de tribus Ca-

pitulis, imò & Nicolaum I. reprobasse Concilium Carisiacum : namque 1°. licèt Valentinum & Lingonense duriora contra Carisiacum protulerint, & nonnulla falsa ipsi imposuerint propter simultates, quas contra Hincmarum susceperant; attamen Capitulum, de quo hîc agitur, rejecerunt duntaxat ut inutile, non verò ut falsam doctrinam continens. 2°. Concilium Tullense, ad quod convenerunt Episcopi ex duodecim Provinciis, simultates & contentiones consopivit : confirmavitque capitula Concilii Carisiaci. 3°. Falsum est Nicolaum I. reprobasse Concilium Carisiacum; commotus quidem fuit in Hincmarum, quem in Jura Sedis Apostolicæ insurgere suspicabatur. Sed ex Prudentio Tricassino, *de sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmavit.* Hæc Prudentii verba refert Hincmarus epist. 27. ad Egilonem Senonensem. Attamen propter sinistros rumores quos spargebat Prudentius jam Hincmaro offensus, quòd Nicolaus faveret Gothescalco, idem Hincmarus in eâdem Epistolâ Egilonem rogat ut Nicolaum de his certiorem faciat.

S. Thomas, quem sibi vindicat Jansenius, lectione primâ in caput secundum primæ ad Timoth. ait : *Jesus est mediator Dei & hominum, non quorumdam, sed inter Deum & omnes homines, & hoc non fecisset, nisi vellet omnes salvare.* Eadem docet 3. p. qu. 48. art. 1. & in cap. 26. Matth.

Concilium Tridentinum seff. 6. c. 4. & 3. *Hunc*, inquit, *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verùm, etsi ille pro omnibus mortuus; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dun-*

taxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur.

Dices 1°. Matth. 26. Christus discipulis porrigens poculum sanguinis sui, ait; *qui pro multis effundetur*: ergo non pro omnibus.

Respondeo negando conseq. namque vox *multi*, usurpari solet vel comparatè & distributivè ad significandam magnam totius collectionis partem, ut Joan. 4. *Multi crediderunt in eum Samaritanorum:* Vel absolutè & collectivè ad denotandam totam collectionem, quo sensu dicimus de eo, qui totam suam substantiam & quidem amplam devoravit: hic multam consumpsit pecuniam. Et Apostolus scribit Rom. 5. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, id est, omnes. Quòd autem hoc posteriori sensu Christus Dominus de suo sanguine dixerit, *qui pro multis effundetur*, discimus non solùm ex sanctis Patribus, sed ex ipsomet Apostolo 11. Cor. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus*: pro omnibus, inquam, voluntate sufficienti & conditionatâ; pro multis verò voluntate efficaci & absolutâ. Ita sanctus Thomas in caput vigesimum sextum Matthæi: *Si consideretur sufficientia*, inquit, *ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi; sed si consideremus effectum, minorem habet effectum, in iis nempe, qui salvantur, & hoc ex culpâ hominum.* Quæ posteriora verba notatu sunt dignissima; non enim dici potest dæmones suâ culpâ non salvari, etiam si sanguis Christi sit ad id sufficiens, quia non est eâ intentione fusus, ut meritum ejus ipsis applicaretur, carentque mediis, quibus applicare possit.

Dices 2°. S. Augustinus lib. de adulterinis conjugiis scribit: *Omnis qui Christi sanguine redemptus est, homo est; tamen omnis homo in sanguine Christi redemptus non est.* & Epist. 48. di-

cit Christum esse propitiationem pro peccatis totius mundi, propter triticum quod est per totum mundum. Similia habet S. Bernardus epist. 109 ubi sic alloquitur Abailardum: *Non potest gratias agere cum redemptis, quia redemptus non es*: Ergo.

Distinguo antecedens: redemptus non est speciali & efficaci modo, Concedo; generaliori & sufficienti modo, Nego antecedens. Explicatur solutio familiari exemplo. Solutum est redemptionis pretium pro certo captivorum numero, qui serviunt apud Turcas; sed ex illis alii quibusdam commodis deliniti exire nolunt, & alii ablatam gratiam læti suscipiunt, & jugum servitutis excutientes patriam repetunt. In hâc hypothesi omnes absolutè redempti sunt; sed si comparentur priores cum posterioribus, hos duntaxat redemptos dicimus; cùm hi soli pristinam libertatem receperint. Porrò juxta hanc explicationem facilè conciliantur sancti Augustinus, Bernardus, & alii Patres, ubi opposita scribere videntur; nam posteriori modo soli justi, maximè qui in gratiâ perseverant, redempti sunt; quia hi soli à servitute peccati plenè & efficaciter liberantur; cùmque per totum orbem diffundantur, propter eos, quos S. Augustinus vocat triticum & verum semen, totus mundus hoc mundo redemptus per Synecdochen dicitur. Alii tamen, qui elegerunt servire peccatis suis potiùs quàm Deo, priori sensu redempti dicuntur ab iisdem Patribus propter pretium pro eorum redemptione solutum. Judas, inquit S. Augustinus in Psalm. 68. projicit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus fuerat, nec agnovit pretium, quo à Domino redemptus erat. S. etiam Bernardus serm.

2. in Psalmum 90. ait : *Possunt omnes homines dicere , Salvator meus es tu : at verò, susceptor meus es tu , is tantùm dicere potest, qui habitat in adjutorio Altissimi.*

Dices 3°. S. Augustinus lib. 21. de Civitate Dei c. 24. sic habet : *Si de aliquibus ita certa esset* (Ecclesia) *qui licèt adhuc in hâc vitâ sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo , tam pro eis oraret quàm pro ipso.* Ergo, cùm Christus nosset quinam essent prædestinati ad ignem æternum , nullatenus pro illorum salute oravit , nec proinde seipsum in sacrificium obtulit : oblatio enim illa est perfectissima orationis species.

Distinguo antecedens. Non oraret oratione absolutâ & contrariâ voluntati divinæ, Concedo ; hæc enim oratio non esset honesta : non oraret oratione conditionatâ & conformi voluntati divinæ, Nego antecedens. Patet autem ex ipso capitis contextu, S. Doctorem loqui de oratione absolutâ ; refellit enim eorum errorem , qui docebant , reprobos in extremo judicio liberandos precibus Sanctorum ; demonstratque fictitiam illam orationem pugnare contra immutabilem Dei voluntatem, quâ reprobos post mortem addixit æternis pœnis , ac proinde justorum merita & charitatem ad illos non magis extendi , quàm ad diabolum. Tum occurrit objectioni, quòd Ecclesia nunc oret pro inimicis & persecutoribus, respondetque Ecclesiam hoc pietatis officium illis impendere ; quia piè credit illos omnes aut vocatos , aut aliquando vocandos ad æternam salutem ; cùm Deus velit omnes homines salvos fieri, præcipiatque Apostolus, ut pro omnibus indiscriminatim & absolutè fiant orationes ; ac tandem addit , quòd si

Ecclesia nosset aliquos ex illis absolutâ Dei voluntate esse rejectos, non magis pro illis, quàm pro diabolo oraret, nimirum absolutâ quâ nunc voluntate orat.

Confirmatur responsio. Christus plenè noverat plures ex justis non esse perseveraturos, ac proinde æterno Dei decreto dæmonum sortem experturos. Atqui Christus pro eorum salute oravit, Joan. 17. *Non pro eis* (Apostolis) *rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per eorum verbum in me.* Enimverò Deus vult justos salvos fieri; cùm dederit eis jus ad vitam æternam; ac proinde impium est dicere iisdem gratias deesse, quibus mandata Dei possibilia fiant, & sine quibus perseverare non possint, ex Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. Imò videtur minor impietas in Calvino, qui ex hoc falso & hæretico principio, nempe Deum ad pœnam æternam quosdam creasse, colligit eosdem usu Sacramentorum gratiam non consequi: quàm in iis, qui cùm contra fateantur quosdam per Sacramenta verè justos fieri, negant tamen Deum velle eos salvare; Christum pro illorum salute orasse, & sanguinem fudisse; dari illis gratias, sine quibus nec mandata implere, nec perseverare possint; contenduntque Ecclesiam, si illos plenè cognosceret, non magis pro salute illorum, quàm pro diaboli sollicitam fore, ne voluntati divinæ repugnare videretur. Nam si Deus absque præjudicio suæ bonitatis vult aliquos perire independenter ab eorum demeritis, ut falsò supponit Calvinus; sapientiæ ejus est, quòd deneget ipsis gratiam adoptionis filiorum, & media ordinata ad salutem consequendam. At bonitati simul & sapientiæ Dei manifestè repugnat, quòd illos nolit salvos

fieri, Christum & Ecclesiam pro illorum salute ullo modo orare, quos ad salutem per gratiam suam ordinavit, sanctificavit, gratos sibi & diligentes se effecit.

CAPUT XVI.

De titulis Christo competentibus.

INter Christi titulos hi numerantur præcipui: 1°. est Filius Dei naturalis, non adoptivus, non servus, nisi in latiori acceptione, atque ideo uno cultu eoque supremo, qui dicitur latriæ, adorandus; 2°. est Caput hominum & Angelorum; 3°. est Sacerdos; 4°. est Rex, Legislator & Judex; 5°. est Mediator Dei & hominum. De filiatione, & adoratione Christo debitâ satis diximus primo capite: de reliquis nonnulla hîc paucis subjiciemus.

Paragraphus I.

Christus est Caput hominum & Angelorum.

PRobatur 1°. ex Scripturâ. Eph. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Ait 1°. *ipsum dedit*; quia Christus formaliter non constituitur caput per unionem hypostaticam quæ tendit duntaxat ad uniendam naturam humanam cum personâ divinâ; neque per gratiam sanctificantem, quæ est ejusdem speciei cum naturâ, sed per potestatem, quam Deus illi contulit in omnes Angelos & homines. Præsupponuntur tamen ad rationem capitis unio hypostatica & gratiarum plenitudo, quemadmodum morum probitas & excel-

lens eruditio desiderantur in eo, quem judicem Rex constituit. Ait 2°. *supra omnem Ecclesiam*, quæ ex Angelis simul & hominibus integratur, juxta illud Heb. 12. *Accessistis ad Sion montem .... & multorum millium Angelorum frequentiam; & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis.* Unde S. Hieronymus in caput primum epistolæ ad Ephesios: *Non solùm hominum*, inquit, *sed etiam Angelorum, cunctarumque virtutum & rationabilium creaturarum Ecclesia intelligi potest.* Similia habent S. Ambrosius epistolâ 37. & S. Augustinus in Psalmum 36. sed de Angelis speciatim Apostolus Coloss. 2. *Estis in illo repleti, qui est caput omnis principatûs & potestatis.*

Probatur 2°. ratione; quia ad perfectam capitis rationem quatuor requiruntur: primum, ut dignitate superemineat; secundum, ut cum membris sit connexum, quatenus ex illâ conjunctione unum corpus exurgat compactum ex capite & membris; tertium, ut sit in corpore quid præstantissimum & ab eo tanquam ex fonte emanet vivifica virtus, juxta mensuram & capacitatem cujusque membri; capitis enim est membra inter se vincire, vegetare, tueri & regere per juncturam subministrationis, ut loquitur Apost. c. 4. ad Eph. quartum, ut ejusdem naturæ cum membris sit particeps; quâ communione quidquid inest voluptatis, & doloris in corpore, illud excipiat tanquam proprium: Atqui hæc omnia Chisto maximè competunt: ergo.

Minor ostenditur quoad singulas ejus partes. Primò supereminet. Ephes. 1. *suscitans illum à mortuis, & constituens ... supra omnem principatum... & omnia subjecit sub pedibus ejus.*

Secundò, arcta est Christi cum membris

conjunctio. 1. Cor. 12. *Sicut corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus.* Ad quam mirabilem Christi nobiscum connexionem respiciens Augustinus, sic scribit in Psalm. 127. *Non ille unus, & nos multi: sed & nos multi, in illo unum: unus ergo homo Christus caput & corpus. Quod est corpus? Ecclesia ejus.*

Tertiò, in Christo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi; & de plenitudine ejus omnes nos accepimus, Joan. 1. Spiritum suum in nos effudit, illo spiritualiter vegetamur, in unum colligimur, movemur & regimur. *Unum corpus & unus spiritus*, inquit Apostolus ad Ephes. 4. *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Rom. 8.

Quartò, Christus naturæ nostræ est particeps; *quia pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse... participavit eisdem... ut misericors fieret*, Hebr. 2. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem* (id est afflictum) *per omnia pro similitudine absque peccato*, Hebr. 4.

Ergo Christus verè & modo singulari est nostrum Caput, & nos vicissim sumus ejus membra, ipsi conjuncta non morali & exteriori nexu duntaxat, sicut cives respectu Magistratûs, sed reali & interiori, nempe ejusdem gratiæ, quâ plenus est, diffusione, & Spiritûs, quo ipse vivit, communicatione; nam juxta sanctum Augustinum, corpus Christi non vivit nisi de Spiritu Christi, *ex quo*, inquit Apostolus Eph. 4. *totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem suî in chari-*

tate. Quo nihil sublimius & magnificentius de Religione Christianâ audiri potest; hinc enim sequitur, quòd quemadmodum corpus humanum spiritu rationali vegetatum non habet motus nisi rationales, & singula ejus membra naturaliter & incunctanter pro capite periculo se exponunt; sic Fideles, cùm Spiritu Christi, qui Deus est, vivant, minus rationaliter quàm divinè aguntur; non sua, sed quæ capitis sunt, sectantur, & sublimiora in præceptis Evangelicis non tanquam dura aut impossibilia audiunt, sicut infideles; sed ea in cordibus suis jam insculpta sentiunt, & mentis suæ propensionis maximè consentanea excipiunt, ut Christus per omnia adimpleatur, quemadmodum loquitur Apostolus Ephes. 1. v. 23; hoc est secundùm Interpretes in hunc locum, Christus ut caput in singulis membris perficiatur; caput enim videtur mutilum & debile, nisi membra conjuncta habeat, agat & regat juxta mensuram uniuscujusque. Sed ad pleniorem hujus mysterii explicationem nonnullæ supersunt difficultates expendendæ.

Quæritur itaque quâ ratione Christus sit Caput hominum & Angelorum, an quatenus Deus, an quatenus homo?

Respondet S. Chrysostomus homiliâ primâ in epistolam ad Ephesios, Christum esse Caput hominum secundùm carnem, Angelorum verò quatenus est Deus. Verbum etsi Deus sit rerum omnium auctor & motor, minùs tamen propriè dici potest Caput; quia naturâ infinitè distat à creaturis: Christus verò, ut homo est, propriè est Caput etiam Angelorum; cum illis enim ratione spiritûs rationalis communicat naturæ similitudine, sin minùs specificâ, saltem genericâ; in illos gratiam influit,

non quidem primariam & sanctificantem; sed secundariam, ut diximus, ubi de Christi merito. Denique illos regit, cùm sint administratorii Spiritus in ministerium missi, Heb. 1.

Q. 1°. *Est-ne Caput omnium hominum;*

R. Primò, non est damnatorum, tùm quia tanquam Pastor segregavit eos ab ovibus, Matth. 25. *Ite, maledicti*: tùm quia nullum eis præbet influxum; conservat quidem in baptizatis characterem baptismalem, & in Sacerdotibus sacerdotalem, sed ad eorum ignominiam, & in signum perfidæ desertionis.

R. Secundò, non est actu Caput infidelium; quia inter membra corporis ejus, quod est Ecclesia, numerari non possunt. Dicitur tamen Caput infidelium in potentiâ, quemadmodum cibus, qui virtute nutritivâ disponitur ad nutriendum corpus animale, est pars ejusdem corporis in potentiâ; Infideles enim non carent omni Christi influxu, quo possint justificari & salvari, ut dicetur Tractatu de Gratiâ.

R. Tertiò, est Caput omnium Fidelium etiam peccatorum; cùm omnes sint Ecclesiæ membra, ut demonstramus ubi de Ecclesiâ.

Nec dicas peccatores esse membra diaboli, à Christo per peccatum separata; namque peccatores adhærent Christo saltem per fidem; quam in illis conservat; nec repugnat membrum morale sub duplici capite militare, ut videre est in malo cive, qui contra patriam cum hoste noxia init consilia.

Q. 2°. *Ratio Capitis est-ne Christi propria?*

R. Solus Christus est Caput principale; quia solus omnem gratiam nobis meruit, ut constat ex dictis; solusque est Sacramentorum auctor. Quilibet verò Pastor est caput ministe-

riale, quia Christus *dedit quosdam Apostolos..... alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, Ephes. 4. Duo autem requiruntur in Capite ministeriali. Primum, ut eodem agatur spiritu, quo Caput principale, cui servit; sitque tanquam instrumentum illi conjunctum per fidem & charitatem. Secundum, ut erga subditos se gerat juxta quatuor recensitas Capitis conditiones; dignitatem & auctoritatem tueatur, quatenus viderit subditis utile; sit eis conjunctus charitate præcipuâ, jam plenus, ut supponi debet, gratiarum donis, fideliter & assiduè effundat, etiam viliores tanquam propria membra foveat; & ad singulos sic afficiatur, ut cum gaudentibus gaudeat, flentibus compatiatur, & sibi adversantes ut ægra corporis membra curet, pro eis sollicitus, benignè ferat.

Q. *Potest-ne dici diabolus Caput reproborum?*

Respondet sanctus Thomas, non esse Caput per influxum interiorem; quia non infundit malitiam, sicut Christus gratiam & justitiam; sed dici Caput reproborum, quatenus per influxum exteriorem illis suggerit malitiam, ad consentiendum suggestionibus suis illos inflammat, regit, ac tandem ad damnationem æternam deducit. Propterea vocatur Princeps hujus mundi, Joan. 12. Rex super omnes filios superbiæ, Job. 41.



PARAGRAPHUS II.

Christus est Sacerdos.

PRobatur ex Scripturâ, Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech:* quem locum Apostolus de Christo interpretatur, Hebr. c. 5. & sequentibus.

Q. 1°. *Quomodo Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech; cùm ipse debeat in omnibus primatum tenere?*

R. Melchisedech hîc non proponitur tanquam fons & origo Sacerdotii Christi, quemadmodum in veteri lege ex Aarone, tanquam ex primo Capite, Sacerdotes per successionem generationum procedebant. Sed exhibetur duntaxat ut adumbrans & præfigurans novum Sacerdotium in Christo instituendum; obtulit enim sacrificium in pane & vino; fuit Rex justitiæ & pacis nec successit aliis, nec habuit successores; *cujus generatio*, inquit Apostolus, Hebr. 7. *non annumeratur in eis;* supra Aaronem & totam Judæorum gentem extitit, cùm Abrahæ Patriarchæ eorum, ut se minori benedixerit. Unde concludit Apostolus, quòd per omnia assimilatus fuerit Filio Dei.

Dices: Christus obtulit cruentum sacrificium, & secundùm lineam maternam ex familiâ Aaron ortus est; nam sancta Elisabeth cognata Beatæ Mariæ, dicitur de filiabus Aaron, Luc 1. Ergo Christus fuit Sacerdos secundùm ordinem Aaron.

Nego conseq. tum quia sacrificium crucis, licèt cruentum, non fuit oblatum ritu Aaronico, ut patet; nullusque dixerit illud pertinuisse ad cæremonias legales: tum quia Sa-

cerdotes Aaronici per lineam paternâm ab Aaron necessariò descendebant; Osias cujus mater ex Aaron fuit progenita, percussus est leprâ propter arreptum Sacerdotis officium, 2. Paralip. 26.

Q. 2°. *Secundùm quam naturam Christus est Sacerdos?*

R. Affirmant Novatores Christum esse Sacerdotem ratione Divinitatis: sed manifestè falluntur; nam Sacerdos superiorem agnoscit: Omnis pontifex ex hominibus assumitur, ut offerat dona & sacrificia, Hebr. 5. ergo Christus eâ ratione est Sacerdos, quâ oravit, & dixit, *Pater major me est*, hoc est ratione humanitatis, non quidem nudæ spectatæ, sed subsistentis subsistentiâ divinâ à quâ Christi sacrificium & oratio hauriunt suum meritum & valorem. Ut homo, est pro nobis orator; ut Deus, est cum Patre exauditor, inquit sanctus Augustinus.

Q. 3°. *Christus est-ne Sacerdos vi unionis hypostaticæ?*

R. Præter unionem hypostaticam, necessaria fuit Patris deputatio, quemadmodum suprà diximus non extitisse sponsorem nostrum sine Dei acceptatione: quod non obscurè innuit Apostolus Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu ... quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Q. 4°. *Christus habet-ne in sacerdotio successores?*

R. Negat absolutè Apostolus Hebr. 7. v. 23. 24. & 25. *Alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic au-*

tem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Constituit tamen sibi ministros ex Apostolo Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos ... alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.* Sed illi Sacerdotes ministeriales nullatenus dici debent & possunt successores Christi : cùm per eos tanquam per instrumenta ipse operetur semper vivens. Sed de his ex professo in Tractatu de sacramento Ordinis.

Q. 5°. *Omnes Christiani per Baptismum sunt-ne constituti Sacerdotes ?*

R. Non sunt, strictè & propriè loquendo; rectè tamen dici possunt Sacerdotes in latiori significatione & minùs propriâ. Sacerdotes propriè dicuntur, qui potestatem habent Sacramenta conficiendi & administrandi, Fideles regendi, & verbum Dei prædicandi : hanc autem potestatem non habent omnes baptizati, sed hi duntaxat, qui per sacramentum Ordinis sacris ministeriis consecrantur : nam ex Apostolo Rom. 12. *Sicut ... in corpore ... omnia membra non eumdem actum habent, ita multi ... sumus in Christo ... habentes ... donationes ... differentes.* & 1. Cor. 12. *Numquid omnes Apostoli? ... numquid omnes Doctores?* Sed de his ubi de Ministro Sacramentorum & sacrificii Missæ. Nihilominus, quia ex Sancto Augustino paragrapho præcedenti laudato : *Unus homo Christus caput & corpus;* omnes Fideles per Baptismum membra ejus effecti participes sunt ejus sacerdotii ; & eâ ratione in Scripturis non infrequenter Sacerdotes vocantur, Hebr. 13. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo.* Apoc. 1. *Fecit.*

nos regnum & Sacerdotes . . . Patri suo. 1. Petri cap. 2. v. 5. *superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum offerre . . . . hostias acceptabiles Deo per Jesum-Christum.* & v. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium.* Enimverò Christus noster Pontifex ideo Caput nostrum singulari illo quo diximus modo, effectus est ut ex toto se Deum coleret & diligeret; ac proinde negari non potest, quin membra sua moveat, ut Deum pro viribus colant & diligant, se quoque hostias per ipsum & in ipso offerant: quod luculentius in Missæ sacrificio adimplent, ut suo loco dicetur. Atque eo sensu Christi sacerdotium ad omnes baptizatos, sive viros, sive mulieres, extenditur.

Dixit Apostolus, *regale sacerdotium*; quia Christus regiæ etiam suæ potestatis Corpus suum particeps efficit, quatenus nempe viva ejus membra per ipsum affectibus suis imperant, passiones rebelles subjiciunt; omnia, etiam quæ adversa videntur, in proprium commodum convertunt: nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Rom. 8. Porrò, sicut ex his sancti Petri verbis nullus sanæ mentis colliget omnes baptizatos posse licitè jugum dominorum temporalium excutere, sic Heterodoxi ineptè colligunt baptizatos habere jus conficiendi & administrandi Sacramenta, aliaque hierarchica munia obeundi, accedente Magistratuum consensu. Sed de his aliàs.

Paragraphus III.

Christus est Rex.

Primò ut Deus quod per se evidens est. Secundò, ut homo, quod testantur utriusque

Testamenti paginæ, Psal. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus.* Atqui non est constitutus Rex ut Deus, cùm titulum illum ex naturâ suâ divinâ habeat, æquè ac Pater & Spiritus sanctus: ergo ut homo. Luc. 1. *Dabit illi*, ait Angelus ad Mariam, *Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Denique Apostoli & universa Ecclesia Christum simpliciter & absolutè Dominum compellant. *Dominus enim Jesus. Christus*, inquit sanctus Augustinus libro de consensu Evang. cap. 3. *unus verus Rex, & unus verus Sacerdos; illud ad regendum nos, illud ad expiandos.*

Q. *Christus ut homo est-ne Rex temporalis, & ita supremus terræ Monarcha, ut omnes Reges coronas ab eo accepisse censeantur?*

R. Minimè; hanc enim regiam dignitatem haberet, vel titulo donationis sibi factæ à Patre: vel titulo successionis & jure nativitatis humanæ: vel titulo electionis: vel denique jure belli. Atqui nihil horum dici potest: Ergo.

Non fuit Rex quatenus homo, donationis titulo; namque ubi confessus est coram Pilato se esse Regem (Joan. 18.) statim negavit regnum suum esse de hoc mundo, ut dilueret criminationem, quâ Judæi eum onerabant, quasi contra Cæsarem insurrexisset, ex sanctis, Ambrosio, Cyrillo & Augustino.

Non titulo successionis, quatenus est filius David; tum quia familia David amisit jus regni in Jeconia: Jerem. c. 22. *Scribe virum istum sterilem .... nec enim erit de ejus semine vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.* Quod manifestè impletum est in Machabæis, qui ex tribu Levi Duces populi Israëlitici extiterunt usque ad Herodem Ascaloni-

tam, sub quo natus est Christus, cur Deus dedit sedem David patris ejus, *non carnaliter. sed spiritualiter regnaturo*, ait S. Augustinus libr. 17. de Civit. cap. 7. Ita ut regnum temporale David, utpote umbra & figura, evanesceret veritate adveniente, nimirum spirituali Christi regno. Tum quia, etiamsi regnum temporale ad familiam David tum pertinuisset, cùm Christus natus est, non constat, an Christus ex omnibus Davidis nepotibus esset propinquior.

Non titulo electionis, quam Christus declinavit, Joan. 6. *Cùm cognovisset, quia venturi essent, ut ... facerent eum Regem, fugit.* & Luc. 12. Christus homini ipsum interpellanti ut litem de re temporali motam dirimiret, sic respondit, *Homo, quis me constituit judicem ... super vos?*

Non jure belli: nam bellum ejus non fuit cum Regibus mortalibus: sed cum Principibus tenebrarum, *expolians principatus & potestates*, ait Apostolus Coloss. 2. Unde Christus ex mortuis redivivus mittens Apostolos sic loquitur Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ. Euntes ergo;* an Reges rebelles dejecturi, & alios instituturi? minimè; sed *docete omnes gentes*, &c. quibus posterioribus verbis Christus demonstrat omnimodam illam potestatem sibi à Patre concessam, spectare spiritualia duntaxat; & ita interpretati sunt Apostoli & eorum successores. *Omnis anima*, ait Paulus Rom. 13. *potestatibus sublimioribus subdita sit.* Addit Chrysostomus in hunc locum: *Etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris ... est autem prima hujus constitutionis justitia, quòd à Deo ordinata sint ista;* subdit enim Apostolus: *Non .... est potestas nisi à Deo ..: Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit..... Ideo enim & tributa præstatis; Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum ser-*

vientes. Hinc Tertullianus libro ad Scapulam capite 1. *Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & nobis licet & ipsi expedit, ut hominum à Deo secundum, & quidquid est, à Deo consecutum, solo Deo minorem. Sic enim omnibus major est, dum solo Deo minor est.* Celebris est sententia Osii Constantinum alloquentis, apud sanctum Athanasium epistolâ ad Solitarios : *Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ Ecclesiæ sunt concredidit. & quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ : ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. Neque igitur fas est nobis in terris, imperium tenere ; neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.*

Duæ itaque in corpore Christi, quod est Ecclesia, agnoscendæ sunt divinitus constitutæ & distinctæ supremæ potestates ; alia temporalis penès seculares Principes ; alia spiritualis penès Sacerdotes. Per alteram Reges terræ à Deo secundi, post quam & primi, & ante omnes, (ex Tertulliano Apol. cap. 30.) administrant res temporales in ordine ad ultimum finem, tanquam Ministri Omnipotentiæ divinæ, & Providentiæ ; atque eo nomine gladium materialem portant in vindictam malorum ; laudem verò bonorum, Rom. 14. Per alteram, Sacerdotes Dei etiam Ministri toti sunt in excolendis & perficiendis animis : nec desunt illis arma, non quidem carnalia, sed spiritualia, potentia Deo, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversùs scientiam Dei ; & in promptu habent ulcisci omnem inobedientiam, ut loquitur Apostolus 2. Corinth. cap. 10. Quantò autem anima præstantior est corpore, tantò spiritualis potestas temporalem antecellit. Quapropter & Princeps Sacerdotes

colat & observet, ut Patres & Pastores; ipsum enim inter oves computatum Deus commisit Pastorali curæ & sollicitudini : nec Pastor supra Principem se superbè extollat : quem enim sibi à Deo Dominum temporaliter constitutum dicit, necesse est ut & subditus ipsum diligat, & revereatur, ex Tertulliano lib. ad Scap. c. 1. Sed ambo conjunctis animis & viribus juxta ministerii sui mensuram, cultum Dei & honorem promoveant, multisque prodesse potiùs, quàm præesse appetant.

Dices : Ille est Rex temporalis qui habet jus vitæ & necis : atqui S. Petrus jus tale habuit, eoque usus est Act. 5. dum Ananiam & Saphiram morte mulctavit. Ergo.

Distinguo minorem, Sanctus Petrus jus vitæ & necis habuit potestate extraordinariâ, Concedo : potestate ordinariâ, & ad successores transmittendâ, Nego minorem.

Instabis : atqui sanctus Petrus jus illud ad successores transmisit ; nam Romani Pontifices temporaliter regnant, & sceleratorum crimina gladio materiali vindicant. Ergo.

Nego subsumptum, cujus confirmationem distinguo. Temporaliter regnant in terris sibi liberalitate & munificentiâ Principum concessis, quemadmodum & multi Episcopi in Germaniâ, Concedo : temporaliter regnant ex Christi institutione, & quatenus sunt Caput Ecclesiæ, Nego. Namque ex S. Leone serm. 1. in Natali Apostolorum, Roma per sacram beati Petri sedem Caput orbis effecta, latiùs præsidet Religione divinâ, quàm dominatione terrenâ. Et Facultas Parisiensis anno 1663. declaravit hanc esse suam antiquam doctrinam; quod Rex Christianissimus nullum omnino agnoscat,

nec habeat in temporalibus ſuperiorem præter Deum.

Inſtabis iterum: Sequeretur Chriſtum, ut homo eſt, 1°. nullum habuiſſe dominium temporale, quod falſum eſt, & damnatum à Joanne XXII. 2°. ſubditum fuiſſe dominis temporalibus, & tributum ipſis debuiſſe; quod tamen negat Matth. 17.

Nego ſequelam. Primò, namque aliud eſt eſſe Regem, aliud habere proprietatem quorumdam bonorum, qualem habent etiam privati. Joannes autem XXII. damnavit eos, qui aſſerebant Chriſtianos nihil poſſidere tanquam proprium, nec Chriſtum habuiſſe dominium loculorum, quos Judas portabat. Secundò, cùm unica perſona eaque divina in Chriſto ſit agnoſcenda, ſequitur ipſum, etiam ut homo eſt, non fuiſſe ſubditum dominis temporalibus, neç debuiſſe ipſis tributum.

Fatendum tamen eſt probabilitate non carere eorum Theologorum ſententiam, qui docent Chriſtum, etſi regiæ poteſtatis temporalis actum non exercuerit, cùm videretur contrarius fini Incarnationis, ſcilicet hominum ſaluti, quam conſequi non poſſunt, niſi contemptu rerum temporalium; tamen jure fuiſſe Regem temporalem, & totius orbis Dominum, cùm ex dictis capite primo eſſet Filius Dei naturalis, etiam ut homo: ſed hanc poteſtatem ad Miniſtros non tranſtuliſſe; quia eſt poteſtas excellentiæ ipſi propria ſicut poteſtas inſtituendi Sacramenta, & dimittendi peccata abſque uſu illius ſigni.

Parag. VI.

Paragraphuus IV.

Christus est Legislator.

Ita definivit Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 21. contra Lutherum : *Si quis dixerit Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant ; non etiam ut Legislatorem, cui obediant ; anathema sit.* & Can. 19. *Si quis dixerit, nihil præceptum esse Evangelio præter fidem ; cetera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera ; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos ; anathema sit.*

Probatur ex Scripturâ , Joan. 14. *Si diligitis me*, ait Christus, *mandata mea servate.* Multa autem de moribus sanxit, præter ea quæ fidem spectant. 1°. Legem naturalem, quæ Decalogo continetur, ad Christianos maximè pertinere declaravit Matth. 5. *Non veni*, inquit, *legem solvere . . . . donec transeat cœlum & terra, iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Id est, quæ magis fixa sunt & stabilita, potiùs à suo statu dimovebuntur, quàm quid minimum legis naturalis, utpote ab æternâ & incommutabili veritate profectæ, immutetur. 2°. Eandem legem magnâ ex parte in mentibus non solùm Gentilium, sed & Judæorum, veluti obliteratam restituit, explanavit, perfecitque. Nam Gentilibus etiam Philosophis, Judæis quoque satis erat, si modus imponeretur appetitui vindictæ, voluptatis, & cupiditatis. Philosophus, inquit Tertullianus, non abstinet à toto, sed à tanto ; Christus verò omnem consensum superbiæ, carnis illecebris, & cupiditati damnavit ; *Ego autem vobis dico, Diligite inimicos vestros, benefa-*

cite his qui oderunt vos. Attendite , ne justitiam faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: non potestis Deo servire & mammonæ ; ideo dico vobis, Ne solliciti sitis, quid manducatis. Væ vobis divitibus , quia habetis consolationem vestram. Væ vobis qui ridetis. Hinc dilectionis mandatum alioquin vetus , 1. Joan. 2. (cùm ad legem naturalem pertineat) propter novam explicationem dicitur novum. Joan 13. de hujusmodi interpretationibus sic loquitur Legislator noster: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis* , (minimis , inquam , quia talia videntur mundanis hominibus , & propter perfectionem duntaxat consulenda ; cùm sint mandata gravissima) *minimus vocabitur in regno cœlorum* , hoc est , vilissimus , & , ut exponunt S. Chrysostomus & Theophylactus , nullus & indignus regno cœlorum : ait enim Christus : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum , non intrabitis in regnum cœlorum.* Ac deinceps explicat, quid ultrà præstare debeant ejus discipuli , nempe comprimendos esse omnes iræ & concupiscentiæ motus , & terrenorum affectus. Multas insuper leges tulit de Baptismo , de Eucharistiâ , de Matrimonio & aliis Sacramentis.

Paragraphus V.

Christus est Judex.

Probatur ex Scripturâ , Joan. 5. v. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam , sed omne judicium dedit Filio , ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* & v. 27. *Potestatem dedit ei judicium facere, qui Filius hominis est* ; Hoc est, quia homo factus est , & eatenus hominum Salvator , Pastor , Rex & Legislator ;

Salvatoris enim est obtemperantes sibi in gloriam adducere, contemptores excludere; Pastoris, oves ab hœdis segregare; Regis, rationem à subditis exigere, & jus unicuique dicere; Legislatoris denique, transgressores pœnâ afficere, obedientes præmio donare. *Formâ illâ erit Judex*, inquit sanctus Augustinus, *quâ stetit sub Judice: illâ judicabit, quæ judicata est: judicata est iniquè, judicabit justè.*

Dices 1°. Joan. 12. sic loquitur Christus: *Si quis audierit verba mea, & non custodierit; ego non judico eum; non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum.* & cap. 8. de Patre ait: *Est qui quærat & judicet.* Ergo non Christus, sed Pater omnium est judex.

Distinguo antecedens: non judico in primo adventu, Concedo; *non enim venit judicaturus, sed judicandus:* in secundo adventu, Nego antecedens. Sanctus Augustinus lib. de Trinitate cap. 13. aliâ ratione textus laudatos conciliat: *Secundùm quod Deus est, judicat, hoc est, ex potestate divinâ, non humanâ; & tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est. Itaque utrumque dici potest, & Filius hominis judicabit*, scilicet potestate sibi delegatâ; *& non Filius hominis judicabit*, potestate primariâ & principali, *ut verum sit, quod ait Joan. 12. Ego non judico. Nam secundùm id quòd in judicio non forma Dei, sed forma Filii hominis apparebit, nec ipse Pater judicabit; secundùm enim hoc dictum est, Pater non judicat quemquam .... Patrem non videbit in judicio vivorum & mortuorum, sed omnes Filium, quia Filius hominis est, ut possit ab impiis videri, cùm & illi videbunt, in quem pupugerunt.*

Dices 2°. Joan. 3. legitur: *Qui non credit jam judicatus est:* ergo Christus non est Judex,

infidelium; & ita docent Lactantius, sanctus Augustinus & alii Patres.

Distinguo antecedens: jam judicatus est, tum per legem, cui manifestè contradicit, tum per judicium discretionis, quo omnes reum illum facilè pronuntiant, Concedo: hoc sensu ait Christus Joan. 12. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui judicet eum, sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die.* Jam judicatus est per sententiam Judicis, judicio condemnationis, Nego antecedens; licèt enim reus nullâ tergiversatione crimen excusare possit, omnesque illum judicent dignum morte; nihilominus sisti debet coram Judice excepturus damnationis sententiam. Stabunt ergo ante tribunal Christi etiam Infideles, & infantes, qui sine baptismo decesserunt, non quidem ut vitâ æternâ indigni declarentur; de iis enim dubitare fas non est, cùm non pertineant ad Corpus Christi, quod est Ecclesia; sed ut damnationis judicium subeant, fulminantemque Judicis vocem audiant: *Discedite à me, maledicti.* Matth. 25.

Q. 1°. *Christus est-ne Judex Angelorum?*

R. Omnes quoque Angeli antè Christi tribunal stabunt judicandi: Beati quidem, ut ministerii sui erga homines fideliter expleti, gloriam accidentalem publicè reportent: perduelles verò, licèt per crucem jam sint devicti, & cum suo Principe judicati, Joan. 16. v. 11. attamen rudentibus inferni detracti, in judicium condemnationis reservantur. 2. Petri c. 2. v. 4. scabellum sub pedibus Christi triumphantis substernendi insultantibus Justis, quos hactenus fuerant persecuti; scriptum est enim Sap. 5. *Tunc stabunt justi in magnâ constantiâ adversùs eos qui se angustiaverunt.* Et primæ ad

Corinthios cap. 6. v. 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?*

Q. 2°. *Christus in judicio videbitur-ne etiam à reprobis in formâ gloriosâ.*

R. Videbitur, Marci 13. ✠. 26. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multâ & gloriâ*, Luc. 21. v. 27. *cum potestate magnâ & majestate.* Et in Symbolo Nicæno; *Iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos.* Idque videtur congruum tribus de causis. Primò, quia mediator, ut duas inter se diffidentes personas conciliet, hanc modò induit, modò alteram. Atqui Christus Mediator noster in priori suo adventu nobis per omnia assimilatus est absque peccato, causam nostram agens apud Patrem. Ergo in posteriori partes Dei acturus, totus in Deum mutatus apparebit. Secundò, quia Christus nondum exaltatus est in mente Infidelium, adhuc contemnitur à reprobis propter humile vitæ institutum, quod mortalis amplexus est. Oportet ergo ante ipsum jam sublimem, jam gloriâ circundatum adducantur palpitantes, & ignibus liquescentes, ait Tertullianus, ut Redemptorem suum, qui tanta pro eis fecit & pertulit, tandem agnoscant, exprobrantem audiant; & coram illo genu flectentes, ut scriptum est Philip. 2. v. 10. honorem, quem hactenus negaverant, palàm & cunctis circumstantibus pendant. Quanta autem hæc futura sit illis pœna, exprimit Christus Luc. 23. v. 30. his verbis: *Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; & collibus, operite nos.* Tertiò, quia peccatores, qui arctiora Evangelii præcepta pro libidine interpretantes, & moribus seculi accommodantes, vitam electorum æstimabant insaniam, convincendi sunt rerum

eventu, vanam non fuiſſe juſtorum ſpem. Hæc ſunt ſpectacula Chriſtianorum continuò imaginanda, inquit Tertullianus. Vide caput ultimum de ſpectaculis, ubi extremi judicii apparatum vividis pingit coloribus; & memento verbi Domini Luc. 21. v. 36. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini ... ſtare ante Filium hominis.*

Paragraphus VI.

Chriſtus eſt perfectus Dei & hominum Mediator.

Probatur, tum ex Scripturâ, 1. Tim. c. 2. *Unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*: tum ex ratione; ille enim eſt perfectus Mediator, qui partium diſſidentium naturas in ſe conjunctas habet, & omnia agit neceſſaria ad illas ſecum invicem conciliandas. Atqui talis eſt Chriſtus Dominus: *idcirco Mediator*, inquit ſanctus Fulgentius cap. 12. lib. de Fide ad Petrum; *quia idem Deus atque homo verus, habent unam cum Patre divinitatis naturam, & humanitatis unam cum Matre ſubſtantiam.* Et ſanctus Auguſtinus lib. 10. Confeſſionum capite 12. *Mediator inter Deum & homines oportebat ut haberet aliquid ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus.* Deinde omnia præſtitit, quæ erant perfecti Mediatoris: fuit Dei interpres apud homines, Joan. 1. v. 18. Conſiliarius, Iſ. 9. v. 5. advocatus apud Patrem, 1. Joan. 2. v. 1. ſponſorem ſe obtulit, & plenè ſatisfecit, ut diximus. Ergo eſt perfectus Mediator tum quoad ſubſtantiam, quod negant, qui duas in Chriſto naturas non admittunt; tum quoad operationem, quod ex parte rejiciunt Sociniani, quibus Chriſtus eo

duntaxat mediator, est quo Dei extitit internuntius & interpres.

Q. 1°. *Secundùm quam naturam Christus est Mediator?*

R. Primò non est mediator secundùm naturam humanam, quatenus intelligitur à Deo præcisa; quia per illam non potuit condignam, hoc est, infinitam, exhibere satisfactionem: neque secundùm naturam divinam; quia natura divina non potest satisfaciendo subjici. Est contra quosdam Lutheranos, quorum alii contendunt Christum esse Mediatorem penès naturam humanam, alii penès naturam divinam. Ergo Christus ante Incarnationem non fuit Mediator, nisi impropriè, quatenus Verbum in sententiâ Veterum apparuit sanctis Patriarchis, ut Patris voluntatem ipsis declararet; eo sensu dicitur Gal. 3. v. 18. lex ordinata in manu Mediatoris; quanquam verba illa ad litteram exponenda sint de Moyse, quia impropriè fuit mediator, in quantum Dei interpres.

R. Secundò, Christus non est mediator secundùm utramque naturam simul. Est contra Calvinum. Probatur, quia natura divina non potest obire munera mediatoris, putà, supplicare, sacrificium offerre, &c.

R. Tertiò, itaque Christus est Dei & hominum mediator quatenus Homo Deus, ita tamen ut per naturam humanam Verbo subsistentem omnibus mediatoris officiis perfunctus sit. Responsio patet ex præcedentibus; namque homo est nomen concretum significans subjectum & formam, seu Verbum ut terminans naturam humanam. Atqui hic homo medius est inter Deum & homines; per subsistentiam enim habet quid simile Deo, & per naturam humanam aliquid simile hominibus: per naturam

humanam preces fudit, obediens fuit usque ad mortem, quæ fuit meriti infiniti propter subsistentiam divinam. Ergo persona divina fuit principium *quod* mediationis Christi, & natura humana principium *quo.* Unde S. Augustinus tractatu 72. in Joan. ait: *Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Christus Jesus.*

Q. 2°. *Esse mediatorem, est-ne ita Christi proprium, ut nulli creaturæ convenire possit?*

R. Solus Christus potuit esse perfectè & propriè mediator; quia solus partium dissidentium naturas conjunctas habet, solus quoque potuit obire omnia mediatoris officia, putà, offerre pretium offensæ æquivalens. Impropriè tamen & imperfectè alii possunt esse mediatores, quia nonnulla mediatoris munera præstare possunt, v. g. pro aliis apud Deum intercedere, ejusque voluntatem declarare. Nobis ergo unus est propriè mediator, nempe Christus Jesus, plures verò imperfecti & ministeriales, Christi nomine & meritis agentes, putà, Pastores, Angeli, & quicumque pro nobis apud Deum intercedunt. Unde Theologi hîc disserere solent de cultu & invocatione Sanctorum, ac de veneratione sanctarum Imaginum: quem morem sequemur, priusquam attingamus Tractatum de Gratiâ quæ est effectus Incarnationis, & tanquam spiritus vitæ, quem Christus, hominum Caput, diffundit in membra sua. Sit itaque





APPENDIX.

DE CULTU ET INVOCATIONE SANCTORUM, ac de veneratione Reliquiarum, & sanctarum Imaginum.

Caput I.

Texitur Catalogus Hæreticorum, qui in hâc parte à vero recesserunt.



PRimò ex scholâ Simonis Magi prodierunt Gnostici, qui Platonicorum vestigiis inhærentes, docuerunt administrationem universi Angelis, quos illi Philosophi Genios & inferiores Deos vocabant, esse demandatam, ac proinde vota nostra & sacrificia ad eos dirigenda. Hunc errorem carpit Apost. Col. 2. v. 18. *Nemo vos seducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, frustra inflatus sensus carnis suæ,* (id est scientiâ ex proprio cerebro confictâ) *& non tenens Caput*, scilicet Christum, *ex quo totum corpus ... constructum crescit.* Quæ posteriora verba, *non tenens Caput*, manifestè demonstrant illos Hæreticos à Christo Domino suos discipulos avertisse; & ita sanctus Chrysostomus interpretatur. *Sunt qui-*

dam, inquit, *qui dicunt non posse per Christum adduci, sed per Angelos.* Hunc superstitiosum cultum damnavit Concilium Laodicenum in Phrygiâ, Can. 34. & contra hunc statuit Can. 51. legitimam Sanctorum Martyrum venerationem. Unde patet ignorantia, vel potiùs mala fides Novatorum, qui hoc Apostoli textu Sanctorum cultum proscribi contendunt. Sed ad obstruendum os loquentium iniqua, audiendus est Theodoretus, qui tum in hunc locum, tum lib. 3. hæreticarum Fabularum cap. 4. sic scribit: *Illi* (Simon & ejus discipuli) *hoc consulebant, utique humilitate utentes: dicentes universorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum posse perveniri; & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare. Quocirca Synodus, quæ convenit Laodiceæ, quæ est Phrygiæ Metropolis, lege prohibuit, ne precarentur Angelos, & in hodiernum usque diem licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria sancti Michaëlis.* S. quoque Epiphanius de hæresi Simonis ait ipsum docere, *non posse salvari aliquem, nisi sacrificia Patri universorum per eos Principatus & Potestates obtulerit.* A quâ impietate quantùm abhorreat Ecclesia Catholica nemo non videt.

Secundò, Manichæi tertio seculo omnem Sanctorum cultum respuerunt, objeceruntque Catholicis, teste S. Augustino, quòd pro diis Gentium Martyres invexissent. Agnoscebant ergo illi Hæretici suâ ætate cultum Sanctorum in Ecclesiâ Catholicâ celebrem fuisse. Manichæorum errorem amplexus est quarto seculo in Oriente Eunomius Arianus, & Vigilantius in Occidente, contra quem scripsit, S. Hieronymus.

Tertiò, signum Crucis, quòd à Catholicis manuum agitatione exprimi solet, deriserunt

iidem Manichæi, ex ſancto Auguſtino libro ſexto contra Fauſtum, & aliirecentiores Manichæi in Galliis, apud Pitæum in Hiſtoriâ Aquitanicâ.

Quartò Amalarius nono ſeculo refert libro de Officiis, Eccleſiaſticis capite 14. quorumdam errorem ſtatim extinctum, qui veram Chriſti Crucem ita honorandamcenſebant, ut reliquas ad ejus ſimilitudinem efformatas rejicerent. Alii paulò pòſt eruperunt, qui, duce Claudio Taurinenſi Epiſcopo, tam veram, quàm ceteras cruces conculcarent. Hujus impietatis in Oriente ſocii extiterunt Pauliciani à quodam Paulo ſic nuncupati, veterum Manichæorum propago. Hos ſecuti ſunt in Occidente undecimo ſeculo Henriciani ſeu Petrobruſſiani duodecimo Wicleſiſtæ.

Quinto, Reliquiarum ſanctarum hoſtes extitêre; quarto ſeculo in Oriente Eunomius Arianus; in Occidente Vigilantius qui, teſte ſancto Hieronymo, Catholicos per contemptum Cinerarios vocabat, imò & idololatras.

Sextò, ſacras Imagines impugnarunt, primò Judæi ex peculiari ſuæ legis inſtituto. Deinde Mahumetani, quorum ſecta prodiit ſeptimo ſeculo. Ex Chriſtianis Manichæi, teſte Tharaſio Epiſcopo Conſtantinopolitano, actione quartâ Concilii ſeptimi. Sed præ ceteris Leo Iſaurus Imperator, à quodam Judæo deceptus, anno 730. publico edicto tanto furore in ſacras Imagines debaccatus eſt, ut Iconomachorum Princeps meritò habeatur. Impietatem paternam Conſtantinus Copronymus toto conatu proſecutus eſt; Epiſcopos ex adverſis Provinciis numero 338. Conſtantinopolim congregavit, juſſitque ab iis abrogari imagines anno 754. Legatos inſuper miſit ad Pipinum Francorum

Regem, ut eum in sceleris societatem pertraheret. Verùm Pipinus in conventu hâc de causâ Gentiliaci habito anno 767. Imperatorem per eosdem Legatos ab errore revocare conatus est, frustra tamen, nam præconceptum in Imagines odium Copronymus non deposuit, filium quoque, nomine Leonem, pertinaciæ suæ simul & imperii heredem reliquit.

Leoni Isauro obstiterunt, in Oriente Sancti Joannes Damascenus, & Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus; in Occidente Gregorius II. in Synodo Romanâ, & Gregorius III. in Concilio 93. Episcoporum anno 732. ex Anastasio in ejus vitâ. Stephanus IV. quoque damnavit anno 769. conciliabulum Iconomachorum Constantinopoli jussu Copronymi coactum, ex eodem Anastasio.

Tandem Constantinus pius Imperator, cum Irene matre, collapsum in Oriente Imaginum cultum restituere curavit; ipso agente septimum generale Concilium anno 787. inchoatum est Constantinopoli, & absolutum Nicææ, unde dictum est Nicænum secundum. Præfuit Adrianus I. per suos legatos. In hoc Concilio duo sancita sunt: primum, Imagines Christi & Sanctorum collocari posse in Templis: secundum, eas licitè coli. *Definimus*, inquiunt Patres, *cum omni curâ & diligentiâ venerandas sanctas Imagines ad modum & formam venerandæ Crucis, coloribus aut aliâ quâvis materiâ paratas dedidas esse, in Templis Dei collocandas & honorandas; ut scilicet per hanc Imaginum pictarum inspectionem omnes, qui contemplantur, ad prototyporum memoriam veniant, illisque salutationem & honorariam adorationem exhibeant, non secundùm fidem nostram, veram latriam, quæ solùm Deo competit; sed*

quemadmodum venerandæ & vivificantis Crucis typo, & sanctis Evangeliis, & Reliquiis sanctis, & oblationibus tribuimus, luminaria reverenter accendimus... Imaginum enim honor in prototypum resultat, & qui adorat Imaginem, adorat quoque descriptum argumentum.

Septimi Concilii acta in Gallias allata multis ex capitibus impugnata & damnata fuere. Primò, quia vitio Interpretis verba Constantini Cyprii Episcopi actione tertiâ sic legebant, ut constat ex libro tertio Carolino, cap. 17. *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas Imagines secundùm servitium adorationis, quod Trinitati emitto*; cùm habeatur in textu originali, *adorationem verò, quæ sit secundùm latriam, soli Trinitati emitto*. Secundò, quia in illis actis nomina quædam Gallis insolita, & honorificentiora Imaginibus ascripta erant. Tertiò, quia certi venerationis ritus imaginibus decernebantur, quos augustiores nostri censebant. Propterea prodiit famosum opus sub Caroli Magni nomine in quatuor libros distinctum, qui Carolini libri nuncupantur. In hoc autem opere, præter cultum latriæ, quem Galli Imaginibus à Concilio delatum existimabant; arguuntur, 1°. nomina adorationis, religionis, servitii, imò & venerationis, quibus exprimitur cultus Imaginum: 2°. luminaria, thimiamata, oscula, salutationes in cultu Imaginum à Concilio invectæ: 3°. comparationes Imaginum à Patribus Nicænis institutæ cum Cruce Domini, Reliquiis Sanctorum, vasis sacris, & Speciebus Eucharisticis: 4°. virtus sanctificandi, quam Patres Nicæni Imaginibus tribuere videbantur.

Carolus selecta hujus operis capita misit ad

Adrianum, qui nondum Synodum Nicænam confirmaverat, omnia ejus judicio subjiciens. Summus pontifex in responsione suâ ad Carolum, quæ habetur tomo septimo Conciliorum, laudat ejus fidem & doctrinam, quamvis non ea omnia amplecteretur à Patribus Nicænis definita circa cultum Imaginum; quæ tamen Adrianus testatur se probare pro Ecclesiæ Romanæ consuetudine. Sed quod mirum est, non notat nec arguit Interpretis lapsum, ex quo tamen Caroli animus offensus fuerat. Quare cùm circa illud tempus Francofordiense Consilium celebraretur in causâ Felicis definientis Christum esse Filium Dei adoptivum; Carolus ad illud transmitti curavit acta Concilii Nicæni inscitiâ Interpretis adulterata; de quibus Patres Francofordienses, præsentibus Legatis summi Pontificis, sic habent Canone secundo: *Allata est in medium quæstio de novâ Græcorum Synodo quam de adorandis Imaginibus Constantinopoli fecerunt*, (inchoata enim est Constantinopoli illa Synodus) *in quâ scriptum habetur, ut qui Imaginibus Sanctorum ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur, qui suprà sanctissimi Patres omnimodis adorationem & servitium renuentes contempserunt, atque consentientes damnaverunt.* Non audiendæ hic Novatorum conjecturæ contra expressissima Concilii verba, quasi verisimile non sit Episcopos ex universo ferè Occidente congregatos non percepisse genuinum Concilii Nicæni sensum, maximè præsentibus summi Pontificis Legatis: unde concludunt Imagines à Patribus Francofordiensibus prorsus fuisse rejectas. Fortè enim Legati non sunt auditi reclamantes: vel ideo non reclamarunt,

quia non habebant acta sana, sicut nec ipse Adrianus videtur tunc temporis habuisse: cùm enim in citatâ suâ epistolâ ad Carolum Magnum scribat verba Constantini Cyprii benignè esse accipienda, supponit ipsum ea reverà protulisse, quod tamen falsum est. Nec mirum quòd in Galliis Concilium Nicænum tam citò receptum non fuerit; cùm illud Adrianus nondum confirmasset, tum ex suâ epistolâ ad Carolum, tum ex epistolâ Hincmari Remensis ad Hincmarum Laudunensem.

Ludovicus pius, Caroli filius, & in imperio successor, acceptis litteris Michaëlis Balbi Imperatoris Constantinopolitani, in quibus se Catholicum simulans, testabatur se abstulisse à conspectu vulgi quasdam Imagines, superstitioni magis obnoxias, retinuisse verò ad recordationem eas quæ in sublimioribus Ecclesiæ locis positæ erant; plures Episcopos Parisios congregavit, qui variis sanctorum Patrum sententiis collectis, statuerunt, propter amorem Sanctorum, Imagines in Ecclesiâ honorificè servandas esse, non tamen colendas, *ut Romæ ac potissimum in Græciâ fiebat*. Hanc autem collationem Ludovicus ad Eugenium II. per Jeremiam Senonensem & Jonam Aurelianensem misit cum epistolâ ad eumdem summum Pontificem scriptâ, quæ habetur tomo septimo Conciliorum. Bellarminus & alii benemulti, contra fidem antiquissimorum manuscriptorum, & Auctorum noni seculi, contendunt hanc Parisiensem Synodum esse confictam ab Heterodoxis, cùm illorum operâ, acta ejus in lucem non prodierint nisi sexto-decimo exeunte seculo. Sed præterquamquod illa Synodus insistat iis, quæ Carolus tradiderat in suis libris Carolinis, Jonas Aurelianensis & Theode-

mirus Abbas Dungalus, qui præ ceteris insurrexerunt contra Claudium Taurinensem sub id tempus Imagines & Cruces confringentem, eamdem tenuerunt viam mediam inter Iconomachos, Imaginum contemptores ac confractores, & Græcos simul, & Italos, impendentes Imaginibus cultum nimis effusum (ut ipsis videbatur) juxta gentis suæ morem & doctrinam in libris Carolinis & Conventu Parisiensi explicatam; docueruntque 1°. Imagines non esse confringendas: 2°. in Templis esse collocandas, & honorificè servandas ob memoriam & amorem Sanctorum; ad hoc probandum, laudant, sicut Synodus Parisiensis, epistolas S. Gregorii ad Januarium & Secundinum, in quibus Sanctus Pontifex præcipit honorari sanctas Imagines, ut patebit ex dicendis. Et hæc contra Claudium Taurinensem & ceteros schismaticos Iconomachos. Contra Græcos verò & Italos, salvâ tamen pace & unitate, cùm hæc quæstio disciplinam spectet, sic scribit Jonas tomo quarto Bibliothecæ: *Illi, qui nimio & indiscreto amore ob honorem Sanctorum eorum Imaginibus supplicant, nescio an temerè idololatræ sint vocandi; videntur sanè ab hâc superstitione, adhibito rationis moderamine, revocandi potiùs, quàm idololatræ nuncupandi.* Dungalus quoque eodem tomo quarto Bibliothecæ, postquam Claudium Taurinensem reprehendit, quòd assereret similiter esse idololatras, qui idola adorant, & qui Imagines Christi & Sanctorum ejus pingunt & venerantur pro amore & honore Salvatoris & electorum ejus, quos & ipsos, licèt longè inferius, diligunt tamen & honorant; negat cum Concilio Parisiensi Imagines esse in templis ob ullum Religionis cultum, sed ob memoriam Sancto-

rum. Nimirum Scriptores illius seculi duo spectabant. Primum Deum solum esse propriè Religionis objectum, ac proinde illi soli exhibendum religiosum cultum, quod expendemus capite sequenti. Secundum, Imagines, non esse propter materiam retinendas & honorandas, sed solùm propter memoriam: proptereaque non ferebat eas comparari Reliquiis Sanctorum & vasis sacris, quæ aliquid sanctitatis hauriunt, illæ ex animâ sanctâ, cujus fuerunt organa & instrumenta; ista ex corpore Christi, quod in ipsis fuit repositum. Atqui inde deducebant, nec luminaria esse accendenda, nec thimiamata incendenda Imaginibus Sanctorum, sicut Reliquiis eorum. Hoc argumentum fusè prosequitur Carolus in citato opere, exemplis adductis picturarum, in quarum alterâ repræsentatur Mater Dei asello vecta, alterâ autem Venus, quæ mutatâ inscriptione evadet imago beatæ Virginis: ex quibus concludit materiam non spectari in Imaginibus sicut in sacris Reliquiis; cùm imago aselli, Veneris, & beatæ Virginis sint ejusdem materiæ, ac proinde luminaria non esse accendenda coram Imaginibus Sanctorum, sicut coram eorum Reliquiis; eas tamen honorificè servandas, sed duntaxat ob eorum memoriam, amorem & honorem.

Walfridus quoque Strabo eodem seculo, lib. de rebus Ecclesiasticis, c. 8. damnat Græcos & Romanos mores, quibus spiritualis cultus Imaginibus tribuebatur; concluditque contra Iconomachos: *Cùm itaque*, inquit, *talis sit Christiani perfectio sensûs, non sunt omnimodis honesti & moderati Imaginum honores abjiciendi.* Similia tradit Agobardus Lugdunensis; & Flodoardus lib. 6. Hist. refert Hincmarum Re-

mensem scripsisse librum flagitantibus Episcopis, qualiter Imagines Salvatoris, & Sanctorum venerandæ sint.

Ex his sequitur primò, libros Carolinos & Conventum Parisiensem fideliter exponere, quæ esset Gallorum mens circa Imagines. Secundò, Gallos tunc temporis non dissensisse à Græcis & Italis in dogmate, sed in quibusdam duntaxat circunstantiis, quæ sensim sine sensu apud illos obtinuerunt. Tertiò, Gallos in Claudio Taurinensi expugnasse Novatores hujus temporis, & à suâ communione exclusisse; cùm se dicipulos ejusdem Claudii profiteantur. Non modò ergo illis non patrocinantur libri Carolini, Conventus Parisiensis, & alii novi seculi Scriptores, ut ipsis contra adversentur. Agobardus quidem stimulatus falsâ Michaëlis Balbi narratione, plebem apud Orientales superstitiosam & idololatram fieri occasione Imaginum, scripsit, satiùs non pingi Imagines. Sed Dallæus Novatorum nostrorum Pseudopastor illo testimonio uti non potest ad confringendas Imagines, cum in Ecclesiâ Romanâ hujusmodi non existat abusus, nisi fortè ad paucos incuriâ Pastorum.

Iconomachorum errorem ubique proscriptum duodecimo seculo renovarunt Valdenses, Petrobrussiani, Henriciani & Albigenses; decimo quarto seculo Hieronymus de Pragâ in Concilio Constantiensi damnatus & crematus; & decimo sexto seculo Lutherani & Calviniani amplexi sunt insuper impietatem Manichæorum, Vigilantii; & aliorum hujusmodi Hæreticorum, circa cultum Sanctorum & Reliquiarum, imò & pretiosissimæ Crucis Domini, adeo ut sectas eorum dixeris sentinam, in quam omnium hæreseum sordes confluunt.

Quòd si præcedentium Hæreticorum traditionem prætendant, indeque glorientur, gloria illa vertitur in confusionem ipsorum; cùm impietates illæ, ubi prodierunt, continuò fuerint proscriptæ ab Ecclesiâ; cui resistere insolentissimæ & insaniæ, ait S. Augustinus.

CAPUT II.

Exponitur Ecclesiæ doctrina circa cultum Sanctorum.

PRimò, Sancti digni sunt honore; quia honor definitur, testificatio excellentiæ alicujus: ergo qui excellentiam aliquam præ se ferunt, digni sunt hujusmodi testificatione. Atqui sanctitas, quæ in Sanctis refulget, est eximia excellentia: ergo Sancti reverà digni sunt honore & veneratione.

Secundò, Sanctis licitè & honestè honos deferri potest. Hæc propositio ex præcedenti necessariò sequitur; sicut enim rectè vituperari potest, qui vituperio est dignus: sic colere licet eum, qui cultu recognoscitur dignus. Nec desunt in Scripturis exempla cultûs Sanctis deferti. Josue cap. 5. v. 14. cecidit pronus in terram coram Angelo, adorans eum. Apoc. 19. v. 10. & 22. v. 9. S. Joannes cecidit ad pedes Angeli, ut adoraret eum, id est, veneraretur; adoratio enim sumitur aliquando latiùs pro quâcunque honoris exhibitione, quo sensu legitur 3. Reg. cap. 1. Bethsabee adorasse Regem; & Abraham Genes. 23. adorasse populum terræ: aliquando strictiùs pro cultu supremo, qui latria dicitur, ut Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis.* Angelus quidem respuit honorem à

S. Joanne sibi delatum, non ut sacrilegum & illicitum; absit enim, ut suspicemur in eo peccasse aut errasse Evangelistam: sed pro suâ modestiâ & observantiâ in tantum virum, etsi naturâ minorem, dignitate tamen Apostolatûs, sanctitate & gloriâ martyrii sibi non parem, forte etiam majorem.

Veritatem his duabus propositionibus contentam non inficiantur nostri Novatores; sic enim scribit Molinæus : *Qu'ils honorent les Saints, & les proposent pour exemple, mais qu'ils ne les invoquent pas.* Et Rex Angliæ in suâ responsione ad Cardinalem Perroneum : *Sa Majesté venere les Martyrs & autres Saints regnans maintenant avec Jesus Christ, & ne doute point qu'ils ne prient pour les necessitez de l'Eglise ; & croit fermement que leurs prieres ne sont point inutiles.* Dallæus quoque in suâ Apologiâ : *Cette Rome même, dont nous nous plaignons, est pour la plûpart d'accord avec nous : car bien qu'elle rende de grands honneurs à diverses créatures : si est-ce qu'elle a toûjours connu qu'il y a une certaine espece de service qui ne doit, ni ne peut être rendu à autre qu'à Dieu ; c'est cequ'elle appelle communement l'adoration de latrie, pour la distinguer d'avec les autres qu'elle croit pouvoir déferer à ce qui n'est pas Dieu.* Vulgus ergo Calvinistarum desinat Catholicos insectari tanquam idololatras, propter cultum Sanctorum; nec eo prætextu schismate à nobis separentur. At, inquiunt, nimis effusus est ille cultus, Hoc superest expendendum. Itaque

Q. 1°. *Qualis cultus licitè potest exhiberi Sanctis?*

R. Talis, qui respondeat eorum excellentiæ, quæ est cultûs motivum & ratio : ergo diversus esse debet cultus & honor pro diversitate excellentiæ, ut observat sanctus Thomas 2. 2. qu. 104. ad 3.

Q. *Quotuplex distinguitur excellentia?*

R. Duplex, alia increata Dei propria quatenus est rerum omnium primum principium & supremus Dominus; juxta illud Malachiæ 1. *Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* nempe reverentialis. Alia creata & participata, quæ in creaturis inesse potest.

Excellentia creata duplex est. Alia exurgit ex donis naturalibus, putà, scientiâ, industriâ, potestate, quâ nonnulli in Republicâ præcellunt. Alia ex donis supernaturalibus efflorescit, v. g. ex gratiâ sanctificante quâ homines amici Dei, filii ejus adoptivi & heredes constituuntur. Et hæc rursus duplex est: alia communis est omnibus Sanctis, propter gratiam sanctificantem: alia singularis, & propria beatæ Virgini, propter dignitatem Matris Dei & affinitatem cum Verbo incarnato, quâ supra ceteras creaturas eminet.

Debetur excellentiæ increatæ latria; quæ est omnimoda servitus, ut dictum est: creatæ verò dulia, quæ est etiam aliqualis servitus, juxta illud Galat 5. *Per Charitatem Spiritûs servite invicem.* Et Rom. 12. *Honore invicem prævenientes.* De utroque cultu disertè sanctus Augustinus libro 20. capite 21. contra Faustum Manichæum. *Colimus Martyres*, inquit, *eo cultu charitatis & societatis, quo & in hâc vitâ coluntur sancti homines Dei .... at illo cultu, qui Græcè latria dicitur, Latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio sacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc idolis exhibent, nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam Martyri, vel cuiquam animæ san-*

ctæ, vel cuiquam Angelo: & quisquis in hunc errorem delabitur, corripitur per sanam doctrinam, sive ut corrigatur, sive ut caveatur. Quo autem cultu, quove fructu Martyres honorentur, eodem capite describit sanctus Doctor: *Populus Christianus,* inquit, *memorias Martyrum religiosâ solemnitate celebrat, & ad excitandam imitationem; ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituamus altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane?* Hactenus sanctus Augustinus demonstrans contra Manichæorum criminationes, nihil in cultu Sanctorum idololatriam sapere.

Idem præstat sanctus Doctor libro octavo de Civitate Dei capite 26. contra Paganos, qui similiter exprobrabant Catholicis quasi cultum Idolorum in cultum Martyrum convertissent. *Sed,* inquit, *hoc videtur dolere* (Trismegistus) *quòd memoriæ Martyrum nostrorum templis eorum delubrisque succederent, ut videlicet qui hæc legunt animo à nobis averso atque perverso, putent à Paganis deos cultos fuisse in templis, à nobis autem coli mortuos in sepulchris.* Et capite 27. *nec tamen nos eisdem Martyribus templa, sacerdotia, sacra & sacrificia constituimus..... Quis enim audivit aliquando Fidelium stantem Sacerdotem ad altare etiam super sanctum corpus Martyris ad Dei honorem cultumque constructum dicere in precibus: Offero tibi sacrificium, Petre, Paule, vel Cypriane?.... quæcumque igitur adhibentur Religiosorum obsequia in Martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam deorum. Quicunque etiam epulas suas eò deferunt..... sanctificari ibi eas, volunt per merita Martyrum in nomine Domini Martyrum* Et

libro vigesimo-secundo capite octavo refert Reliquias Sanctorum honorificè circungestari solitas, flores & vestimenta ex earum contactu virtutem hausisse; peregrinationes ad Sanctorum memorias fuisse susceptas, ibique plura miracula patrata. Ex quibus patet quâ fronte, quâve impudentiâ Novatorum Pseudoministri sectatorum suorum auribus ingerere audeant, Ecclesiam Catholicam posterioribus seculis à primævâ suâ integritate defecisse, & in apertam idololatriam circa cultum Sanctorum miserè fuisse prolapsam. Quid enim Ecclesia in honorem Sanctorum nunc frequentat, quod prioribus seculis non observaverit?

Enimverò Pseudoreformati Catholicis obiciunt Basilicas in honorem Sanctorum extructas, Fidelium votis ornatas & locupletatas, aras erectas, & in iis Reliquias Sanctorum conditas, & datâ occasione honorificè circungestatas; sacrificia oblata cum Sanctorum commemoratione & invocatione; dies festos institutos & religiosè celebratos, peregrinationes susceptas, quasi virtus divina sit alicui loco alligata. Atqui hæc omnia S. Augustinus in allatis textibus non solùm testatur fuisse in usu prioribus seculis, sed etiam tanquam sincera Christianæ pietatis officia laudat, vindicatque contra Gentilium & Manichæorum, ac consequenter Calvinistarum obtrectationes.

Quæ S. Augustinus in unum collegit, eadem passim referunt alii Patres ipso etiam antiquiores, Eusebius libro quarto de vitâ Constantini, Sancti Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus meminerunt Basilicæ in honorem Apostolorum à Constantino constructæ. De votis sic scribit idem Eusebius libro 13. capite 7 Præparationis Evangel. *Non veræ pietatis milites Dei amicos*

honorantes ad monumenta illorum accedimus, votaque illis tanquam viris sanctis facimus, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur. Theodoretus quoque libro octavo ad Græcos: *Piè,* inquit, *fideliterque precatos ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei persolvunt; nam alii oculorum, alii verò pedum, alii manuum simulacra appendunt ex argento auróve confecta.* Festa in honorem Martyrum instituta testatur Ecclesia Smyrnensis seculo secundo apud Eusebium libro quarto Histor. Origenes seculo tertio, homiliâ 3. in diversa Evangelii loca; Concilium Laodicenum Canone 51. de peregrinationibus religionis causâ. Hieronymus epistolâ 17. ait; *Longum est nunc ab Ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum .... venerunt Jerosolymam, putantes se minus religionis habere ...., nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primùm Evangelium de patibulo coruscaverat.* Et sanctus Chrysostomus homiliâ 16. in secundam ad Corinth. *Nemo est,* inquit, *qui peregrinationem unquam inire sustineat, ut Imperatorum aulas videat: contra multi Imperatores peregrè profecti sunt, ut hoc spectaculo fruerentur; sanctorum enim Martyrum templa futuri judicii vestigia & signa exhibent, dum dæmones flagris cæduntur, homines torquentur & liberantur.* Nec virtus Dei magis alligari censenda est cineribus Apostolorum Petri & Pauli & aliorum Sanctorum, quàm umbræ & semicinctiis eorum ad quæ Fideles recurrebant causâ sanitatis consequendæ, Act. 5. & 19.

Objiciunt primò Pseudoreformati: Illi reverà sunt idololatræ, qui creaturam religione colunt; solus enim Deus religione colitur: atqui Catholici Sanctos religione colunt: ergo Catholici reverà sunt idololatræ.

Respondeo

Respondeo 1°. Ecclesiam nunquam definiisse Sanctos esse religione colendos; sed meram esse Scholæ quæstionem, an cultus, qui eis exhibetur, pertineat ad religionem, an ad aliam virtutem; ac proinde Novatores eo capite schisma facere non debuerunt.

Respondeo 2°. distinguendo majorem. Illi sunt idololatræ qui creaturam colunt religione propriè dictâ, quâ religamur primo principio & ultimo fini, Concedo: religione impropriè dictâ quâ propter Deum honoramus res & personas sacras, v. g. Templa, Ministros Deo consecratos, viros sanctitate conspicuos, & ideo viva Christi membra, Nego majorem; nam ex capite primo Jacobi: *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est visitare pupillos & viduas.* Vide S. Augustinum lib. 10. de Civitate Dei, cap. 1. ubi hanc distinctionem fusè exponit.

Objiciunt 2°. Quatuor primis seculis Ecclesia non erigebat templa & aras Martyribus, nec in sacrificio eos invocabat, ex S. Augustino lib. 22. de Civitate Dei cap. 10. *Nos*, inquit, *Martyribus nostris non templa fabricamus, nec ibi erigimus altaria, in quibus Martyribus sacrificemus; nec ibi à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur.* Cùm ergo nunc Ecclesia Romana Sanctis ædificet templa, in quibus construit altaria, & eos in Sacrificio invocet, palàm est idololatriam corruisse, nec Fideles saluti posse consulere, nisi ab illâ recesserint.

Distinguo antecedens: non erigebat templa & aras Martyribus ut eis sacrificaret, & eos invocaret tanquam summum bonum, Concedo: invocare enim, ad mentem S. Augustini in Psalmos 30. 74. 85. & alibi passim, est Deum vocare in se: non erigebat templa & aras Mar-

tyribus in eorum memoriam ; Nego antecedens. Cùm ergo templum & ara ordinentur ad Sacrificium, quod soli Deo offerre licet, soli Deo ædificari possunt, nec alteri nunc ædificat, nec sacrificat Ecclesia. Sacerdos enim stans ad altare non dicit, *Offero tibi, Virgo Maria*, &c. sed, *Communicantes & memoriam venerantes imprimis gloriosæ semper Virginis Mariæ*, &c. *hanc* (igitur) *oblationem servitutis nostræ .... tibi offerimus pro his*, &c. Nec ideo precamur Sanctos, ut corda nostra possideant, sed ut apud Deum intercedant, quatenus dignum ejus habitaculum efficiamur, expulso omni terreno affectu. Vulgò tamen dicuntur templa, aræ, Missæ Sanctorum, quorum specialis fit commemoratio. *Sanctorum Martyrum templa*, inquiebat suprà S. Chrysostomus, *futuri Judicii vestigia & signa exhibent*. Sed propriè loquendo templa Dei sunt ; quia illi soli Sacrificium offertur. *Nos Martyribus nostris non templa sicut diis, sed memorias sicut hominibus mortuis ædificamus. Deo quippe, non ipsis sacrificat* (Sacerdos) *quamvis in memoriâ sacrificet eorum ; quia Dei Sacerdos est, non illorum*, Augustinus citato capite 10. lib. 22. de Civit.

Objiciunt 3°. Apostolus Rom. 1. reprehendit Gentiles, quòd creaturæ servirent potiùs, quàm Creatori : & 1. Cor. 7. monet Christianos, ne fiant servi hominum : atqui cultus, quem Ecclesia Romana exhibet Sanctis, est dulia, hoc est, vera servitus & soli Deo debita, ut advertit S. Augustinus libro secundo Quæstionum super Exodum, num. 94. ubi expendens quod in illo libro legitur cap. 23. *Si servieris diis eorum, erunt tibi in offendiculum*, notat in textu Græco pro verbo *servire*, haberi δουλεύειν, non λατρεύειν subditque ; *unde intel-*

ligitur, quia & dulia debetur Deo tanquam Domino; latria verò nonnisi tanquam Deo. Ergo cultus ille est omnino improbandus, & prorsus rejiciendus maximè cùm plerique ex Catholicis in eo creaturæ potiùs serviant, quàm Creatori, ad quem in precibus suis vix attendunt, sed sua vota ferè omnia ad Sanctos dirigunt.

Respondeo primò ad majorem, Gentiles fuisse duplici ex capite reprehensione dignos: 1°. quia creaturæ tanquam Creatori & ejus loco serviebant, nempe cultu latriæ: 2°. quia vel dæmones & homines in impietate defunctos, vel creaturas inanimes, ut solem & stellas colebant, in quibus etiamsi sit quædam excellentia, nostrum tamen non meretur cultum; quia, ut notat S. Thomas, homo non debet subjici dæmonibus, nec hominibus damnatis & à Deo rejectis, nec creaturis irrationalibus ad ejus usum conditis. Colimus quidem Imagines inanimatas, sed cultu relativo duntaxat, hoc est, non propter earum materiam, sed propter similitudinem, quam habent cum exemplari: unde non res ipsa, sed prototypus in imagine honoratur. Sed de imaginibus posteà Textus autem primæ ad Corinthios non est ad propositum; nam Apostolus eo loci solùm prohibet, ne Christiani liberi fiant mancipia Infidelium sine necessitate: præcipit verò his, qui ex conditione suâ sunt servi, ut serviant dominis suis. *Servi, obedite dominis carnalibus .... sicut Christo, non ad oculum servientes.* Eph. 6. v. 5. Col. 3. v. 22. Tit. 2. v. 9. & 1. Petri 2. v. 18. *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.* Unde

Respondeo secundò distinguendo minorem. Cultus, quem Ecclesia Romana exhibet Sanctis,

est dulia seu servitus aliqua, Concedo; omnimoda & soli Deo debita, Nego minorem. Itaque velint nolint adversarii, est aliqua servitus creaturæ debita; nam famuli & subditi servire debent dominis suis, ex mox laudatis Scripturæ textibus; *Homo namque*, ait S. Thomas 2. 2. qu. 103. art 3. *participat quamdam similitudinem divini domnii, secundùm quòd habet particularem potestatem super aliquem hominem. Et ideò dulia, quæ debitam servitutem exhibet homini dominanti, alia virtus est à latriâ.* Porrò dulia propriè dicitur inferioris ad superiorem; latè verò cujuslibet etiam superioris ad quemlibet observantiâ dignum, propter excellentiam, quæ in eo est; & hoc posteriori modo cultus Sanctorum dicitur dulia. Cùm autem ex dictis diversa sit excellentia: alia incommunicabilis, qualis est excellentia Creatoris, propter quam cultus latriæ statuitur à S. Augustino ita Creatoris proprius, ut nulli creaturæ communicari possit sine idololatriâ: alia communicabilis, qualis est excellentia dominii, quam superiores participant, ita tamen ut sit suprema & plenaria in Deo: hinc idem S. Doctor vult duliam deberi Deo tanquam Domino. Sed quemadmodum alia dulia in humanis debetur Regi: alia ejus Ministro; quia non eadem est in utroque excellentia & potestas: sic dulia, quæ exhibetur Domino increato, & omnipotenti, differt à duliâ, quæ Ministris ejus competit: Illa est omnimoda, hæc admodum limitata, sicut & eorum excellentia, quæ est honoris & cultûs motivum ac mensura. Quare si excellentia refulgeat ex naturalibus Dei donis, qualis est potestas dominorum temporalium, debetur ei cultus civilis, & quidem distinctus secundùm distinctos potestatis gradus: *Regi tanquam præ-*

cellenti, inquit S. Petrus epist. 1. cap. 2. *ducibus tanquam ab eo missis.* Si ex donis supernaturalibus & eminentioribus, qualis est sanctitas, respondet cultus religiosus, (ex sancto Augustino, citato libro vigesimo contra Faustum,) & longè perfectior, ut docet Sanctus Gregorius Nyssenus oratione in Sanctum Theodorum: *Cui Regum*, inquit, *talis honos exhibetur? Quis ex his, qui supra modum inter homines excellere visi sunt, tali memoriâ celebratur?* Quòd si qui ex rudioribus creaturæ in his serviant potiùs quàm Creatori, ut contendunt adversarii, tales ab Ecclesiâ corriguntur, ubi ei innotuerint, nedum ab illâ approbentur: nam ex Sancto Hieronymo epist. ad Riperium, *honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum.* Imò cultus, quem Ecclesia exhibet sanctis, continua est laus Dei & gratiarum actio pro beneficiis illis collatis per Jesum Christum Dominum nostrum, ut videre est in Officio Sanctorum.

Licèt autem Sanctorum honos ad Deum referatur, attamen non proficiscitur ex eâdem virtute, quâ Deus colitur; quia, ut jam dictum est, diverso nititur motivo, nempe eorum excellentiâ, quæ infinitè distat ab excellentiâ increatâ, propter quam Deus colitur.

Nec dicas Deum & proximum eâdem charitatis virtute diligi; nam idem est in Deo & proximo diligendi motivum, scilicet, infinita bonitas, quæ Deo inest, & cujus communicationem optamus proximo. Cùm ergo infinita Dei bonitas, propter quam illum diligimus, sit ratio tota, cur proximum charitate diligamus; sequitur eamdem specie charitatem ad Deum & proximum se extendere, quemad-

modum eâdem fidei virtute credimus Deum & omnia mysteria; quia in his nitimur uno motivo, nimirum veracitate Dei revelantis.

Quòd si proximum diligeremus propter dotes & virtutes ipsi proprias; putà, propter scientiam, beneficentiam, morum suavitatem, tunc diversus esset specie amor; quia diversa esset amandi ratio, sicut & diversus honos, qui ipsi impenderetur propter hujusmodi excellentias: verùm amor ille non esset charitatis, sed alterius virtutis moralis. Unde patet proximum rariùs charitate diligi; cùm plerique non divinâ bonitate, sed aliis rationibus ad illum diligendum moveantur. Sed de charitate posteà, tom. 3.

Objiciunt 4°. Ecclesia Romana cultum Sanctorum cum divino prorsus confundit, sacrificia in eorum honorem peragit, thymiamata ipsis incendit, templa sic fulgent eorum stemmatibus, statuis, & luminibus coram eis accensis, ut non Deo, sed homini defuncto constructa videantur: atqui priusquam ejusmodi honores Sanctis concedantur, præcedere debet canonizatio, ut vocant, quæ speciem habet apotheosis Gentilium: ergo, inquiunt, justo & prudenti zelo hujusmodi cultum proscripsimus, ducti exemplo Ezechiæ religiosissimi Principis, qui 4. Reg. c. 18. confregit serpentem æneum, licèt jussu Dei erectum; quia filii Israël ipsi adolebant incensum.

Nego antecedens: nam honos generatim ex tribus actionibus efflorescit. Prima est intellectûs, qui apprehendit exellentiam personæ. Secunda voluntatis, quæ se demittit & subjicit. Tertia corporis, putà laudes, capitis detectio aut inclinatio, munerum exhibitio, quibus exprimitur interior animi sensus & affectus.

Prima actio per se cultum non constituit; dæmones enim cognoscunt Deum, nec eum colunt; requiritur tamen tanquam aliquid prævium ad honorem: quomodo enim prudenter eum coles, quem nescis honore dignum? Sine tertiâ etiam honos absolutè consistere potest; nam Spiritus incorporei in cœlo Deum adorant supremo latriæ cultu sine ullis signis corporeis, quæ necessaria sunt duntaxat, ut exteriùs testemur quod mente gerimus. Superest ergo ut collocetur honos in secundâ actione, id est, in voluntatis demissione & subjectione, ac proinde verus honos sine amore stare nequit. *Pietas*, inquit sanctus Augustinus in Psal. 77. *cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando; hoc enim colitur, quod amatur. Unde quia Deus rebus omnibus major & melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur.*

Jam verò si à genere descendamus ad speciem honoris, quæ sunt latria & dulia, statim elucebit eas infinito intervallo à se invicem distare, planèque distingui in Ecclesiâ Romanâ. Namque in cultu latriæ primò mens concipit Deum ut rerum omnium atque adeo Sanctorum primum principium, supremum Dominum & ultimum finem: ac eo titulo voluntas secundo loco se suaque omnia ei totaliter subjicit & devovet: in quo actu supremus cultûs, qui à S. Augustino dicitur interius cordis sacrificium, essentialiter consistit. Tertiò corpus hujusce intimi sensûs profert signa exteriora, erumpit in laudes infinitæ Dei excellentiæ & majestatis, templa & aras illi extruit, & Sacrificia offert, quæ sunt determinata latriæ signa. Adhibet etiam prostrationes, thymiamata, lumina, &c. quæ licèt per se signa sint latriæ & duliæ communia, cùm promiscuè

uſurpentur ad teſtandam reverentiam tum erga Principes, tum erga res ſacras; determinantur tamen ad latriam per prædictos actus mentis & voluntatis.

Quantùm autem à latriâ diſtet Sanctorum cultus, patet expendenti actiones, ex quibus integratur ille honos. Namque 1°. intellectus Sanctos repræſentat, non ut rerum auctores, ſed ut Dei ſervos præſtantioribus ejus donis cumulatos, & eò feliciores quò firmiùs ei adhærent & perfectiùs famulantur. Hinc 2°. voluntas eo motivo motâ & determinata ſe demittit, eiſque propter Deum quodammodo ſe ſubjicit Chriſtianâ charitate; 3°. denique, corpus hujuſce reverentiæ ſic limitatæ dat ſigna, non ad latriam determinata, quale eſt Sacrificium, abſit, ſed quæ ſunt omni honori, etiam civili, communia, ut genuflexiones, incenſum, lumina, ſtatuæ & picturæ, quæ ad Sanctorum imitationem provocant, ſicut & laudes eorum meritis reſpondentes. Quid in iis idololatriam ſapit? nonne iiſdem ſignis teſtamur noſtram reverentiam erga eos qui in Republicâ dignitate præcellunt.

Adverſarii ergo temerè nituntur exemplo Ezechiæ ad abolendum cultum Sanctorum; ideo enim religioſiſſimus Princeps ſerpentem æneum confregit; quia filii Iſraël divinos honores illi deferebant. At proferre non poſſunt vel unum è Catholicis, nequidem rudiores excipio, quid latriæ cultum mox deſcriptum ad Sanctos transferat.

Eccleſia quidem Romana ſacrificia offert Deo in honorem Sanctorum, quatenus ſunt gratiarum actiones ob beneficia eis collata. Aliquando etiam compellat beatam Virginem, ut Matrem miſericordiæ, vitam, ſpem noſtram, ſed

eo sensu, ut jam pridem explicuit Guillelmus Parisiensis, quo crucem, quin & amicum, qui solus nostri curam gerit, spem nostram unicam dicimur, nempe quia salus & vita à Christo per crucem & Beatam Virginem suo modo promanant.

Cùm periculum sit, ne plebs falsâ pietatis specie delusa hypocritas & fanaticos tanquam viros sanctos colat, Ecclesia semper cavit, ut ex S. Cypriano discimus, ne quis publicè pro sancto haberetur, nisi præivisset ejus examen & judicium. Ab undecimo quidem seculo majori solemnitate id præstat, cùm priùs hoc ipso quis declararetur Sanctus, quo ejus reliquiæ in altari recondebantur. Sed in illo ritu, quem Canonizationem vocant, nulla est honoris testificatio quæ in aliis Sanctorum solemnitatibus à primis seculis usurpata non fuerit. Frustra dicunt adversarii apotheoseos similitudinem referre; nam in apotheosi heroës Gentilium inter Deos numerabantur, eisque divini honores decernebantur: in Canonizatione verò sancti declarantur fideles Dei famuli, & eo titulo veneratione digni. Quemquam si in verâ religione vitandum sit quidquid erat in usu apud Gentiles, nec Sacerdotes, nec templa, nec Sacrificia, nec Sacramenta habere licet; hæc enim extabant apud Gentiles.

Denique si quis abusus in cultu Sanctorum irrepserint, sicut in aliis divinis institutis contingere potest instigante dæmone, eos prorsus aboleri cupit Ecclesia, ut testantur Tridentini Patres sess. 25. *Tantaque circa hæc diligentia*, inquiunt, *& cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præposterè & tumultuariè accommodatum, nihil profanum nihilque inhonestum appareat, cùm domum Dei deceat sanctitudo.*

Nec dicant adversarii tollendum esse quidquid potest esse abusûs occasio; nihil enim tam sanctum, quo non abutantur perditi homines. Prohibenda esset Dominicæ diei requies, quæ est plurimorum criminum occasio: abolenda Dominica cœna, quia multi indignè ad eam accedunt: revocandæ essent leges, ut cessaret prævaricatio.

CAPUT III.

An, & quomodo Sancti sunt invocandi?

MOnemus iterum invocationem dupliciter sumi: primò latè, pro quâlibet oratione: secundò strictè, pro desiderio boni quo frui quis exoptat. Invocatio priori modo sumpta dirigitur ad eum, qui potest vel largiri exoptatum bonum, vel illud ab alio suâ intercessione nobis obtinere: posteriori verò modo accepta tendit ad ipsum bonum expetitum. *Quid enim est invocare*, inquit S. Augustinus in Psal. 52. *nisi vocare in se? Qui ergo invocat Deum, ut dives fiat, Deum non invocat: hoc invocat quod vult ad se venire. Nam cùm dicitur: Deus, da mihi divitias, non vis ut ipse Deus veniat ad te, sed vis ut divitiæ veniant ad te.* in Psal. 85. *Invocas quidquid amas, invocas quidquid in te vocas. Porrò si Deum propterea invocas, ut veniat ad te pecunia, Deum tibi adjutorem ponis cupiditatum.* & in Psal. 55. *Quidam Dominum sibi invocare videbantur, & petebant eum de hereditatibus, de ceteris bonis temporalibus. Et quid de illis Scriptura dicit; Deum non invocaverunt.* De invocatione hoc posteriori modo sumptâ nulla potest esse quæstio; cùm certum sit apud omnes Deum solum esse sum-

mum bonum, quo frui liceat; ac proinde ipsum solum sic esse invocandum: quo sensu scribit sanctus Augustinus lib. 22. de civitate Dei capite 10. *nec ibi à sacerdote, qui sacrificat, invocantur Martyres.* Non invocantur, ait, sed rogantur, ut ipse explicat tractatu 84. in Joan. *Ideo quippe ad ipsam mensam, non sic eos* (Martyres) *commemoramus quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis orent.* & in Psal. 85. *Omnes Martyres, qui cum illo* (Christo) *sunt, interpellant pro nobis, non transeunt interpellationes eorum, nisi transeat gemitus noster.*

Quæritur ergo duntaxat an & quomodo orandi sint Sancti?

R. Primò, invocatio Sanctorum necessaria non est, sive necessitate medii, sive necessitate præcepti Divini aut Ecclesiastici, saltem quoad omnes.

Prima pars probatur, tum ex dictis capite primo contra Gnosticos, qui definiebant Angelos esse administratores universi, & nonnisi per eos accessum patere ad Deum: tum ex Sanctis Patribus, qui passim docent, ad Deum promerendum suffragatore non opus esse, sed purâ mente; quemadmodum ad Regem terrenum nonnisi per tribunos acceditur. Ita Auctor commentariorum in epistolam ad Romanos apud S. Ambrosium; & S. Chrysostomus hom. de profectu Evangelii.

Secunda pars, quæ est de necessitate præcepti, probatur; quia neque in Scripturâ, neque in Traditione extat ullum præceptum invocandi Sanctos, nec aliud à fidelibus exigit Concilium Tridentinum, quàm ut credant *Sanctos unà cum Christo regnantes orationes suas pro*

hominibus Deo offerre ; bonum atque utile esse supplicitet eos invocare, sess. 25.

Dixi : *saltem quoad omnes* ; propter eos, qui ad Horas Canonicas tenentur, in quibus invocantur Sancti ; rarò tamen : nam in hujusmodi publicis precibus, orationes, quæ collectæ dicuntur, semper ad Deum diriguntur, & ceteræ officii partes continent vel laudes Dei, vel Sanctorum historias. Nedum ergo cultus, quem Ecclesia Romana tribuit Sanctis, mentes à Deo avocet ; quin contra in illum erigat atque inflammet.

Controvertitur itaque solùm Catholicos inter & Novatores ; utrùm liceat invocare Sanctos. Heterodoxi contendunt hujusmodi invocationem pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei, & hominum Jesu-Christi, & omnino esse superstitiosam. Contra hunc errorem, ad propositam quæstionem,

R. Secundò honestum & utile est Sanctos in cœlis regnantes invocare. Ita definiit Concilium Tridentinum sessione 25.

Probatur 1°. ex Scripturâ Gen. 48. Jacob Angelum invocat super filiis Joseph. *Angelus*, inquit, *qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum.* Job. 5. Eliphas ex vulgatâ sententiâ sic Jobum alloquitur : *Voca ergo, si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum converte.*

Respondent adversarii, ibi sermonem esse de Angelis, qui ad nos mittuntur & curam nostri gerunt, ac proinde preces nostras percipere possunt. At homines *mortui nihil ampliùs noverunt*. Eccles. 9. *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobi-*

les, *non intelliget* homo mortuus, Job. 14. Ergo vanum est & superstitiosum mortuos invocare.

Contra 1°. fateantur saltem adversarii, sine injuriâ Mediatoris, & sine superstitione Angelos posse invocari: quod tamen negant contra expressissimum Scripturæ testimonium. 2°. Angeli non sunt semper unicuique præsentes: Etsi adsint, secreta cordium ac proinde vota & orationes Fidelium ipsis naturaliter non patent; & tamen perhibentur, Tob. 12. v. 12. & Apoc. 8. v. 3. orationes Sanctorum ad Deum deferre. Si ergo Deus Angelis, quæ remota sunt, revelat; & quæ secreta, referat quidni & Beatis? Et ita docent sanctus Hieronymus contra Vigilantium, sanctus Gregorius lib. 2. Moral. cap. 13. sanctus Augustinus lib. de curâ pro mortuis, & l. 22. de Civitate Dei: Nam in æterna beatitudine *patebunt*, inquit, *cogitationes nostræ invicem nobis; tunc enim implebitur quod Apostolus ait*: *Nolite ante tempus judicare donec veniat Dominus, illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cordis*. Mortui itaque infinita naturæ vi non cognoscunt quæ nos circumstant: sed Deus Sanctis cum Christo regnantibus (de iis enim solis sermo est) illa patefacit. Quanquam ex Scripturis demonstrari possit Sanctos qui sub priori testamento post mortem in cœlum non recipiebantur, à Deo didicisse, quæ fiebant in Terris. Nam 2. Paralip. 21. v. 12. Elias post discessum corripuit Joram Regem Juda, datis ad eum litteris; 2. Machab. 15. Jeremias & Onias orant pro Judæis persecutionem patientibus; Luc. 16. Abraham audivit gemitus divitis epulonis. Pro animabus verò in purgatorio detentis orationes fundimus, ex sancto Augustino capite præcedenti laudato: sed non legimus quemquam illas

invocasse. 3°. Etiam daremus Beatos non audire preces nostras; hâc enim de re nihil definiit Ecclesia: attamen nec frustraneæ, nec superstitiosæ essent, ut probat Hugo Victorinus; quia satis est quod audiantur à Deo, apud quem sterilia esse non possunt mutuæ unionis & charitatis officia, quibus & nos in terris militantes Beatis gratulamur, supplicamusque; & hi vicissim pro nobis solliciti intercedunt. Namque *si Apostoli & Martyres*, inquit sanctus Hieronymus contra Vigilantium, *adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando adhuc pro se debent esse solliciti, quantò magis post coronas, victorias & triumphos?* & ante eum Origenes homiliâ 31. in Num. *Quis dubitat, quòd Sancti quique orationibus nos juvent?* Ne quidem ipsi adversarii, saltem omnes, ut constat ex cap. præced. in dubium id revocare audent; cùm expressè S. Petrus scribat epist. 2. cap. 1. *Dabo operam & frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis.*

Probatur 2°. ex Patribus. Origenes in Lamento: *Incipiam*, inquit, *me genibus posternere, & deprecari universos ut mihi non audenti petere Deum, propter nimietatem peccati, succurrant.* Capite præcedenti luculentum locum protulimus ex Eusebio Cæsariensi, pag. 263. Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus Cat. 5. *Cùm hoc sacrificium offerimus, facimus mentionem eorum, qui ante nos obdormierunt, ut Deus orationibus illorum suscipiat preces nostras.* S. Hieronymus totus est in hoc argumento contra Vigilantium. S. Ambrosius lib. de Viduis: *Obsecrandi sunt Angeli qui nobis in præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi*, &c. S. Basilius hom. de 40. Martyribus: *Qui aliquâ premitur angustiâ, ad nos confugiat: qui rursus lætatur, hos oret.* S. Augustinus tract. 84.

in Joan. *Ideo quippe ad ipsam mensam non sic eos* (Martyres) *commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus, sed magis ut ipsi pro nobis orent.* Si ergo Beati invocari non possunt sine injuriâ Mediatoris, & sine idololatriâ Ecclesia Christiana nunquam fuit vera Ecclesia, cùm ex tot Episcoporum testimonio, Sanctos à primis sæculis palàm & publicè invocaverit.

Probatur 3°. ratione. Honestum & utile est recurrere ad preces Justorum, qui in terris versantur: hoc mutuæ charitatis officium acceptum est Deo, & gratiam Capitis nostri commendat, nedum destruat. *Obsecro vos*, inquit Apostolus Rom. 15. *ut adjuvetis me in orationibus vestris ad Deum.* Jac. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* Jobi cap. ult. Deus amicos Jobi ad ejus preces confugere jubet, ut peccati veniam consequantur. Unde Theodoretus c. 16. Hist. scribit: *Sanctorum deprecatio est commune morborum remedium.* & Ruffinus præfat. in Vitas Patrum, *Quis dubitet mundum precibus stare Sanctorum?* Ipsimet adversarii fratrum suorum suffragia ambiunt, nec propterea existimant se in creaturâ fiduciam ponere, aut Mediatorem injuriâ afficere: ergo à fortiori bonum & utile est invocare Beatos, quorum oratio multis capitibus longè ad impetrandum efficacior est: 1°. quia post mortem omni peccati labe detersâ, & cupiditate, prorsus eradicatâ, majori fervent charitate, toti in Deum, qui charitas est, immutati; 2°. quia divini consilii jam conscii, ea duntaxat petunt, quæ nobis sunt utilia, & quæ Deus vult concedere per Christum Dominum nostrum; 3°. quia, cùm propter Evangelium hîc fuerint exosi, abjecti & depressi, Christus

vult eos post mortem honorari, & in mundo celebres fieri propter virtutes, quas per ipsos, quin & per illorum cineres operatur, ut constat ex dictis capite præcedenti. Frustra igitur garriunt Novatores, Sanctos plenam in seipsis laborum mercedem percipere: nec fingendum partem aliquam ad nos derivari, maximè cùm solis Christi meritis nitamur. Namque pertinet ad accidentalem Sanctorum gloriam, ut ubi dejecti sunt propter Christum, ibi per Christum exaltentur, & quidem in laudem gratiæ ejus, quæ & Sanctos ad intercedendum movet, & nobis eorum intercessionibus applicatur.

Ex his patet responsio ad alteram quæstionis partem, quomodo Sancti sunt invocandi. Nempe invocandi sunt tum ut Dei amici, quos honorari vult, & idcirco beneficia illorum patrocinio largiri: tum ut præcipua Christi Capitis nostri membra, quæ per communicationem & motionem ejus Spiritûs nos commiserantur. Absit enim ut credamus ullum è Sanctis vel Beatam Virginem, Deo esse erga nos propensiorem: posse aut velle quidquam contra ejus voluntatem: nec Christi merita operari, cùm pro nobis intercedit. Si quis autem Catholicorum sic sentire reperiatur, per Pastores corrigendus est; quia, ut scribit sanctus Augustinus in Psal. 108. *Oratio quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccata, sed etiam ipsa fit in peccatum.* & sanctus Chrysostomus: *Nullum sit medium inter nos & Christum; quòd si medium aliquod intercesserit, protinus perimus. Hic est unus verusque Mediator noster & Advocatus, pro quo nullus interpellat* (ait Augustinus lib. 2. contra Parmenianum) *sed ipse pro omnibus, aliquando quidem per membra corporis sui, quæ pro se invicem sollicita sunt.*

Ut itaque accepta sit oratio sive Sanctorum pro nobis, sive nostra pro invicem, fiat necesse est Spiritu Christi & Deo inspirante: ac proinde Sancti precibus suis non flectunt Dei voluntatem, quemadmodum suffragator animum hominis irati immutat: sed exequuntur duntaxat quæ Deus ad preces eorum facere decrevit, ut docet sanctus Augustinus in illud Psalmi 105. *Si non Moyses electus ejus stetisset in confractione. Non ita dixi stetisse in confractione*, inquit, *quasi ut frangeret iram Dei: sed in confractione, id est, in plagâ quâ illi erant ferendi, nisi objecisset seipsum pro eis: ubi demonstratum est, intercessio Sanctorum quantùm pro aliis valeat.* Et sanctus Gregorius lib. 9. Moral. cap. 9. ut conciliet hunc Jobi textum, c. 9. *Deus, cujus iræ nemo resistere potest*, cum alio textu Exodi 32. *Dimitte me ut irascatur furor meus*; sic scribit: *Quid est servo dicere, Dimitte me, nisi deprecandi ausum præbere? Omnes enim Sancti, qui iræ Dei obviant, ab ipso accipiunt, ut contra impetum percussionis ejus opponantur; atque, ut ita dixerim, cum ipso erigunt se contra ipsum, eosque divina vis sibi opponit secum. Portat ergo contradictionem deprecantium, quam aspirat, & vult, nolenti opponitur quod ab ipso, ut fiat, imperatur... Iræ Dei igitur & resisti valet, quando ipse, qui irascitur, opitulatur: & resisti omnino non valet quando se & ad ulciscendum excitat, & ipse precem, quæ ei funditur, non aspirat.*

Nonnulla objiciunt Novatores. 1°. Christus præscribens orandi modum, Matth. 6. nihil de invocatione Sanctorum tradidit. 2°. Apostolus Rom. 10. ait: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* quibus verbis explosit invocationem Sanctorum, cùm in ipsos credere non liceat. Sanctus Chrysostomus in caput secun-

dum ad Coloss. *Neque enim tam facilè Deus annuit, cùm alii prò nobis orant, ut cùm ipsimet orāmus, etiamsi plurimis malis plenissimi.* Ergo frustra & contra Dei verbum Sancti invocantur: Certè qui hanc conclusionem tam insulsam, tamque absurdam eliciunt, victos se demonstrant. Namque 1°. ex Oratione Dominicâ æquè liceret concludere, neque Christum invocandum, neque suffragia viventium exposcenda, quia in hâc orandi formulâ Christus nihil tradidit de hujusmodi invocationibus. Quid ita? quia exposuit duntaxat quæ essent petenda, non verò quomodò peti deberent; 2°. Apostolus agit de infidelibus qui, cùm de Christo nihil audierint, non possunt illum invocare ad salutem. Sed quid ad rem præsentem? 3°. Sanctus Chrysostomus reprehendit peccatores, qui minimè de suâ salute solliciti, Sanctorum precibus innituntur: quare non ipsam Sanctorum invocationem perstringit, sed abusum eorum, qui in patrocinio Sanctorum requiescunt, ut liberiùs suis cupiditatibus indulgeant. Nobis præsertim opponunt verba Apostoli Col. 2. Concilii Laodiceni, & Theodoreti: sed ea exposuimus initio capitis primi.

Caput IV.

An & quomodò Sanctorum Reliquiæ sunt venerandæ.

R. Primò, dogma catholicum est, Sanctorum reliquias esse venerandas. Ita Concilium Tridentinum definit sess. 25. his verbis: *Affirmantes Sanctorum reliquiis venerationem*

atque honorem non deberi ; vel eas aliaque sacra monumenta à Fidelibus inutiliter honorari ; atque eorum opis impetrandæ causâ Sanctorum memorias frustra frequentari , omnino damnandos esse , prout jam pridem eos damnavit , & nunc etiam damnat Ecclesia.

Probatur hæc definitio primò ex Scripturâ, in quâ Reliquiarum honos commendatur crebris etiam miraculis Moyses Exod. 13. v. 18. ossa Joseph honorificè transtulit, dicunturque prophetasse, Eccli. 49. v. 19. Aquæ Jordanis pallium Eliæ reverentes dividuntur, 4. Reg. cap. 2. v. 8. Mortuus suscitatur contactu cadaveris Elisæi, 4. Regum cap. 13. v. 2. Multi sanantur per sudaria & semicinctia Apostoli, Act. 19. v. 11.

Probatur 2°. ex constanti Ecclesiæ traditione, cujus tres locupletissimos testes ex benemultis proferimus. Sanctus Chrysostomus homil. 16. in secundam ad Corinthios sic scribit : *Sepulchra servorum Crucifixi Regis aulis splendidiora sunt ..... accedentium studio. Nam & is , qui purpurâ indutus est , ad illa sepulchra se confert , ut ea amplectatur ; Abjectoque fastu supplex stans Sanctos deprecatur. Atque id non Romæ solùm fieri quispiam viderit , sed etiam Constantinopoli. Nam & hic quoque Constantinum Magnum filius ingenti honore se affecturum existimavit , si eum in piscatoris vestibulo deponeret. Quodque sunt Imperatoribus in palatiis janitores id in tumulo piscatoribus sunt Imperatores.* Tum describit virtutes plurimas, quas Deus per Sanctorum Reliquias operatur. Sanctus Hieronymus sic Vigilantium sacratum Reliquiarum contemptorem insectatur libro adversùs illum Hæreticum. *Malè facit ergo Romanus Episcopus , qui super mortuorum hominum Petri & Pauli secundùm nos ossa veneranda , secundùm te vilem pulvisculum , offert Domino sacrificia , & tu-*

mulos eorum Christi arbitratur altaria! Et non solùm unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi (nota morem universalis Ecclesiæ seculo quarto) *qui coponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum, in quibus pulvis vilissimus, & favilla nescio quæ jacet linteamine convoluta; ut polluta omnia polluat* (nempe secundùm errorem Vigilantii.) *O portentum in terras ultimas deportandum!* Si sanctus Doctor contra Vigilantium sic invehitur, an non potiori jure in Calvinum & sectatores ejus excandesceret, qui post fidem moribus totius orbis per duodecim secula ab ætate sancti Hieronymi confirmatam, eâ inhumanitate in Sanctorum tumulos & cineres debacchati sunt, quam ipsi etiam Barbari exhorrerent. Tertius testis ejusdem Traditionis adducitur sanctus Augustinus lib. 20. contra Faustum, & lib. 8. & 22. de Civit. Dei capite secundo citatis, pag. 261. 262. & 263.

Quod autem hæc Traditio ab Apostolis emanet, probatur ex hâc sancti Augustini regulâ lib. 4. contra Donat. cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Atqui honos sacris Reliquiis semper est delatus, etiam ante omnis Concilii celebrationem. Namque ex Eusebio lib. 7. Hist. cap. 19. Cathedra sancti Jacobi Apostoli & Episcopi Jerosolymitani à Christianis religiosè servata est usque ad illud tempus quo suam historiam scribebat. Ossa sancti Ignatii, Apostolorum coævi, Româ Antiochiam honorificè sunt deportata, & in capsâ reposita sicut thesaurus inappretiabilis, inquiunt acta ab ejus discipulis conscripta. Idipsum testatur epistola Ecclesiæ Smyrnensis de

ossibus sancti Polycarpi, sancti Joannis Evangelistæ discipuli, apud Eusebium lib. 4. Hist. cap. 15. *Nos, inquit, postmodum ossa combusta pretiosissimis gemmis chariora, ubi decebat, condidimus: quo etiam in loco, præstante Domino, solemnes agemus celebresque conventus, maximè quidem in die Passionis ejus.*

Obiciunt 1°. Heterodoxi: Matth. 23. Judæi à Christo Domino culpantur, quòd Prophetarum monumenta adornarent. Ergo.

Nego antecedens: nam prætersquam quod nullus ex Antiquioribus hunc locum sic interpretatus est, legendi patet Christum non arguere sepulchrorum constructionem, sed Judæorum impietatem, quâ ab initio persecuti sunt Prophetas: patres eos occiderunt, filii fingunt se detestari hanc impietatem, extruentes honorifica monumenta; cùm ipsi interim insectentur Prophetas, qui eos corripiunt, & ita per generationes singulas usque ad Joannem-Baptistam & ipsummet Messiam, quos crudeliter enecarunt. Nonne etiamnunc Concionatores idem argumentum contra peccatores contorquent; eos, qui olim ab impiis persecutionem passi sunt, laudant & colunt ut Sanctos, & ipsi non advertunt se similiter calumniari viros pios, qui à nepotibus suis beati & sancti celebrabuntur?

Objiciunt 2°. Honor non tribuitur nisi propter excellentiam: atqui nulla est excellentia in ossibus & cineribus mortuorum. Ergo.

Distinguo minorem. Nulla est excellentia absoluta, Concedo: relativa, Nego minorem. Itaque nec Sanctorum ossa, nec vestimenta propter se præcisè veneramur, sed propter Sanctos, quibus suo modo inservierunt. Unde patet responsio ad alteram quæstionis partem,

quomodo Reliquiæ Sanctorum sunt honorandæ. Itaque

R. 2°. Sanctorum Reliquiæ non sunt honorandæ cultu absoluto, sed relativo duntaxat.

Prima pars probatur, tum quia in Reliquiis nulla est excellentia absoluta: tum quia ex dictis creatura rationalis non debet charitate subjici rebus inanimatis.

Secunda pars sequitur ex primâ, nempe in Reliquiis non est excellentia absoluta, sed relativa tantùm, quatenus habent relationem moralem ad Sanctos moraliterque ad illos suo modo pertinent : ergo debetur illis veneratio duntaxat relativa, hoc est, quæ sic ad illas terminetur, ut non illis sistat, sed ad Sanctos transeat : quemadmodum propter Regem honorantur Ministri ejus.

Ex his duo colliges. Primum, Reliquias plus vel minùs honorandas, secundùm majorem vel minorem excellentiam personæ, quam respiciunt : v. g. plus honoris deferendum Cruci, in quâ passus est Christus Dominus, quàm cruci, cui affixus est sanctus Petrus. Secundum, cultum Reliquiarum inferiorem esse cultu Sanctorum, quos illæ respiciunt ; quia excellentia illa relativa, quæ Reliquiis competit, longè distat ab excellentiâ absolutâ, quæ in Sanctis effulget, ut patet exemplo Ministrorum Regis, qui, cùm in se non contineant totam excellentiam & majestatem regiam, non eodem honore, quo Rex ipse, afficiuntur Unde concludimus contra nonnullos Theologos, Crucem, sive veram, sive pictam non esse colendam cultu supremo.

Quod de Reliquiis diximus, idem dicendum de Imaginibus, nimirum illas non debere honorari cultu absoluto, nec eodem, quo earum prototypa.

CAPUT V.

Utrùm Crux Domini sit honoranda?

RESPONDEO: Crux, sive vera, in quâ passus est Dominus, sive picta & sculpta, sive manuum agitatione expressa, colenda est cultu relativo, juxta mox dicta capite præcedenti. Tres responsionis sunt partes.

Prima, quæ est de verâ Cruce, probatur auctoritate & usu universalis Ecclesiæ, quæ ab anno 326. quo diligentiâ Helenæ Constantini matris Crux inventa est, Deo conatum piissimæ Reginæ adjuvante non sine miraculis, hoc salutis nostræ instrumentum singulari honore ubique prosecuta est. Rem, prout gesta est, narrant Scriptores seculi quarti. Sanctus Cyrillus Jerosolymitanus, qui potuit esse hujusce celebris invocationis testis oculatus, in epistolâ ad Constantinum Imperatorem, & Catech. 4. & 43. refert Christianos ex omnibus mundi partibus ad adorandam Crucem Jerosolymam confluere solitos & cùm erogatis in singulos hujus pretiosi ligni partibus plenus esset orbis, lignum tamen ipsum integrum semper perstitisse. Sanctus Ambrosius in Oratione Theodosii Magni addit, Helenam crucem in capite Regum levasse, ut Crux Christi in Regibus adoraretur. Sanctus Paulinus epistolâ 11. ad Severum Sulpicium, in quâ testatur Ecclesiam instituisse festum in memoriam Crucis per Helenam mirabiliter inventæ. Idem Severus Sulpicius lib. 2. sacræ Historiæ; Ruffinus lib 1. Historiæ; Theodoretus lib. Hist. cap. 18. Socrates lib. 1. cap. 13. & Sozomenus libro 2. ca-

pite 1. Unde subit mirari Novatorum frontem, qui hanc historiam ut meram fabulam explodunt; tum quia Eusebius Helenæ gesta recensens lib. 3. de vitâ Constantini, hujusce rei non meminit: tum quia Scriptores, qui eam referunt, secum invicem non concordant. Sed præterquam quod Eusebius id commemorat in Chronico, quid potest silentium unius contra omnium testimonium? illud quidem variat in levibus circunstantiis, sed in rei summâ constantissimum est.

Objiciunt 1°. Indecorum est & omnino probrosum, si filius honoret patibulum, in quo pater interiit.

Respondeo hanc esse Gentilium & Judæorum impietatem, quibus Crux Christi, ut erat nocentis patibulum, sic & scandalum & stultitia: ipsis autem vocatis Judæis & Gentilibus, Dei virtus, 1. Corinth. 1. v. 24. trophæum Christi victoris, cathedra docentis, tribunal Judicis, ex quo *expolians Principatus & Potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso*, Col. 2. v. 15.

Objiciunt 2°. Si Crucem colere licet, quia sacrum Christi Corpus tetigit: colendus quoque asinus, quo Christus vectus est; colendum os Judæ proditoris, cui Christus osculum impressit. Falsum consequens, ergo & antecedens.

Nego majorem; namque illud est discriminis inter inanima, & sensu rationeque prædita, quòd hæc non honorentur, nisi propter dignitatem & excellentiam, quæ in ipsis insit: illa verò honorari possint propter aliquam ad alia honore digna habitudinem.

Secunda pars, quæ est de imaginibus Crucis, constat ex universali Ecclesiæ usu; nam ex S. Chrysostomo

Chrysostomo homil. 61. tom. 6 Imperatores Crucis effigiem adhibebant ad præsidium & honorem in suis diadematibus, vestibus, & armis; ceteri verò ubique ex Theodoreto serm. 6. contra Græcos: *Græci, Romani, ac Barbari crucifixum profitentur Deum, Crucisque signum venerantur.* Et ex sancto Augustino sermone 88. aliàs 18. de verbis Domini cap. 8. *Quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus seculi, priùs honoravit Crucem in hoc seculo, ut terrarum Principes credentes prohiberent aliquem nocentem crucifigi, & quod cum magnâ insultatione Judæi Domino procurarunt, magnâ fiduciâ servi ejus etiam Reges in fronte nunc portant.* Prohibuerunt etiam lege Primâ, Codice de Sacro-sanctis Ecclesiis, ne Crux in pavimento conculcanda inscriberetur, quòd Synodus Trullana Canone 73. sub anathemate interdixit. Quin & ipsi Iconomachi honores veræ Cruci aliisque dependi solitos illibatè servaverunt; ex Nicephoro Constantinopolitano in Breviario, & sancto Joanne Damasceno libro secundo de imaginibus.

Dices: Ergo clavi quoque honorandi sunt; cùm eorum similitudinem gerant, quibus Dominus confixus est.

Distinguo sequelam. Clavi de industriâ effecti ad repræsentandum aliquem è clavis, quibus confixus est Dominus, Concedo; quia cùm ad illum habeant habitudinem, quamdam excellentiam relativam sortiuntur: Clavi casu, aut de industriâ ad usum profanum formati, Nego sequelam; neque enim honoramus cruces fabricatas ad sustentandum ruinosum ædificium, aut quaslibet imagines, nisi pictæ sint in memoriam alicujus dignitate & sanctitate conspicui.

Tertia pars, quæ est de signo Crucis ma-

nuum agitatione expresso, probatur. Illius signi usus laudabilis est, quem Ecclesia ab exordio semper probavit, & quem Deus multis miraculis commendavit. Atqui talis est usus signi Crucis: Ergo.

Minor probatur ex Tertulliano, qui libro de Corona milit. cap. 3. sic habet; *Ad omnem progressum, ad omnem aditum & exitum, ad lavacra, ad mensas, quocunque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Harum & aliarum hujusmodi disciplinarum si legem expostules, Scripturarum nullam invenies; traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo conservatrix, fides observatrix.* En usus universaliter receptus secundo seculo; nam Tertullianus scribebat ineunte tertio. Quòd autem mos ille non prodierit ex Scholâ Montani, ut fingunt Novatores, demonstramus ex Origene, Tertulliani coævo, qui homiliâ 6. in Genes. & 6. in Exod. asserit signum Crucis habere vim fugandi dæmones. Ex sancto Gregorio Nazianzeno, Oratione tertiâ ubi refert ipsum Julianum Apostatam territum, signo Crucis fugasse dæmones. Ex sancto Cypriano, qui Epistolâ 58. sic scribit: *Muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur.* Ex sancto Athanasio, qui in vita sancti Antonii narrat Sanctum Anachoretam solitum armari signo Crucis adversùs insidias & assultus dæmonum. Ex sancto Basilio Seleuciensi, qui libro 1. de vita sanctæ Theclæ scribit sanctam Virginem signo Crucis ignem extinxisse. Ex sancto Basilio Cæsariensi, qui libro de Spiritu-Sancto capite 27. sic habet de Traditione: *Dogmata & instituta, quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus ex doctrinâ scriptâ, quædam rursus ex Apostolorum Traditione .... quorum utraque parem vim habent ad pietatem .... ut quod primum est & vulgatissimum primo loco commemorem,*

ut signo Crucis eos qui spem collocarunt in Christum, signemus; quis scripto docuit? Ergo usus signi Crucis ex Scholâ non Montani, sed Apostolorum prodiit. Eumdem usum sanctus Augustinus vindicat contra Manichæos illum deridentes, libro 6. contra Faustum.

CAPUT VI.

Utrùm Imagines pingere aut honorare liceat?

R. PRimò; in veteri lege Deus imaginum usum prohibuit; sed prohibitio illa fuit juris positivi duntaxat, non naturalis, ac proinde rescindi potuit, & de facto abrogata est promulgato Evangelio.

Prima pars probatur. Exodi 20. v. 4. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ in cœlo est desuper, & quæ in terrâ deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terrâ, non adorabis ea, neque coles.* Idem habetur Levit. 26. v. 1. & Deut. 4. v. 15. Hinc Pictores & Statuarii à Republicâ Judæorum arcebantur, teste Philone & Origene lib. 4. contra Celsum. Unde Tertullianus lib. 4. contra Marcionem capite 2. concludit, Moysem & Eliam cum Christo in monte colloquentes agnitos fuisse à Petro in spiritu, non ex imaginum fide, *Neque enim*, inquit, *imagines eorum vel statuas populus habuisset & similitunes, lege prohibente.*

Secunda pars, nempe prohibitionem illam fuisse juris positivi, probatur 1°. quia Deus ei derogavit; namque Num. 21. v. 8. ipse jussit erigi serpentis æneam figuram; *sed extraordinario præcepto*, inquit Tertullianus libro de idololatriâ capite 5. *imitare Moysem, ne facias adver-*

ius legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit, Exodi cap. 25. v. 8. Deus ex utrâque parte oraculi duo Cherubim fieri imperavit. 3. Regum cap. 6. v. 29. Salomon omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis; & fecit in eis Cherubim, & quidem Deo inspirante, cùm templum sic ornatum majestate suâ impleverit, 3. Regum cap. 8. quocirca Josephus contra Appionem, Salomonem temerè peccari arguit. Probatur 2°. quia imago non est res per se mala, sed planè indifferens, quam sicut in usum pravum, sic & in bonum convertere possumus; juvat enim ad conservandam gratam memoriam virorum illustrium, qui de nobis & de patriâ bene meriti sunt; provocatque ad imitandum eorum virtutes. Id concedant adversarii necesse est, cùm plures apud se retineant imagines etiam Christi Domini, & Sanctorum, qui in Scripturis laudantur; nec propterea arbitrantur se peccata in legem sive naturalem, sive divinam. Ut quid ergo nobis opponunt præcepta legis Mosaïcæ, quam ipsi non observant, quamque consentiunt per Christum fuisse abrogatam? Deus imagines Judæis idololatriam propensis interdixit, non Christianis.

R. Secundò, itaque in lege novâ nullum extat præceptum pingendi aut non pingendi imagines, hâc enim de re altum silentium sive in Evangelio, sive in Epistolis Apostolorum; sed Christus illam, utpote indifferentem per se, determinandam reliquit Ecclesiæ prout viderit, spectatis circunstantiis, periculosam aut utilem Fidelium saluti.

R. Tertiò, primis Ecclesiæ seculis fuit aliquis imaginum usus, sed rarior, & alicubi interdictus. Tres sunt partes.

Prima pars probatur. Eusebius libro 7. Hist. capite 18. testatur se vidisse Christi statuam, quam mulier à profluvio sanguinis per ipsum liberata, ut Evangelistæ referunt, in memoriam accepti beneficii erexerat. Addit Philostorgius Arianus libro 7. capite 3. 1°. illam statuam æneam in templum fuisse translatam, ubi honore competenti afficiebatur. 2°. Regnante Juliano apostatâ, Gentilium furore, per urbem, circumligatis ad pedes funibus, tractam & confractam, dolentibus Christianis. Pietatem autem mulieris comprobavit Deus ingenti prodigio; nam planta, quæ crescere solebat ad pedes illius statuæ, statim atque attigerat vestis æneæ fimbriam, evadebat remedium præsentissimum ad omne genus morborum, tum ex iisdem Scriptoribus, tum ex Nicephoro libro 6. capite 15. Sophronio libro 5. capite 20. Idem Eusebius ibidem commemorat pictas effigies Christi Domini & Apostolorum Petri & Pauli, quas ad suam usque ætatem servatas se vidisse asserit. Deinde secundo seculo adeo communis & antiquus mos erat sculpendi Christum in calicibus sub specie Pastoris ovem errantem in ovile reportantis, ut inde Catholici argumentum eruerint contra Tertullianum ex errore Montanistarum negantem lapsis post baptismum peccatorum veniam. *Ovis propriè Christianus* (inquiebant Catholici apud Tertullianum libro de pudicitiâ cap. 7.) *& grex Domini Ecclesiæ populus, & Pastor bonus Christus, & ideo Christianus in ove intelligendus, qui ab Ecclesiâ grege erraverit.* Denique ex Concilio Eliberitano anno 305. colligitur Imagines in templis anteà pingi solitas; nisi enim id factitatum vidisset, minimè prohibuisset Can. 36. his verbis concepto: *Placuit picturas in Ecclesiâ*

esse non debere, nec quod colitur aut adoratur, ut parietibus depingatur.

Secunda pars, nempe quòd usus imaginum eâ ætate fuerit rarior, probatur 1°. auctoritate Scriptorum illius ævi. Sanctus Clemens Alexandrinus libro quinto Stromatum sic scribit: *Moyses multis antè seculis apertè legem sanxit, nullum oportere sculptile vel pictam imaginem.* In eodem argumento sunt Tertullianus libro de spectaculis capite 23. & Origenes libro septimo contra Celsum; concluduntque artem pingendi Christianis ut & Judæis interdictam: ille lib. de idololatriâ, contra Hermogenem cap. 10. hic libro quarto contra Celsum. Probatur 2°. ratione, quæ Veteres movere debuit ne imagines pingerent, nimirum colligenda erat Ecclesia Christiana ex Judæis & Gentilibus, juxta illud Ephes. cap. 2. *Medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ .... ut duos condat in semetipso ..... & reconciliet ambos in uno corpore.* Atqui Apostoli hinc Judæos à Religione Christianâ maximè deterruissent, sic contra legem ipsis præscriptam imagines colendas proposuissent. Quod labores & pugnas sustinuerunt, ut Neophytos à cæremonialibus præceptis avellerent? Quis credet eos sine contradictione perfecisse id, quod longè difficillimum erat, nempe Judæos contra præscriptum veteris legis adduxisse ad cultum imaginum? hâc enim de re nulla tunc temporis extitit controversia. Superest ergo ut dicamus Apostolos, sicut ad tempus indulserunt Judæis servare nonnulla veteris legis, qualis est abstinentia à suffocato & sanguine, ab Idolotytis; sic de imaginibus pingendis aut colendis prorsus siluisse. Inde Gentiles à cultu idolorum ubique recepto erant revocandi: evidens autem periculum erat,

ne homines adorare soliti simulacra, simili latriâ colerent imagines Christi & Sanctorum. Eo animo affectos fuisse Gnosticos notant sanctus Irenæus lib. 1. cap. 24. & sanctus Epiphanius libr. de hæresibus: jactabant illi se habere imagines Christi à Pilati exemplari desumptas, quas summopere occultabant, & Gentilium more venerabantur.

Tertia pars, scilicet usum Imaginum temporibus illis periculosis alicubi fuisse interdictum, patet tum ex citato Canone Concilii Eliberitani, tum ex epistolâ Eusebii Cæsariensis ad Constantiam, in Concilio septimo actione 6. admissâ, in quâ negat ille se votis ejus, quibus peteret Christi imaginem, satisfacere posse, cùm Christus constet duplici naturâ, divinâ scilicet, quæ omnibus ignota est, & humanâ, quæ ex mortuis & inanimatis coloribus non possit adumbrari, totâ jam in deitatis gloriam absorptâ: tum ex epistolâ sancti Epiphanii ad Joannem Jerosolymitanum, in quâ narrat se, cùm iter faceret per ejus diœcesim, commotum fuisse, quòd in quodam oratorio imaginem Christi, vel alicujus Sancti, in velo expanso depictam vidisset: addit se velum lacerasse; rogatque Joannem, ut vigilet contra hunc usum, quem contra Scripturæ auctoritatem pugnare contendit. Hanc integram epistolam refert sanctus Hieronymus epistolâ 101. Eam tamen supposititiam putat S. Joannes Damascenus. Iconomachi in Concilio septimo act. 6. duo alia loca ex sancto Epiphanio protulerunt, in quibus sanctus Doctor scribit se multis egisse cum Chorepiscopis suis, ne imagines inducerent sive in Ecclesias & Sanctorum cœmeteria, sive in domum communem: *sed*, inquit, *non sum receptus ab his, neque audire vocem meam*

paululum passi sunt. Hæc duo loca tanquam spuria explodunt Catholici; Dallæus verò Calvinista contendit cum Iconomachis esse genuina: quod si ei concedatur, fateatur necesse est, 1°. Sanctum Doctorem sectæ ipsius adversarii, utpote quæ Imagines in domos communes inducat, societatemque habeat cum Lutheranis, qui Imagines in Ecclesiis retinent. 2°. Sententiam sancti Epiphanii illâ ætate fuisse singularem, nec proinde præferendam contrariæ, quæ erat tum communis inter Episcopos.

R. Itaque quartò, Imaginum usus communis esse cœpit; Ecclesiâ in libertatem vindicatâ, hoc est, à quarto seculo usque ad præsens tempus.

Probatur multis Patrum testimoniis. In Oriente sanctus Basilius oratione in sanctum Barlaam Martyrem, ait gaudere se, quòd Pictores feliciùs pinicillo suo, quàm ipsemet oratione manum Martyris pro Christo combustam expresserint. Frater ejus Gregorius Nyssenus, Oratione de Filii & Spiritûs-Sancti Divinitate; dicit se moveri ad lacrymas, dum conspicit Isaac in picturâ stantem sub gladio patris; & Oratione in S. Theodorum, laudat Pictorem, qui labores sancti Martyris oculis exhibet. S. Chrysostomus hom. 45. ad populum, testatur neminem esse, qui non ambiat sancti Meletii imaginem. Theodoretus in Religiosâ Historiâ refert effigiem sancti Simeonis Stilitæ ubique haberi ad præsidium. In Occidente verò sanctus Ambrosius epist. 53. meminit picturæ sancti Pauli Apostoli. S. Paulinus & Severus Sulpicius suas basilicas picturis exornaverant, ex epistolâ duodecimâ ejusdem Paulini. Prudentius in Hymno S. Cassiani sic ca-

nit: *Stetit obvia, picta imago Martyris*, & quidem in altari S. Augustinus serm. 94. de diversis, nunc 316. *Dulcissima est*, inquit, *hæc pictura, ubi videtis sanctum Stephanum lapidari*. & libro de moribus Ecclesiæ cap. 75. conqueritur abusus irrepsisse in Imaginum venerationem. S. Gregorius epistolâ ad Serenum Massiliensem, reprehendit illum, quòd Imagines evertisset, quod à nullo ex antecessoribus Episcopis factum asserit; docetque corrigendum abusum (notent Novatores) si quis irrepserit; sed non delendas Imagines pictas, non ad adorationem, scilicet, absolutam; sed ad memoriam, & recordationem. Quod autem non neget cultum relativum, patet ex epistolâ 5. lib. 7. ad Januarium Episcopum Calaritanum, in quâ monet illum, ut auferat ex Synagogâ Judæorum ablatas imagines Crucis & beatæ Virginis. *His*, inquit, *hortamur affatibus, ut sublatâ exinde cum quâ dignum est veneratione* (nota) *imagine atque cruce de beatis quod violenter ablatum est reformare*. & epistolâ 53. ad Secundum, significat se ad eum mittere Imagines Salvatoris, & beatæ Mariæ, & Apostolorum. *Scimus*, inquit, *quia tu imaginem Salvatoris nostri ideo non petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem Filii Dei in ejus amore recalescas .... sollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adorationem solius Omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur*. Vult itaque sanctus Doctor non hærendum Imagini, sed assurgendum ad ejus exemplar; namque ex S. Augustino lib. 3. de Doctrinâ Christianâ cap. 7. & 8. *Signum utiliter institutum, pro re ipsâ sequi, cui significandæ institutum est, carnalis est servitus ... sub signo enim servit qui veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet. Qui verò vene-*

ratur utile signum divinitus institutum, cujus vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur & transit; sed illud potiùs quo talia cuncta referenda sunt. Ubi sanctus Augustinus signis exterioribus venerationem concedit & denegat: concedit relativam, denegat absolutam. Imo in relativâ ad illius mentem potiùs res significata honoratur, quàm signum; quia signum aut imago propter se præcisè non spectatur. Hinc colligitur quo sensu S. Gregorius in epistolâ ad Serenum; & alii Patres quandoque dicant imagines esse ad memoriam duntaxat, nempe honorificam.

Porrò ex ardenti studio, quo Catholici tum in Oriente, tum in Occidente, pro sanctis Imaginibus octavo seculo, & deinceps usque ad hodiernam diem pugnarunt, perspicuum est earum usum à septimo seculo, quo ineunte obiit sanctus Gregorius, sicut priùs in Ecclesiâ permansisse. Communem usum illum asseruerunt duo Concilia generalia, scilicet Nicænum secundum, quod est primum generale contra veteres Iconomachos, anno 787. ejus definitionem supra caput primum retulimus; & Concilium Tridentinum, quod anno 1563. contra recentiores sanxit his verbis sessione 25. *Imagines porrò Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam; non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam colendæ sint; vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quòd fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum*

adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt veneremur. Singula Concilii verba sunt ponderanda. 1°. De imaginibus Christi & Sanctorum duntaxat loquitur, nihil verò de imaginibus sanctissimæ Trinitatis statuit. 2°. Imagines generatim appellat, non distinguens inter statuas & picturas, sicut Patres Nicæni act. 2. & 4. & in definitione solius picturæ mentionem faciunt, sicut Patres Concilii octavi generalis Can. 3. Attamen eadem est utriusque imaginis ratio, nisi quòd statua magis afficiat, ut notat sanctus Augustinus serm. 2. in Psal. 133. *Quodnam modo extorquet*, inquit, *figura ista membrorum, ut animas videns in sensibus corporis, arbitretur sentire corpus, quod suî simillimum videt*. Hinc prioribus seculis rarior fuit statuarum usus, quàm picturarum; refertque Goardus Græcos communiter non habere in templis, nisi pictas imagines. 3°. Non sunt colendæ imagines propter aliquam virtutem, quæ in ipsis sit, nec proinde in iis fiducia est collocanda; nam beneficia, quæ orantes coram sacris imaginibus aut reliquiis consequuntur, non procedunt ex ipsis imaginibus aut reliquiis, quasi ex signis sacramentalibus per se efficacibus, sed ex Deo, qui ubi & quomodo vult, Sanctorum memoriam editis miraculis celebrem reddit. Unde Christus Luc. 8. ubi mulier sanata refertur ex contactu vestimenti ejus, ait: *Novi virtutem de me exiisse*, non de vestimento meo. 4°. Sic præscribit honorem imaginibus impertiendum, ut non definiat an sit religiosus, necne. 5°. Docet non imaginibus adhærendum; indecens enim est creaturam rationalem rebus inanimis servire, sed per imagines Christum adorandum, & Sanctos venerandos.

Dogma itaque Ecclesiæ in his duobus duntaxat positum est, nempe quòd fas sit Imagines Christi, Deiparæ, & Sanctorum habere & convenienti honore prosequi. Primum concedunt Novatores, & probatum manet; secundum verò negant; sic enim habetur in eorum Catechismo : *Dieu veut-il toûjours défendre de faire aucune Image? Non, mais il défend de faire aucune image pour ou figurer Dieu ou pour l'adorer. Quelle forme d'adoration est elle ici condamnée? C'est de se prosterner devant une Image pour faire son oraison; de flechir les genoux devant icelle, ou faire quelque autre signe de reverence, comme si Dieu se démontroit là à nous.* Dallæus tamen olim Calvinistarum Pseudominister in suo Opere de Imaginibus, concedit eis, sicut omnibus Religionis instrumentis, aliquod honoris signum; cogiturque fateri Catholicos non esse in hâc parte idololatras; sed contendit Imagines in templis non esse exponendas venerationi Fidelium, propter idololatriæ periculum. Ergo sine causâ Novatores sciderunt Ecclesiæ unitatem propter Imagines: cùm ejus dogma nihil contineat erroneum, nec necessitatem cuiquam imponat colendi Imagines; modò eas non contemnat, credatque fas esse & utile illas retinere & venerari.

Probatur autem hæc Ecclesiæ definitio 1°. ex Scripturis, quæ præcipiunt adorare res Deo sacras. Psal. 97. habetur de Arcâ, super quam Deus inter alas Cherubim sedere dicebatur, *Adorate scabellum pedum ejus*, Hebraïcè, *Incurvate vos*, Si autem Deus in Arcâ adoratur, quidni Christus in Cruce?

Probatur 2°. ex Traditione. Primis seculis Christiani ex Tertulliano Apolog. 13. Cruci-

colæ à Paganis vocabantur *Flecte genu*, inquit Lactantius, *Signumque Crucis venerabile adora.* S. Hieronymus in Vitâ sanctæ Paulæ scribit, quod *prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat.* Vide quæ suprà retulimus de cultu Crucis, de statuâ Christi æreâ, quam Christiani quarto seculo in templum cum honore detulerunt. Sanctus Hieronymus epist. 17. ad Marcellam, ex veneratione quâ Judæi sanctuarium prosequebantur, concludit sepulchrum Domini Christianis esse venerabile. Sanctus Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. tradit particulas è terrâ sanctâ allatas magnâ in reverentiâ haberi: & tract. 47. in Joann. adorari vestigia Christi in monte ex quo ascendit in cœlum; libro quoque tertio de Trinitate cap. 10. ait de sacris signis, inter quæ reponit serpentem æneum: *Hæc honorem tanquam religiosa possunt habere, Qui venerantur utile signum*, inquit citato libro de Doctrinâ Christianâ, *non hoc veneratur, quod videtur, sed illud, quò talia cuncta referenda sunt.* Luculenta sancti Gregorii testimonia jam protulimus. Synodus Trullana septimo seculo, Imagines apellat Venerabiles, Can. 82. Denique octavo seculo & deinceps totus orbis Christianus honorem sanctarum Imaginum contra Iconomachos vindicavit.

Probatur 3. ratione. Honor ex tribus actibus efflorescit, ut jam dictum est. 1o. Intellectus apprehendit excellentiam objecti. 2o. Voluntas amore fertur in objectum propter ejus excellentiam. 3o. Corpus profert exteriora signa intimi hujusce animi sensûs. Atqui adversarii nullum ex hisce actibus in honore quo Ecclesia Romana sacras Imagines afficit, vituperare possunt: primò namque mens nostra, sicut & adversariorum, nullam tribuit Imaginibus

divinitatem seu virtutem divinam, sed meram concipit similitudinem personæ nobis charissimæ atque ideo æstimandam. Enimvero sicut intellectus sine errore figuram dæmonis aut hominis flagitiosi repræsentat uti contemnendam & exsecrandam; sic absque falsitate judicat effigiem optimi Principis, aut viri singularis meriti esse magni faciendam. Secundò, intellectûs judicio respondere debet voluntatis vel propensio & amor, si pictura exhibeat personam dilectam: vel aversio & odium, si impiam. Hinc tertiò erumpunt exteriora corporis signa, osculamur imaginem, & quidquid habitudinem habet ad personam charissimam. Sic adversarii caput aperiunt ante Eucharistiam, quamvis credant esse meram Christi figuram: illamque reverenter inclinati, alicubi etiam genibus flexis accipiunt: similibus signis venerationem suam testantur erga Regem coram ejus imagine; nam ex sancto Ambrosio in Psalm. 118. *Qui imaginem Imperatoris coronat, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit; qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique fecisse injuriam videtur.* Quia nonnisi ex præconcepto contemptu & odio personæ effigies ejus abjicitur, laceratur, conculcatur. Viderint ergo Novatores quomodo iram Christi sustinebunt, cujus Imagines fœdè traxerunt, fregerunt, & etiam nunc ubi prævalent hujusmodi contumeliis afficiunt.

Nec dicant adversarii Catholicos Imagines Christi & Sanctorum in Idola convertisse, sicut Judæi serpentem æneum; nec magis excusandos, quàm Gentiles, qui idololatriæ crimen non effugerunt, quamvis non crederent Idola sua esse deos, sed deorum imagines; sic enim mentem suam explicant apud Orige-

nem libro 7. contra Celsum, & apud sanctum Augustinum sermone secundo in Psalmum 113. Hæc, inquam, non dicant, 1°. quia Idolum est falsi Numinis imago, ac proinde Imagines nostræ Idola dici non possunt, nec simulacra à simulando, cùm nihil falsi repræsentent, quanquam à Veteribus nonnunquam simulacra ab assimilando vocentur; 2°. quia nisi Gentiles Idola deos promiscuè putaverint, mentiuntur Prophetæ, Isaias cap. 46. Baruch. cap. 6. Habacuc cap. 2. Nonnulli quidem inter eos eruditi opinabantur Idola esse deorum domicilia, virtutemque divinam illis insidere ac propterea esse adoranda, ex sancto Augustino serm. 2. in Psalm. 113. Alii adhuc subtiliores, & ut loquitur sanctus Augustinus, purgatioris Religionis, sentiebant Idola esse signa duntaxat rei, quam colere tenerentur, nempe, secundùm alios, Cereris, hoc est, terræ, Neptuni seu maris, &c. secundùm alios verò, Numinum, quæ illis corporibus regendis præsident. Verùm hi postremi non erant omnino innoxii, tum quia simulacris sacrificabant, tum quia in superstitiosis ritibus cum multitudine errante circa Idola communicabant, quod à Catholicis prorsus alienum esse nemo non videt; 3°. quia unum & idem erat apud Judæos incensum ponere & sacrificare, ut patet ex libro quarto Regum capite 17. v. 11. & capite 23. v. 5. ac proinde serpentem æneum, cui adolebant incensum, in Idolum abominandum converterant; & idcirco Ezechias justo zelo illum confregit, sicut & alia Idola. Apud Christianos verò thus in varios usus, etiam profanos usurpatur: ejus suffitu honorantur res Deo sacræ, Sacerdotes, Principes, & defunctorum corpora.

Dices : saltem Ecclesia non debuit definire tanquam ex fide credendum Imagines esse retinendas & venerandas ; illud enim fide divinâ credi non potest quod Deus non revelavit : atqui Deus non revelavit Imagines esse retinendas & venerandas, cùm ex dictis illud sit meræ disciplinæ, nihilque Christus de Imaginibus præscripserit, & quæcumque de iis habentur in veteri Testamento, Christianos non spectent. Ergo.

Distinguo primam propositionem. Ecclesia non debuit definire tanquam ex fide credendum quoad usum & factum, hoc est, actu & de facto Imagines proponendas esse venerationi Fidelium, Concedo : quoad jus exponendi ipsas Imagines quando & ubi judicaverit, Nego. Duplex itaque fieri potest quæstio circa Sanctorum Imagines. Prima, quæ est in materiâ fidei, utrùm legi divinæ repugnet pingere & venerari Sanctorum Imagines ? Cùm autem hâc de re esset controversia Catholicos inter & Heterodoxos, Ecclesia illam diremit, & pro suo jure definiit credendum fide divinâ non repugnare legi divinæ pingere & venerari Sanctorum Imagines; ipsius enim est interpretari legem divinam fidelesque docere quid per illam liceat, quidve interdicatur. Altera verò quæstio, utrùm spectatis omnibus circunstantiis expediat Sanctorum Imagines in templis venerationi Fidelium exponere, pertinet ad disciplinam duntaxat. Unde

Ad confirmationem, concessâ majore, distinguo minorem. Deus non revelavit Imagines esse retinendas & venerandas, positivè præcipiendo illas retineri, & in templis collocari, Concedo : non revelavit fas esse eas retinere & in templis collocare, subdistinguo :

non revelavit specialim, Concedo: generatim, quatenus revelavit legem veterem, cujus illud erat præceptum Exod. 20. *Non facies tibi .... omnem similitudinem*, promulgato Evangelio non obligare, Nego minorem: sic generatim revelavit Christianos jam non teneri abstinere à suffocato & sanguine, legemque hâc de re ab Apostolis sancitam Act. 15. non esse inter præcepta divina numerandam, quibus numquam derogari licet. Expositis verò imaginibus Christi & Sanctorum venerationem deberi manifestè colligitur ex Scripturâ, in quâ frequenter præcipitur reverentia erga res Deo dicatas, & ad Religionem pertinentes.

Instabis: S. Clemens lib. 5. Stromatum, Tertullianus de Idololatriâ cap. 23. & alii probant lege divinâ prohiberi Christianis omnem Imaginem; Ergo.

Distinguo antecedens. Lege divinâ prohibetur omnis Imago, ubi periculum idololatriæ instat, sicut prioribus Ecclesiæ seculis, quibus scribebant illi Patres, Concedo; hæc enim prohibitio continetur in primo Decalogi præcepto, quia, ut dictum est, idololatria & occasio ejus proxima jure naturali prohibetur; ubi remotum est idololatriæ periculum, Nego antecedens. Addo Patres citatos præsertim esse intelligendos de Imaginibus sanctissimæ Trinitatis, patet ex eorum lectione.

Q. 2°. *Est-ne improbandus usus Imaginum sanctissimæ Trinitatis?*

R. Primò, Ecclesia nihil in hanc rem statuit.

R. Secundò, nullus fuit usus hujusmodi Imaginum usque ad nonum seculum. De primo, secundo & tertio seculo testes sunt Patres laudati, Clemens Alexandrinus & Tertullianus. De

quarto & quinto S. Augustinus in Psalmum 113. floruit enim in utroque. De octavo Concilium septimum; namque actione septimâ eorum calumniam refellit, qui dicerent Christianos Imaginibus Deum circunscribere. *Christiani*, inquit, *invisibilis & incomprehensibilis Imaginem nunquam fecerunt*, (intellige, paucis exceptis, ut sancto Paulino epistolâ 12. ad Severum) *sed secundùm quam caro factum est, ea quæ humanæ dispensationis ejus sunt*, *pingunt*. Non rejicit tamen usum exprimendi Spiritum sanctum sub formâ Columbæ; quia in eâ specie apparuit. Neque etiam in usu erant nono seculo, ut constat ex Scriptoribus illius ævi, imò eas rejiciunt Henricus à Gandavo decimo-tertio seculo, Durandus decimo quarto; narratque Aventinus libro 7. suorum Annalium, Joannem XXII. voluisse exuri quosdam qui Patrem sub specie senis effinxerant, utpote qui viderentur impegisse in errorem Antropomorphitarum. Eas quoque post modum reprobarunt Tollatus & alii.

R. Tertiò. Usus illarum Imaginum per se non est malus: 1°. quia sensim sine sensu, Ecclesiâ minimè refragante, obtinuit; 2°. quia Deus in formâ humanâ apparuit, Gen. 3. v. 8. Exod. 33. v. 23. Dan. 7. v. 9. Cùm ergo Angeli rectè pingantur in formâ humanâ, quia in eâ visi sunt, ex Concilio septimo, quidni & Deus? 3°. Idem licet Pictori, quòd Scripturæ, quæ Deum sæpius pingit cum membris humanis: eâ ratione Veteres etiam Christum pinxerunt sub agni specie, quia Scripturæ sic illum nobis exhibent; Synodus tamen Trullana septimo seculo hunc morem improbavit Canone 82. 4°. Romæ in Tribunali Inquisitionis anno 1690. proscripta est hæc propositio, *Dei Patris*

simulacrum nefas est Christiano in templo collocare.

R. Quartò. Omnes concedunt usum illum respectu rudiorum non esse sine aliquo periculo, saltem remoto; quod Patres Tridentini indicant sessione 25. his verbis: *Quòd si aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indoctæ plebi expediet, figurari contigerit; doceatur populus non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.*

Q. 3°. *Quomodo colendæ sunt Imagines?*

R. Jam diximus non colendas, nisi cultu respectivo majori vel minori, pro dignitate exemplaris. Sed in quo præcisè consistat ille cultus, & quomodò in praxi sit exhibendus non conveniunt inter se Theologi; quia non eodem modo ab eis concipitur Imaginum ad sua exemplaria habitudo, ex quâ nascitur omnis earum excellentia & cultus.

Alii volunt imaginem esse signum duntaxat institutum in memoria prototypi: unde inferrunt non deberi Imagini nisi cultum exteriorem, hoc est, cultum, qui coram Imagine, v. g. Christi, ita exhibeatur, ut non ad imaginem, sed ad ipsum exemplar terminetur.

Refellitur hæc sententia, quia ex sanctis Patribus & Conciliis sacræ Imagines honorandæ sunt cultu proprio, sicut templa, vasa sacra, & alia religiosa instrumenta, id est, inferiore eo, quo earum exemplaria afficiuntur: v. g. Crux & Imago Christi non est veneranda eo latriæ cultu, quo ipse Christus adoratur. Atqui exterior ille cultus 1°. non est propriè Imaginis, licèt coram eâ pendatur; quia voluntatis affectus, in quo diximus honorem essentialiter consistere, nullatenus ad imaginem inclinatur, sed ad ejus exemplar: ut videre est

in exemplo ejus, qui, ne è memoriâ excidat se ex præcepto teneri recitare, v. g. canticum *Te Deum laudamus*, antequam cubile petat, calculum vel aliud signum in patenti cubiculi loco collocat; quod posteà viso prædictam orationem genibus flexis fundens, non censetur venerari calculum; cum in eo nullam excellentiam apprehendat, nec voluntas ejus ad illum inclinetur; sed totus cultus ejus, sive interior, sive exterior, ad Deum unicè dirigatur. 2°. Cultus ille exterior coram imagine Christi, aut sanctissimæ Trinitatis, est supremus & latria; quia in illo apprehenditur infinita Dei excellentia, & voluntas plenè & omnimodè se demittit. At Concilia honorem longè inferiorem tribuunt Imaginibus, ac proinde distinctum, & ipsis proprium, quamvis relativum, dependitur vasis sacris.

Nec dicas Gallicanos Præsules capite primo laudatos docuisse octavo & nono seculo sacras Imagines retinendas ad memoriam duntaxat, non ad cultum, nec comparandas vasis sacris: nam ibidem demonstravimus illos statuisse Imagines honorificè habendas, & in templis collocandas. Non eis itaque omnem honorem negarunt, sed eum solùm, quem Græci illis tribuebant, qui nimiùs ipsis videbatur, salvâ tamen charitate & pace. Non tulerant etiam Imagines cum sacris vasis omnimodè componi, sed ex parte tantùm; nam in sacris vasis duo sunt attendenda: primum, quòd contactu corporis Christi sanctificata sint: secundum, quòd habitudinem habeant ad Deum ut potè ad ejus cultum destinata. Priori respectu distant ab Imaginibus, posteriori cum illis conveniunt.

Alii Theologi in Imaginibus exemplaria apprehendunt, ita ut Christus, v. g. in Cruce vel

in aliâ effigie, fit simul cum illâ figurâ, totale adorationis objectum; quemadmodum Rex purpurâ circundatus non duplicem veneratio-nem terminat, alteram, quæ in personam ejus tendat, alteram, quæ vestem ejus spectet. Unde in hâc sententiâ idem planè honos exhibetur Imagini, qui exemplari; quia ipsummet exemplar in Imagine apprehenditur ac proinde Crux & alia Christi effigies cultu latriæ, respectivo tamen veneranda est.

Refellitur hæc sententia iisdem momentis, quibus præcedens, quia juxta illum explicandi modum, non Imago, quæ non attenditur, sicut nec purpura Regis in allato exemplo, sed ipsum exemplar honoratur. Atqui Imagines sunt honorandæ cultu proprio & inferiori. Adde, quòd ille venerationis modus est periculosus, & Hæreticis nostram Religionem blasphemandi ansam præbet, Idololatris verò suam superstitionem excusandi; quidni enim idolis sacrificarent tanquam Divinitatis Imaginibus, si tales Imagines hoc explicandi modo merentur cultum latriæ?

Alii denique, quorum sententiam ut veriorem, Conciliis magis conformem, & in praxi tutiorem amplectimur, docent Imaginem Christi, vel alicujus sancti, concipiendam, ut ejus similitudinem expressam, atque ideo nobis pretiosam; quia hæc similitudinis relatio & habitudo est quædam excellentia à prototypo derivata, propter quam omnes homines sensu quodammodo à naturâ indito, amicorum imagines solent charas habere, diligere, osculari, & in honoratiori loco collocare. Sed, cùm excellentia tanta non sit in imagine, quanta in prototypo, honor qui excellentiæ respondere debet, æqualis utrique tribui non potest, si-

cut nec vasa sacra propter habitudinem, quam habent ad Deum, pari cum Deo veneratione afficimus. Ita Patres Nicæni, qui actione primâ, secundâ, & tertiâ, semper distinguunt inter adorationem Imaginis & exemplaris: cùmque actione sextâ Iconomachi Christianis exprobrarent, quòd eamdem Deo & Imaginibus adorationem deferrent, Synodus exclamat: *O stoliditatem! Christiani quippe adorationem, quæ in spiritu & veritate est, neque Imaginibus, neque figura divinæ Crucis impediti sunt; adorationem, quæ per fidem est, nisi soli Deo offerunt.* Quod idem reperit actione septimâ in definitione fidei, quam suprà exscripsimus. Ergo cultum Imaginum Crucis & Christi confundere non licet cum cultu, qui Deo exhibetur, quandoquidem Ecclesia utrumque sollicitè distinguit.





TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI.



Ic Tractatus cum præcedenti ita connexus est, ut sub uno & eodem titulo de Incarnatione & Gratia differendum videretur. Enimverò Incarnatio se habet ad Gratiam, sicut causa ad effectum, fons ad rivum; namque ex dictis Filius Dei incarnatus factus est nobis justitia & sapientia, quatenus promeritus est nobis omnia gratiarum genera, quas tanquam vivificum Ecclesiæ caput in eam, quæ est corpus ejus, continuò influit. Ordo igitur doctrinæ postulat, ut expensis quæ Incarnationem spectant, exponamus quinam sint fructus ejus, hoc est, quàm pretiosa, quàm magnifica, quàmque necessaria sint gratiarum dona, quæ ex illo mysterio emanant.

Caput I.

De variâ Christi Gratiæ acceptione.

Q. 1°. Cur Gratia sic dicitur?
R. Quia gratis datur; est enim donum gratuitum, nec rependitur ut merces aut debitum. *Si gratia*, inquit Apostolus Rom. 11. *jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.*

Q. 2. *Quotuplici modo gratia sumitur?*
R. Triplici. 1°. Latè pro dono naturali gratis concesso, qualis est creatio aut conservatio, quam non promeruimus. In hâc acceptione Angeli dicuntur in Concilio generali VI. gratiâ immortales. 2°. Strictiùs pro dono supernaturali ad salutem æternam ordinato independenter à meritis Christi concesso. Talis fuit in nostrâ sententiâ gratia Angelorum & primi parentis statu innocentiæ; talis quoque gratia Christi quam diximus ipsum non promeruisse. 3°. Strictissimè pro dono supernaturali post lapsum primorum parentum collato meritis Christi.

Gratiam 3°. modo duntaxat hîc accipimus juxta sanctorum Patrum mentem, ac præsertim sancti Augustini epist. 177. aliàs 95. in quâ sic scribit: *Illam gratiam quâ creati sumus homines etiamsi ita appellandam non immeritò intelligimus; mirum est tamen si ita appellatam in ullis legitimis Propheticis, Evangelicis, Apostolicisque litteris legimus. Hanc Apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, quâ salvamur & justificamur fide Christi.* Gratiam sic acceptam Pelagius, à quo Pelagiani & Semipelagiani, necessariam negavit

vit V. ineunte ſeculo, proptereaque accuſatus in Concilio Dioſpolitano Patres fefellit, juſtamque damnationem vitavit per ſubdolam Confeſſionem. Ibi quippe profeſſus eſt gratiæ neceſſitatem, ſed in primâ acceptione. Nimirum per gratiam intelligebat verſipellis hæreticus creationem & conſervationem, ſine quibus nec ſumus, nec quidquam poſſumus.

Q. 3°. *Quid eſt Gratia Chriſti?*

R. Eſt donum Dei gratuitum, ſupernaturale, homini lapſo conceſſum per merita Chriſti Domini in ordine ad vitam æternam.

Dicetur 1°, *donum gratuitum*, ut oſtendatur non rependi præcedentibus operibus; ſed gratis dari; alioquin Gratia jam non eſſet gratia Rom. 11.

Dices: De fide eſt juſtum bonis operibus mereri augmentum gratiæ; ſic enim definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. Can. 32. Atqui illud augmentum, licèt rependatur bonis operibus, eſt vera gratia: ergo vera gratia poteſt habere rationem remunerationis & mercedis.

Reſpondeo conceſsâ majore, de quâ ubi de merito, diſtinguo minorem. Illud augmentum eſt vera gratia, etiamſi rependatur bonis operibus ex gratiâ elicitis, Concedo: ſine gratiâ elicitis, Nego minorem.

Diſtinguo ſimiliter conſequens. Vera gratia poteſt habere rationem remunerationis & mercedis, ſi reddatur operibus ex gratiâ elicitis, Concedo; tanta enim eſt Dei erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, inquiunt Tridentini Patres ſeſſ. 6. cap. 16. ſecus, Nego conſequentiam. Apoſtolus autem loquitur de operibus viribus naturæ elicitis, quibus ſi debeatur retributio, Gratia non erit gratia, ſed mer-

ces. Porrò si quis ad amici gratiam refert, quod ex ejus bonis lucratus est, etiamsi lucrum illud sit fructus propriæ industriæ; multò magis meritoria justi opera tribuenda sunt Christo, cùm justus ab eo non solùm habeat potestatem bene operandi, sed & industriam; non enim sine efficaci ejus auxilio bene uteretur gratiâ jam acceptâ; Deus quippe *in vobis operatur & velle & perficere*, ait Apostolus Philipp. 2. v. 13.

Dicitur 2°. *Supernaturale*, ut Gratia Christi distinguatur à donis naturalibus, qualis est creatio, conservatio, sanitas corporalis, &c. Cùm autem supernaturale diversimodè dicatur, & plerumque Clerici hoc nomine nihil nisi confusè percipiant doceant-ve, ubi in Catechesibus ipsis incumbit exponere dona Dei supernaturalia; operæ pretium est explicare quomodo supernaturale hîc accipiatur, & quid præcisè significet. Quamobrem

Observandum 1°. supernaturale duobus modis posse sumi: 1°. impropriè, pro eo quod superat aliquam, non omnem naturam creatam, quomodo intuitivè videre substantiam spiritalem est supra conditionem hominis mortalis, non Angeli; 2°. propriè, pro eo quod excedit omnem naturam creatam & creabilem. Et hoc posteriori modo Gratia est supernaturalis.

Observandum 2°. surpernaturale in hâc posteriori acceptione esse duplicis generis. Aliud est supernaturale duntaxat quoad modum; aliud quoad entitatem simul & modum. Supernaturale quoad modum tantùm, est donum naturale collatum modo supernaturali, hoc est, excedente vires cujusque naturæ creatæ; ut resurrectio Lazari, frondes ex aridâ Aaronis virgâ subitò erumpentes in amygdalas. Vita

quippe Lazaro reddita, & amygdalæ, sunt quid secundùm entitatem naturale, sed modus stupendus, quo illi effectus prodiêre, est omnino supernaturalis, & excedens vires cujusque naturæ creatæ. Supernatutale verò quoad entitatem, est donum elevans & ordinans creaturam ad Deum, ut in se est, illamque constituens in esse divino. Hinc Theologi definiunt illud esse propriè supernaturale quoad entitatem, quod ad Deum disponit, ut est Auctor gloriæ, id est, ut in se spectatus, & per visionem intuitivam possidendus: naturale verò, quod spectat Deum ut Auctorem naturæ, hoc est, quatenus relucet in operibus suis (scilicet creaturis) & per eas abstractivè duntaxat est cognoscendus. Verum hæc breviùs dicta sunt, quàm ut clarè & distinctè percipiatur quid sit supernaturale quoad entitatem. Quapropter

Observandum est 3°. ex dictis, ubi de visione beatificâ, triplicem à sancto Thomâ distingui rerum ordinem. In primo ordine sunt res corporeæ, quæ constant ex materiâ physicâ & corporeâ, ut animal. In secundo sunt substantiæ spiritales creatæ, quæ quidem abstrahunt à materiâ physicâ & corporeâ; sed componuntur ex potentiâ, quæ dicitur materia metaphysica, & ex actu seu formâ. Sic Angelus est substantia incorporea & immaterialis; sed non est sine potentiâ, sive objectivâ ad accipiendum esse, si spectetur ut possibilis; sive subjectivâ ad accipiendam novam perfectionem, putà sapientiam, cognitionem, &c. Unde Angelus sapiens, intelligens, sanctus, est aliquod compositum ex naturâ Angelicâ & sapientiâ, cognitione, & gratiâ sanctificante. In tertio ordine solus Deus reperitur, qui, utpote ens à se, est actus purissimus, summè necessarius

& sine ullâ compositione, infinitè perfectus in omni genere perfectionis; ita ut intellectio, sapientia, & ceteræ perfectiones sint ipsius esse, aptiùsque Deus dicatur intellectio, quàm intelligens; sapientia, bonitas, & sanctitas, quàm sapiens, bonus & sanctus.

Porrò cùm operari sequatur esse, ea, quæ sunt primi ordinis, non possunt operari, quæ pertinent ad secundum ordinem; nec ista, quæ pertinent ad tertium: v. g. animal irrationale, utpote ex materiâ corporeâ concretum non potest operari, quæ sunt propria Angeli, putà cognoscere spiritalia, sicut nec Angelus potest per propriæ naturæ vires attingere ea, quæ sunt divina, nempe Deum cognoscere intuitivè & sicut in se est.

Ergo gratia est donum supernaturale, tum quoad modum, tum quoad entitatem; quia transcendit omnem creaturarum ordinem & virtutem, hominemque sive Angelum Deiformem reddit, ut loquitur S. Thomas 1. p. qu. 12. art. 5. ad 3. ubi sic scribit: *Dispositio ad formam ignis non potest esse naturalis, nisi habenti formam ignis. Unde lumen gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi creatura esset naturæ divinæ, quod est impossibile; per hoc enim lumen fit creatura Deiformis.* Idem quoque dicendum de Gratiâ, quæ est semen gloriæ, & dispositio ad illam.

Dicitur 3°. *homini lapso concessum*, ut ostendatur hanc gratiam esse maximè gratuitam; siquidem donum, quod indulgetur inimico, magis gratuitum est, quàm quod tribuitur non inimico, ut notat Apostolus Rom. 5. his verbis: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis quoniam cùm adduc peccatores essemus .... reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.*

Dicitur 4°. *meritis Christi*, ut distinguatur

gratiâ hujus statûs à gratiâ Angelorum, & statûs innocentiæ, quæ in nostrâ sententiâ independenter à meritis Christi fuit concessa: homini autem lapso Deus *benedixit in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*, Ephes. 1. v. 3.

Oritur hîc difficultas, utrùm gratia fundata in meritis Christi sit quid dignius gratiâ Angelorum, & statûs innocentiæ?

R. Physicè non est quid dignius, cùm idem sit utriusque objectum & finis. Imò sanctus Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 15. docet gratiam Christô concessam, quam diximus ipsum non promeruisse, ejusdem esse naturæ cum eâ quam in membra sua diffundit. *Eâ Gratiâ*, inquit, *fit ab initio fidei suæ quisque Christianus, quâ gratiâ ab initio ille factus est Christus.*

Moraliter tamen Gratia, quam Christi meritis consequimur, longè est dignior; quia nos conjungit Christo, ut membra capiti; compingitque in unum cum illo corpus, quo fit ut justos, præsertim electos, Deus speciali favore prosequatur tanquam Filii sui naturalis membra, efficacioribus auxiliis illos adjuvet, orationes illorum benigniùs audiat. Unde Christus Joan. 17. v. 16. sic Patrem alloquitur: *Dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit; & ego in ipsis.* Addunt nonnulli Theologi bona justorum operà majoris esse meriti, utpote quæ ex membris Christi procedant; quia dignitas personæ confert ad valorem boni operis. Sed quidquid sit de illâ sententiâ, saltem negari non potest, quin sit singulare Gratiæ Christi privilegium, quòd in justificatione applicet satisfactionem ejus infinitam. Hinc 1. Petri cap. 1. Gratia vocatur aspersio sanguinis Christi, & Apoc. 1.

Fideles dicuntur lavari in ſanguine Chriſti.

Dicitur 5°. *in ordine ad vitam æternam*; quia, ut diximus, Gratia eſt ſemen gloriæ, quatenus hominem ad illam elevat, movet ac diſponit. Hinc Joan. 4. dicitur *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

Caput II.

De viſione Gratiæ Chriſti.

Gratia Chriſti generatim dividitur in exteriorem, qualis eſt Evangelii prædicatio, Incarnatio, Sacramentorum inſtitutio: & in interiorem, putà fidem, gratiam ſanctificantem, &c. De interiore duntaxat hîc agimus. Gratia autem interior dividitur in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem, de quibus ſeparatim dicendum.

Paragraphus prior.

De Gratiâ gratis datâ.

Q. 10. Quid eſt grata gratis data?

R. Eſt gratia, quæ, primariò datur ad aliorum ſalutem, ut donum linguarum, poteſtas conficiendi Sacramenta; in eoque differt à gratiâ gratum faciente quòd hæc poſterior primariò ordinetur ad ſalutem accipientis, illumque Deo conjungat.

Dixi, *primariò;* quia ſi quis gratiâ gratis datâ rectè utatur, v. g. Sacramenta piè adminiſtret, gratia gratis data ipſi ſecundariò prodeſt ad ſalutem: quemadmodum gratia gratum faciens, putà fides, quæ per dilectionem opera-

tur; ſecundariò proximum ad pietatem incitat, juxta illud Matth. 5. *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.*

Q. 20. *Quare gratia gratis data ſic dicitur, cùm gratia gratum faciens etiam gratis detur, alioquin non eſſet gratia?*

R. Quia nomen generis ſolet tribui ſpeciei ignobiliori; ſic bruta ſimpliciter vocantur animalia, & eo nomine diſtinguuntur ab homine, qui, quamvis ſit & ipſe animal, non ſine contumeliâ tamen appellaretur animal; quia præterquam quod eſt animal, ratione præcellit, propter quam ſpecialiter denominatur homo. Similiter cùm gratia gratum faciens ſit nobiliſſima gratiæ ſpecies; nomen ſpeciale ſortitur; ceteræ verò ignobiliores genericum gratiæ nomen retinent, ſimpliciterque dicuntur gratiæ gratis datæ.

Dices: Bonum illud majus eſt, quod ad plures ſe extendit: atqui gratia gratis data ad plures ſe extendit, quàm gratia gratum faciens, hæc quippe ordinatur duntaxat ad ſalutem recipientis: illa verò ad bonum commune Chriſtianæ ſocietatis. Ergo.

Diſtinguo majorem. Bonum majus eſt, quod ad plures ſe extendit, ſi comparetur cum bono ejuſdem generis, Concedo: v. g. lumen Solis, quod latiùs diffunditur, majus eſt bonum, quàm bonum candelæ. Si comparetur cum bono ſuperioris ordinis, Nego majorem. Namque lumen Solis, etſi per totum aërem diffuſum, non eſt majus bonum ſapientiâ, quæ ſolam ſapientis mentem illuſtrat. Porrò gratia gratis data & gratia gratum faciens ſunt dona diverſi ordinis; quia, ut jam diximus, per gratiam gratum facientem homo tendit ad Deum, eique conjungitur: per gratiam autem gratis

datam proximum disponit ad percipiendam gratiam gratum facientem. Deinde homo gratiâ gratis datâ rectè non utitur sine auxilio gratiæ gratum facientis : *Multi dicent mihi in illâ die*, ait Christus Matth. 7. *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis quia nunquam novi vos : discedite à me, qui operamini iniquitatem.*

Q. 3°. *Quot sunt gratiæ gratis datæ?*

R. Novem ab Apostolo numerantur 1. Cor. 12. his verbis : *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii autem sermo scientiæ ... alteri fides ... alii gratia sanitatum ... alii operatio virtutum : alii prophetia : alii discretio spirituum : alii genera linguarum : alii interpretatio sermonum.*

Q. 4°. *Quid hîc intelligitur nomine fidei?*

R. Non intelligitur fides Theologica, quæ pertinet ad gratiam gratum facientem : sed accipitur ab Apostolo, vel pro dono explicandi mysteria fidei, vel pro fiduciâ divinitus immissâ ad patranda miracula, juxta illud Matth. 17. v. 19. *Si habueritis fidem, sicut granum synapis, dicetis monti huic : Transi hinc illuc, & transibit*, nam sine hoc speciali fiduciæ dono temerè quis se accingeret ad patranda miracula. Petrus, v. g. Deum tentasset, cùm claudo dixit Act. 3. *In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula.*

Q. 5°. *Hæc gratiarum gratis datarum divisio estne conveniens & legitima?*

R. Affirmat sanctus Thomas, & probat 1. 2. quæst. 111. a. 4. quia homo cooperatur saluti alterius, illamque ad Deum reducit, quatenus exterius illum docet, persuadetque. Atqui tria ad hoc requiruntur; namque Magister debet 1°. plenè & perfectè cognoscere quæ docet; 2°. probare & confirmare; 3°. audiri & percipi à discipulis.

Ad primum tria sunt necessaria. Primum, necesse est noverit principia disciplinæ, ad quam discipulos instituere intendit. Secundum, ex iisdem principiis conclusiones deducat. Tertium, quæ docet, exemplis illustret. Per fidem autem intelligit mysteria fidei, quæ sunt principia disciplinæ Christianæ; per sapientiam, ex ejusmodi principiis elicit conclusiones; per scientiam denique doctrinam suam illustrat exemplis rerum naturalium, quæ sunt objecta scientiæ.

Ad secundùm, cùm Minister Evangelii doceat quæ rationem superant, illa probare & confirmare nequit, nisi per opera divinæ virtuti propria, ut miracula, quæ quadruplicis generis recenset Apostolus pro diversitate circumstantiarum, in quibus potest esse Verbi divini Minister. Vel enim ex auditoribus aliqui infirmitate corporis laborant, & per gratiam sanantem illos ad credendum promptiùs inducit. Vel si omnes ab ægritudine corporali liberi sint: saltem in aliquâ versantur indigentiâ, à quâ si per gratiam virtutum, seu miraculorum illos liberaverit, facilè in suam sententiam adducet, quemadmodum Christus Joan. 6. multiplicatione panum Judæos sibi conciliavit. Quòd si horum non se offerat occasio, fidem auditoribus faciet, vel prophetico spiritu, vel discretione spirituum, seu manifestatione secretorum cordis; divinatio enim, & humani cordis penetratio sunt signa divinitatis.

Ad tertium, ut Magister percipiatur ab auditoribus: juvant dona linguarum, & interpretatio sermonum, ut per se patet. Ergo legitima est & conveniens gratiarum gratis datarum divisio.

Dices: Sine hujusmodi gratuitis donis Evan-

gelium nunc in Ecclesia annuntiatur & confirmatur, ergo non sunt necessaria.

Nego absolutè antecedens. Namque ad confirmandos præsertim Infideles, adducere necesse est prophetias & miracula olim à Christo, & ejus discipulis edita; cùm enim idem evangelium hodie prædicetur, quod temporibus Apostolorum pristina miracula utpote indubitata, & in commendationem doctrinæ Christianæ patrata, prædicationi hodiernæ fidem astruunt. *Tenet me in Ecclesiâ Catholicâ fides miraculis inchoata*, aiebat olim sanctus Augustinus. Quanquam nec in Ecclesiâ hodie desunt nova miracula; etsi rariora & minùs necessaria; Deus enim, qui dives est in misericordiâ, ad excitandam nostam socordiam identidem suscitat viros tum sanctitate insignes, tum gratiâ virtutum potentes, ut legitur de sanctis Bernardo, Vincentio Ferrerio, Francisco Xaverio, & aliis benemultis. Adde quòd præter exteriora ejusmodi divina signa, non inferiores gratiæ gratis datæ in Ecclesiâ constanter permanent. Nam potestas conficiendi Sacramenta est insignis gratia virtutum: singulare etiam Ecclesiæ Catholicæ privilegium infallibiliter explicandi mysteria fidei, sacram Scripturam interpretandi, vera à falsis discernendi, reduci debet ad fidem, interpretationem sermonum, & discretionem spirituum. Porro donum linguarum videtur nunc superfluum, cùm jam Ecclesia per universum orbem diffusa loquatur linguâ omnium gentium, & ab iis intelligatur.

Q. 6°. *Gratiæ gratis datæ sunt-ne habitus?*

R. 1°. Fides sumpta pro plenâ mysteriorum cognitione, sapientia, scientia, donum linguarum, & interpretatio sermonum videntur

esse habitus; nam signum habitûs est, quòd eo utimur quando volumus: atqui illæ gratiæ ita se habent: ergo.

R. 2°. Reliquæ gratiæ non sunt habitus, sed divinæ operationes transitoriæ: quia Apostoli iis non utebantur ad nutum; nam Matth. 17. non potuerunt curare lunaticum. Daniel. cap. 2. Deum enixè orat antequam prophetet. Hinc sanctus Hieronymus in cap. 25. Ezech. sic scribit: *Si semper in Prophetis esset sermo Deo, & juge in pectore eorum haberet hospitium, numquam tam crebrò Ezechiel poneret: Factus est sermo Domini ad me dicens.*

Et hæc de gratiis gratis datis sufficiant. Nunc totos nos incumbere oportet elucidandis iis, quæ ad gratiam gratum facientem pertinent. Quare sit

Paragraphus posterior.

De nomine & divisione gratiæ gratum facientis.

Q. 1°. Quare gratia gratum faciens sic dicitur?

R. Quia eò tendit, ut Deo perfectè serviamus, eique totaliter adhæreamus, quod ipsi longè est gratissimum.

Q. 2°. *Quotuplex est gratia gratum faciens?*

R. Duplex, nempe habitualis, & actualis.

Q. 3°. *Quid est gratia habitualis?*

R. Est gratia animæ permanenter inhærens per modum habitûs, hominemque disponens ad vitam æternam, ut gratia sanctificans.

Q. 4°. *Quid est gratia actualis?*

R. Est illustratio, seu cogitatio supernaturalis in intellectu, & pia affectio similiter supernaturalis in voluntate.

Dices: Gratia, ex dictis, est gratuitum Dei donum supernaturale; atqui illustratio, seu cogitatio, & pia affectio non sunt Dei dona, sed actus ab homine eliciti: ergo non sunt Dei gratia.

Nego minorem, cujus confirmationem distinguo: sunt actus ab homine supernaturaliter eliciti, Concedo: naturaliter eliciti, Nego. Sicut ergo visio beatifica, & amor beatificus, licèt sint actus ab intellectu, & à voluntate Beatorum eliciti, nihilominus sunt Dei dona; quia non producuntur ab intellectu & voluntate naturaliter operantibus, sed supernaturaliter à Deo elevatis. Sic sancta cogitatio, & pia affectio sunt gratiæ actuales: quia ab intellectu & voluntate naturalibus viribus non procedunt, sed impressione & motione divinâ, eâque supernaturali.

Q. 5°. *Quotuplex est gratia habitualis?*

R. Triplex, nimirum gratia sanctificans, seu justificans, quâ homo fit justus formaliter; virtutes infusæ, & dona Spiritûs sancti, quibus homo disponitur ad actus supernaturales.

Q. 6o. *Quotuplex est gratia actualis.*

R. Triplex. Prima dicitur operans, præveniens & excitans. Secunda adjuvans, cooperans & concomitans. Tertia subsequens. Ita Patres Tridentini sess. 6. cap. 16. his verbis: *Cùm ... ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur.* De primâ gratiâ loquitur Regius Vates Ps. 58. v. 11. *Misericordia ejus præveniet me.* De secundâ Psal. 93. v. 18. *Misericordia tua, Domine, adjuvabat me.* De tertiâ Psalm. 22. v. 6. *Misericordia tua*

subsequetur me. Ergo reverà existunt tres illæ gratiarum species.

Q. 7°. *Quid est gratia operans, seu excitans & præveniens.*

R. Omissis variis Theologorum sententiis, rectè discribitur, supernaturalis à Deo immissa sancta cogitatio, & indeliberata voluntatis motio seu affectio, quâ homo vel à Deo aversus, vel in bono torpens excitatur.

Q. 8°. *Quid est gratia adjuvans seu cooperans & concomitans?*

R. Est supernaturale auxilium, seu actualis Dei influxus, quo roborata voluntas liberè consentit gratiæ excitanti.

Ergo gratia adjuvans realiter distinguitur à gratiâ excitante; actus enim liber realiter differt ab actu necessario & indeliberato. Atqui gratia excitans est actus indeliberatus, & antecedens liberum voluntatis consensum, adjuvans verò est ipse liber voluntatis consensus, non quidem prout est à voluntate, sed prout est à Deo influente, & efficiente illum consensum.

Q. 9°. *Quid est gratia subsequens?*

R. Est supernaturale Dei auxilium, quo firmatur voluntas in bono proposito, & adjuvatur ut illud ad executionem perducat. Deus, v. g. inspiravit affectum jejunandi; est gratia præveniens & excitans seu operans: voluntas liberè consentit inspirationi divinæ, & jejunare proponit: est gratia adjuvans & cooperans seu concomitans. Sed uberiori indiget auxilio, ut actu & de facto jejunet; quia in executione major occurrit difficultas quam si homo superaverit, erit gratia subsequens. Ita ferè, S. Bernardus lib. de gratiâ & libero arbitrio cap. 14. *Deus immittendo bonam cogitationem, in-*

quit, *nos prævenit: immutando etiam malam voluntatem, sibi per consensum jungit: ministrando & consensui facultatem, foris per apertum opus nostrum internus opifex innotescit.* & infrà: *Liberum excitat arbitrium, cùm seminat cogitatum: sanat, cùm immutat affectum: roborat, ut perducat ad actum: servat, ne sentiat defectum.*

Gratia actualis sive excitans, sive adjuvans, sive subsequens, subdividitur in sufficientem, & efficacem; de quâ divisione nostrâ ætate valde celebri propter ardentes circa eam ortas controversias, separatim tractandum erit.

Q. 1°. *Ad quid tam varia gratiarum supellex?*

R. Cùm homo per gratiam gratum facientem transeat in esse quoddam divinum, ita ut in justificatione dicatur regenerari. Ad Tit. c. 3. v. 5. ex Deo nasci, Joan. v. 13. 1. Joan. 3. v. 9. fieri nova creatura, & novus homo; necessitas, connexio, & subordinatio gratiarum, quæ requiruntur ad formandum supernaturalem & divinum illum statum, explicandæ sunt exemplo eorum, in quibus consistit naturalis vita cujusque animalis.

Igitur in vivente, putà homine, tria sunt attendenda, scilicet natura, potentiæ naturales, & actus inde emanantes: 1°. quidem natura, quæ est radix, & primùm principium omnium proprietatum, & motuum, quæ sunt in homine; 2°. facultates naturales v. g. intellectus, voluntas, potentia visiva, motrix, &c. homo quippe, quantumcunque naturâ suâ rationalis, non ratiocinatur, nec intelligit nisi per intellectum; non amat nisi per voluntatem; non videt nisi per oculum seu facultatem visivam; 3°. sequuntur actus & operationes, ad quas natura humana per potentias sibi congenitas tendit, tanquam ad ultimam suî

perfectionem. Ad operationem autem necesse est, ut objectum potentiæ applicetur, eamque moveat: intellectus, v. g. cognitionem non eliciet, nisi objectum cognoscibile sit ei præsens, saltem per suî speciem: nec voluntas amabit, nisi objectum amabile illi innotescat, illamque afficiat: nec oculus, quamvis perfectè sanus, percipiet colores, nisi lumine illustretur. Denique frustra hæc adfuerint, nisi Deus insuper concurrat, vel præmoveat, ut docent etiam Philosophi. In hâc descriptione vitæ naturalis cernere licet veluti in expressâ tabellâ recensitarum gratiarum seriem, & omnem vitæ supernaturalis œconomiam. Naturæ respondet gratia sanctificans, prima radix vitæ supernaturalis; potentiis naturalibus virtutes infusæ, & dona Spiritûs-sancti; actibus vitalibus motiones divinæ, seu gratiæ actuales; Deus enim non solùm posse, sed & velle & perficere in nobis operatur, Philip. 2. Per gratiam prævenientem seu operantem objectum animæ supernaturaliter repræsentat, illamque ad cognoscendum & amandum movet: per cooperantem illam adjuvat, corroboratque, ne propriâ infirmitate deficiat: per subsequentem in bono proposito firmat contra difficultates, quæ in executione occurrunt.

Dices: Homini gratiâ sanctificante, & virtutibus infusis instructo nihil ad operandum deest, quàm concursus Dei generalis: ergo gratiæ actuales non sunt necessariæ.

Probatur antecedens. Eadem est proportio inter virtutes infusas, & actus supernaturales, ad quos ordinantur, quæ inter potentias naturales, & actus ejusdem ordinis: ergo sicut homo præter intellectum non indiget nisi concursu generali ad agnoscendum quæ sunt obvia,

& ad discendum à Magistro quæ sunt remotiora: ita justus cum virtutibus infusis, quas diximus se habere per modum potentiarum, & cum generali Dei concursu poterit absque gratiâ actuali apprehendere quæ ultrò menti se objiciunt, v. g. Deum esse colendum, jus cuique servandum; & à Pastore discere quæ sunt abstractiora, ut mysteria nostræ Religionis.

Nego antecedens, & ad ejus confirmationem Respondeo 1°. negari posse antecedens; quia cùm virtutes supernaturales sint naturæ humanæ adventitiæ & quodammodo extraneæ, anima non est æquè propensa in earum actus, ac in actus potentiarum naturalium, quæ sunt ipsi congenitæ. Quemadmodum enim radix sylvestris succum suum in ramos sylvestres sibi connaturales transmitteret, ita ut surculus frugifer trunco insertus sine alimento aresceret, nisi Hortulanus illos resecare curaret; sic anima per peccatum carnalis effecta, sese totam in sensus effundit, adeo ut ratio, quamvis ipsi congenita, torpeat, sterilisque marcescat; quantò magis virtutes infusæ ipsi aliunde insertæ, & minimè naturales; nisi Pater cœlestis quem Christus inducit tanquam Agricolam, Joan. 15. terrenos affectus amputet, divinis suis illustrationibus & motionibus animæ vires ad spiritualia transferat, & virtutes infusas in actum reducat. Hinc est quòd homini lapso semper difficile sit supernaturaliter operari etiam in iis, quæ sensibus sunt delectabilia, & rationi consentanea, ut opitulari optimo parenti, providere alendæ familiæ; & gratia, nisi sit efficax, nunquam habeat effectum propter inordinatum animæ impetum ad sensibilia.

Respondeo 2°. distinguendo consequens:

Justus cum generali Dei concursu poterit apprehendere supernaturalia modo naturali, Concedo: modo supernaturali, Nego consequentiam. Atque ut pateat solutio,

Advertes unum & idem objectum posse tripliciter apprehendi & concupisci: 1°. lumine sensuum, & appetitu sensitivo; 2°. lumine rationis, & appetitu rationali; 3°. lumine & affectu supernaturali. Canis, v. g. obsonium sensu percipit, & concupiscit appetitu sensitivo; homo idem obsonium insuper cognoscit lumine rationis, & ita ejus cognitio simul est sensitiva & rationalis, ac consequenter illud rationabiliter appetere potest. Justus, sicut oportet operetur, illud idem obsonium supernaturali lumine apprehendit, & simul Christiano affectu appetit, sicque in eo reperitur cognitio & appetitio sensitiva, rationalis, & supernaturalis.

Primus agendi modus proprius est naturæ pecorinæ, & vitium in homine. Secundus est saltem sterilis & degener. Tertius est proprius filiorum Dei, juxta illud Apostoli Rom. 8. *Quicumque .... Spiritu Dèi aguntur, ii sunt filii Dei.* Videndum ergo quo quisque ducatur spiritu, an pecorino, an humano, an divino? Porrò sicut pecus sine lumine corporeo videre non potest, nec homo sine lumine rationali intelligere; ita nec justus, sine lumine supernaturali, hoc est, gratiâ actuali, supernaturaliter credere, & diligere. Præceptor in catechesibus suis potest sensus auditorum afficere, eorum mentibus suadere mysteria nostra esse credibilia: sed nisi Deus actuale fidei lumen interiùs infundat, auditores actu non credent nisi persuasione humanâ & prorsus sterili. Ergo gratia actualis non solùm peccatoribus, sed etiam justis est absolutè necessaria, continuòque à

Deo petenda, exemplo illius justi, qui in eodem Psalmo plusquam vicies sic Deum precatur: *Da mihi intellectum, & vivam, in viâ tuâ vivifica me.*

Hæc Gratiæ divisio & explicatio ordinem nobis præscribit, quem in hoc Tractatu servare debemus. Agendum nempe 1°. de gratiâ habituali, & de ejus speciebus, scilicet de sanctificante, & justificante; de virtutibus infusis, & de donis Spiritûs Sancti; 2°. de gratiâ actuali, & de illis, quæ ad eam spectant. Sed quia ingredimus viam salebrosam, in quâ varii errorum scopuli occurrunt, operæ pretium est referre quinam præcipui errores mysterium gratiæ impugnarint; nam ex Sancto Hieronymo, epistolâ ad Ctesiphontem errores damnantur, cùm deteguntur: quod præcipuè verum est, quando de iis Ecclesia tulit judicium, quod in nostrâ Historiâ non prætermittemus, ut ex illâ Clerici constantem Ecclesiæ Traditionem colligant: ita duce Ecclesiâ, & *velificante sancto Spiritu*, ut loquitur Tertullianus, *inter hos scopulos navigabit fides nostra, tuta si cauta, secura si attonita.*

Caput III.

Referuntur præcipui errores contra Gratiam Christi.

Paragraphus I.

De antiquioribus Gratiæ Christi hostibus.

Primò, Judæi præsumentes de suâ justitiâ quæ in lege est, rejecerunt Gratiam Christi

tanquam inutilem. Contra hunc capitalem errorem acriter pugnarunt Apostoli, maximè S. Paulus in epistolâ ad Romanos, & ad Galatas.

Secundò, Origenes ex falso principio, quod ex Platonicis hauserat, nempe animas fuisse creatas ante unionem cum corporibus; prædestinationemquorumdamreferebat non adChristi merita, sed ad bona opera, quæ præcesserant animarum unionem. Hinc sanctus Hieronymus epist. ad Ctesiphontem, erorem Pelagii vocat ramusculum Origenis. Sed ramusculus ille in magnam arborem excrevit, quæ ramos suos Oriente & Occidente latè produxit: & ex ejus radice ortæ sunt variæ hæreses.

Unde Pelagius vulgò censetur primus, qui Christi Gratiam apertè impugnavit.

Paragraphus II.

De Pelagianis.

Pelagius, natione Scotus, professione Monachus, anno 403. secundùm S. Prosperum, vel 405. secundùm alios, docuit inter cetera, 1°. Adamum fuisse conditum mortalem, & lapsu suo posteris nocuisse non propagatione, sed malo duntaxat exemplo; nec proinde infantes, qui sine baptismo decedunt, privari vitâ æternâ; 2°. Gratiam ad singulos actus non esse necessariam, & per opera naturalia nos illam promereri; 3°. ignorantiam & oblivionem non subjacere peccato, quoniam non eveniunt secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem. Hi & alii ejus errores proscripti sunt primùm in Synodo Carthaginensi anno 412. in ejus Discipulo Cælestio: deinde anno 415. in ipso, immo ab ipso Pelagio damnati sunt in Synodo Dios-

politanâ, quam Sanctus Hieronymus miserrimam appellat; quia delusa est subdolâ Pelagii professione, quâ confessus est absolutam gratiæ necessitatem, sed alio sensu, quàm Catholici; nomine enim gratiæ intelligebat creationem, conservationem, Evangelii prædicationem, &, secundùm Sanctum Augustinum, interiores etiam mentis illustrationes. Cùmque sua impia dogmata disseminare pergeret, damnata est rursùs Carthag. anno 416. & in Concilio Milevitano, eodem anno cui adfuit sanctus Augustinus; 3°. in Concilio Carthaginensi, in quo sederunt 214. Episcopi, anno 417. & à summis Pontificibus Innocentio I. & Zosimo: & sic per totum orbem hæresis proscripta est, ex S. Augustino, lib. de peccato originali cap. 17. Objecerunt Pelagiani, quòd controversia tanti momenti non fuisset discussa in Concilio œcumenico; quibus reponit sanctus Augustinus lib. 4. ad Bonifacium capite ultimo, his verbis: *Quasi nulla hæresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cùm potiùs rarissimè inveniantur, propter quas damnandas talis necessitas extiterit. Verùm istorum superbia hanc etiam captare gloriam intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregaretur. Orbem quippe Catholicum, quem (Domino eis resistente) pervertere nequeunt, saltem commovere conantur.*

Inter Pelagii discipulos, celebres extitêre Cælestius ejusdem cum eo patriæ & professionis, ex S. Augustino lib. de gestis Pelagii cap. 33. quem S. Hieronymus epist. ad Ctesiphontem, facit totius exercitûs ducem, ita ut Pelagiani ab ipso Cælestiani dicerentur: & Julianus Episcopus Capuanus, ex Gennadio, vel Celanensis aut Celianensis, ex Bedâ, præfatione in Cantica, vel potius Eclanensis sub Metropoli Beneventanâ, ut in Gennadio, Gelasio & Bedâ, legen-

dum esse censent eruditi. Hic novæ opinionis magis auctor, quàm Pelagianæ jam profligatæ sectator, docuit hominem sine gratiâ posse quidem orare, bonum velle, sed nullatenus operari posse, ex S. Augustino lib. 2. ad Bonifacium c. 8. Hinc idem Sanctus Doctor nominatim contra Julianum acuit calamum.

Paragraphus III.

De Semipelagianis.

Cum Sanctus Augustinus Pelagianos ubique proscriptos insectaretur, nonnulli scriptis ejus commoti sunt, ac præ ceteris Monachi Adrumetini in Africâ, quasi liberum arbitrium per gratiam destrui doceret; sed libris editis de gratiâ & libero arbitrio, & de correptione & gratiâ, quos misit ad Valentinum in Monasterio Adrumetino Præfectum, illos facilè placavit.

Longè difficilius fuit compescere Monachos Massilienses in Galliâ, qui ex posteriori libro de correptione & gratiâ scandalum passi, novum bellum instaurarunt eò periculosius, quòd essent viri pietate & doctrinâ insignes, ex sancto Prospero epist. ad S. Augustinum. Hi in articulis præcipuis à Pelagio dissidebant; nam cum Catholicis confitebantur peccatum originale & gratiæ necessitatem non solùm ad bene operandum, sed etiam, ad credendum. Sed audire non poterant, 1°. voluntates humanas à Deo præveniri; 2°. perseverantiam esse speciale Dei donum, quod quibusdam justis denegatur. Hæc fusiùs explicata, probata leguntur Tractatu de Incarnatione, ubi de merito Christi, p. 205. & seq.

Præterquam quod errores Semipelagianorum damnati fuerunt in Pelagio, contra illos ex-

presse scripserunt sanctus Augustinus libris de dono perseverantiæ, & de prædestinatione Sanctorum, S. Prosper, S. Leo, & alii benemulti, ac tandem pronunciavit Concilium Arausicanum secundum anno 539. sub Felice IV. Sic enim habet Can. 3. *Si quis dixerit ad invocationem humanam gratiam Dei posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur à nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ.* & Can. 5. *Si quis sicut augmentum ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, non per gratiæ donum, sed nobis naturaliter inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius reperitur.* & Can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus-sancti, hæretico fallitur spiritu.*

Quæ hactenus contra Pelagianos & Semipelagianos fuerant definita, Concilium Tridentinum constabilivit tribus canonibus sessionis 6. Sic enim habet Can. 1. *Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ, vel per legis doctrinam fiant, absque divinâ per Jesum-Christum gratiâ posse justificari coram Deo; anathema sit.* Can. 2. *Si quis dixerit ad hoc solùm divinam gratiam per Jesum-Christum dari, ut faciliùs homo justè vivere ... possit ... anathema sit.* & Can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.*

PARAGRAPHUS IV.

De Prædestinatianis.

PRædestinatiani ab impio dogmate sic dicti, ex scriptis sancti Augustini malè intellectis

docuerunt adversùs Semipelagianos 1°. Deum prædestinare ad damnationem æternam, quæ est mors secunda; & ad peccatum, quod est mors prima; 2°. Liberum hominis arbitrium post Adami peccatum fuisse extinctum; 3°. Deum non velle salvare nisi electos; 4°. Christum mortuum esse duntaxat pro illorum salute.

Quæstio movetur in Scholis, num reverà extiterint Prædestinatiani; sed sive extiterint, sive non extiterint, satis est ad nostrum institutum, quòd doctrina sancto Augustino & gratiæ efficacis defensoribus falsò ascripta, in se damnata fuerit ut impia, sicut reverà damnata est, 1°. in Concilio Arelatensi tertio, in quo Lucidus hanc impietatem retractare coactus est. Ejus retractationem integram refert Hincmarus lib. de Præstinat. cap. 1. 2°. in Concilio Arausicano secundo C. 25. his verbis: *Hoc etiam secundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sint qui tantum malùm credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.*

Objiciunt contra Concilium Arelatense, 1°. illud esse suppotititium; 2°. fuisse conflatum ex Semipelagianis, qui ut malè affecti contra S. Augustinum, genuinos ejus discipulos damnarunt.

Sed temerè id dicitur, tum quia nullus hactenus illud Concilium in dubium revocaverat, Hincmarus ejus meminit, & ut diximus, retractationem Lucidi integram refert; tum quia magni viri in illo Concilio sederunt, ut Prag-

matius Augustodunensis, & si credimus Baronio, Claudius Bizuntinus. Adfuit quidem Faustus Regiensis, cujus opus de Gratiâ & libero arbitrio tanquam Semipelagianismum redolens reprobavit Gelasius summus Pontifex: sed præterquamquod Concilium Arelatense non subscripsit illi operi, solùm ejus epistolæ ad Lucidum, quæ est catholica, credendum est Faustum ante mortem errores revocasse, cùm in Ecclesiâ Regiensi colatur ut Sanctus die 17. Januarii, nomenque ejus retinuerit martyrologium Gallicanum.

Gothescalcus Monachus nono seculo accusatus est restauratæ Prædestinatianæ hæresis. Coævos habuit defensores, & etiamnunc plures illum laudant quasi strenuum doctrinæ sancti Augustini vindicem adversùs calumnias, quibus Semipelagiani S. Doctorem uti Prædestinatianum infamare non erubuerant. Nihlominus Rabanus Moguntinus, & Hincmarus Remensis Gothescalcum tanquam gyrovagum & corruptis moribus Monachum pinxerunt, ejusque personam & doctrinam damnarunt, ille in Concilio Moguntino, iste in Concilio Carisiaco, ubi Gothescalcus virgis cæsus, Sacerdotii honore spoliatus & in carcere conclusus est donec sententiam suam retractaret, in quâ usque ad mortem permansit. Quidquid sit de Gothescalco, recensiti Prædestinatianorum errores proscripti sunt in Conciliis Moguntino, Carasiaco, Valentino, ac tandem in Tullensi, ad quod convenerunt Episcopi ex duodecim Provinciis. Concilium quidem Valentinum reprobat Carisiacos Canones, sed verbotenus propter simultates quasdam, quæ Episcopos inter utriusque Concilii intercesserant

rant; nam legenti patebit omnes ejuſdem fuiſſe ſententiæ circa quatuor capitula Prædeſtinatianorum.

Paragraphus V.

De Lutheranis & Calvinianis.

Lutherani & Calviniani Prædeſtinatianorum impietatem non ſolùm amplexi ſunt; ſed & portentoſos hactenuſque inauditos errores addidêre. 1°. Peccatum originale eſſe ipſammet concupiſcentiam, quæ cùm in baptiſatis remaneat, ſtatuunt.

2°. Peccatum in baptiſmo, ſeu in juſtificatione non deleri.

3°. Omnia opera Juſtorum eſſe peccata, ut conſtat ex catecheſi Calviniſtarum pro Dominicâ XIX. ubi ſic habetur: *Encore que nos œuvres ayent belle apparence par dehors, ſi ſont-elles mauvaiſes, parce que le cœur eſt pervers, lequel Dieu regarde.* Et in lectione ſequenti pro Dominica vigeſima, Magiſter ſic interrogat diſcipulum: *Comment nos bonnes œuvres ne ſont-elles pas dignes d'être acceptées puiſqu'elles procedent du Saint-Eſprit?* Reſpondet diſcipulus: *Non pas, à cauſe qu'il y a toujours quelques infirmitez de notre chair mêlées parmi, dont elles ſont ſouillées.*

4°. Deum peccatorem juſtificare per meram condonationem, & non imputationem, eo ferè modo, quo Princeps gratiâ ſuâ reum abſolvit, & eximit à pœnâ capitali quam promeritus eſt.

5°. Veram hominis juſtitiam, ſeu formam juſtificantem non eſſe aliquid creatum animæ inhærens, quo tanquam formali nitore reddatur ſancta, grata Deo: ſed eſſe, vel ſecundùm

Oſiandrum Lutheranum, juſtitiam Dei eſſentialem, quâ formaliter eſt juſtus: vel juſtitiam & merita Chriſti Domini, ſecundùm Calvinum, lib. 1. Inſtit. cap. 7. parag. 2. ubi ſic ſcribit: *Nos juſtificationem ſimpliciter interpretamur acceptationem, quâ nos Deus in gratiam receptos pro juſtis habet, eamque in peccatorum remiſſione, ac juſtitiæ Chriſti imputatione poſitam eſſe dicimus, ut pro juſtis in Chriſto cenſeamur, qui in nobis non ſumus.* Et Lutherus in caput ſecundum epiſtolæ ad Galatas: *Ergo fide apprehenſus & inhabitans Chriſtus eſt juſtitia Chriſtiana, propter quam Deus non reputat juſtos, & donat vitam æternam.* Hinc apud ipſis vulgare effatum, *Sola Fides eſt quæ juſtificat.* Ita Calvinus in antidoto ad Concilii Tridentini canonem 11. ſeſſ. 6. Ut autem definiant quæ ſit illa Fides,

Triplicem Fidem diſtinguunt, ſcilicet hiſtoricam, quâ credimus vera quæ enarrantur in Scripturis, & de quâ loquitur Apoſtolus Heb. 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei:* Fidem miraculorum, de quâ 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam;* & fidem promiſſionum, quâ confidimus Deo nobis ſpecialiter promittenti remiſſionem peccatorum. Porrò hæretici hanc ſolam poſtremam fidem juſtificare contendunt.

Fides autem illa, ut juſtificet, debet ſecundùm illos eſſe adeo certa, ut nullus ſit juſtus, niſi certò credat, & apud ſe ſtatuat ſe eſſe juſtum, ſeu peccata ſibi non imputari. Quin Calvinus & ejus ſectatores ulteriùs progrediuntur; volunt quippe juſtificatum non ſolùm debere pro certo tenere ſe eſſe juſtum, ſed etiam prædeſtinatum: ſicque Fides juſtificans ſit apud ipſos Fides, quâ certò credimus nos eſſe prædeſtinatos. *Verè fidelis non eſt,* ait Calvinus lib. 3.

Instit. cap. 2. parag. 16. *nisi qui divinæ erga se benevolentiæ promissionibus fretus, indubitatam salutis expectationem præsumit.*

Jamverò ex eo principio concludunt, 1°. omnes homines æqualiter esse justos; cùm omnium justitia sit Christi obedientia fide apprehensa; 2°. Justos non peccare, hoc est peccatum eis non imputari, quandiu illam fiduciam habent; 3°. neminem à justitiâ recedere, nisi amittendo fidem, ac proinde omne peccatum habere infidelitatem conjunctam, sive per quodlibet peccatum fidem amitti. Unde Lutherus lib. de capt. Babyl. ait: *Nulla peccata possunt damnare, nisi sola infidelitas;* 4°. omnia peccata prædestinatorum quantumcunque atrocia esse venialia; reproborum etsi videantur levia, esse tamen mortalia; 5°. justitiam nunquam posse amitti secundùm Calvinistas; proindeque qui post fidem & justificationem ad peccata redeunt ex diffidentiâ, eos nec veram fidem, nec veram unquam habuisse justitiam; 6°. Sacramenta in eo tantùm prodesse, quòd fidem excitent, quatenus sunt pignora promissionis divinæ nobis factæ; & verba sacramentorum non esse consecratoria, sed concionalia; quia sola concio apta est ad fidem excitandam; 7°. solis prædestinatis Sacramenta prodesse, juxta Calvinistas; quia soli habent certitudinem & fiduciam, quòd sint prædestinati. Cùm autem difficile sit habere talem fiduciam, quæ omnem dubitationem excludat, docent illam esse Dei donum. Hinc in Catechismo pro Dominicâ 18. ubi de Fide justificante sermo est, de eâ sic interrogat Magister; *La pouvons-nous avoir de nous-mêmes?* Respondet discipulus: *L'Ecriture nous enseigne que c'est un don singulier de Dieu. Comment?* R. *Parce que no-*

tre entendement est trop debile, & nos desirs trop enclins à défiance ou fiance perverse de nous, ou des creatures; mais le Saint-Esprit nous illumine pour nous faire capables d'entendre, ce qui autrement nous seroit incomprehensible, & nous fortifie en certitude scellant & imprimant les promesses de salut en nos cœurs.

Quòd si illis objicias Fidem qualemcunque esse actum à nobis elicitum, ac proinde juxta eorum doctrinam concupiscentiâ infectum, & minùs idoneum ad justificandum.

Respondebunt, Fidem justificantem duobus modis spectari posse: 1°. ut opus ab humanâ voluntate profectum, & hoc modo concedunt eam non justificare propter rationem allatam; 2°. ut organum, seu instrumentum, quo justitia sive Dei sive Christi apprehenditur, & hoc sensu est instrumentaliter non verò meritoriè justificans: quemadmodum manus, quâ pauper eleemosynam à divite recipit, dici non debet, nec potest causa meritoria eleemosynæ.

Porrò etiam si Fides justificet in hæreticorum sententiâ; vera tamen Fides non est sine operibus. *Scio*, inquit Lutherus in caput 15. Geneseos, *has virtutes esse insignia Dei dona. Scio fidem sine his donis non existere; sed nunc nobis quæstio est quid cujusque proprium sit: tenes manu varia semina, non quæro ego, quæ quibus conjuncta sint, sed quæ cujusque propria virtus sit. Hic apertè dico, quid faciat so'a Fides, non cum quibus virtutibus conjuncta sit.* Eamdem sententiam sequuntur Calvinistæ in suo Catechismo pro Dominicâ vigesimâ, ubi Magister sic interogat: *Pouvons-nous croire pour être justifiez, sans faire bonnes œuvres?* Respondet discipulus: *Il est impossible; car croire en Jesus Christ, c'est le recevoir tel qu'il se donne à nous*

Or il nous promet de nous regenerer par son Esprit, pour nous faire vivre saintement. La Foi donc ne nous rend pas non chancelans à bonnes œuvres? ait Magister; & respondet discipulus : *Il en est ainsi.*

Ergo in sententia Heterodoxorum justificatio non est sine mutatione ; cùm fiat per actum fidei quæ in justificato bona opera producit. Verùm illa mutatio non est essentialis, nec intrinseca justificationi, sed quid merè consequens : *Sola fides necessaria est ut justi simus*, ait Lutherus in caput secundum epistolæ ad Galat. *Cetera omnia liberrima, neque præcepta ampliùs, neque prohibita. Si conscientia dicta, peccasti. Responde, Peccavi. Ergo Deus puniet, & damnabit ; non. At lex hoc dicit, sed nihil mihi cum lege. Quare? quia habeo libertatem.* Et in argumento ejusdem epistolæ : *Summa ars & sapientia Christiana est nescire legem, ignorare præcepta, & totam justitiam activam.* Luthero concordat Calvinus lib. 3. Instit. c. 19.

Hos omnes & singulos errores Concilium Trid. anathemate percellit, sess. 5. can. 5. & sess. 6. viginti duobus canonibus omnino consulendis.

Paragraphus VI.

De Baïo.

Michaël Baïus, Academiæ Lovaniensis Doctor & Decanus, redux ex Concilio Tridentino, ad quod missus fuerat à Philippo secundo Hispaniarum rege, 78. propositiones evulgavit, quarum 2. sic se habet, *Nullum est peccatum ex suâ naturâ veniale ; sed omne peccatum meretur æternam pœnam.* 21. *Humanæ naturæ sublimatio & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* Ex quâ

propositione sequitur 54. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata.* 35. *Omne quod agit peccator vel servus peccati peccatum est.* Cui propositioni respondet 16. *Non est vera legis obedientia sine charitate:* & 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* Ex quibus principiis eruuntur tres sequentes propositiones, silicet 53. quæ sic jacet: *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò attribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.* & 65. *Sola violentia repugnat hominis libertati naturali.* & 66. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.* Damnatas hujusmodi propositiones à Pio V. anno 1567. & à Greg. XIII. anno 1579. revocavit Baïus anno 1580. Sed errorum ejus scintillæ in Jansenio ejusdem Academiæ Doctore, & postmodum Episcopo Iprensi, in majus incendium exarserunt, cui ut se opponeret Urbanus VIII, iterum damnavit Baïi propositiones, confirmavitque Bullas Pii V. & Gregorii XIII. Sed receptæ non sunt in Galliis: anno quidem 1644. delatæ sunt ad sacram Facultatem Parisiensem ab ejus Syndico, qui hoc unum obtinere potuit, nempe ut Baccalaureis non liceret propugnare in suis thesibus propositiones in Bullis proscriptas.

Dices pro quinquagesimâ-quartâ Baii propositione; nullus sub Deo justo miser esse potest sine suâ culpâ: atqui si homo talis crearetur, qualis nunc nascitur, sine suâ culpâ esset miserrimus. Namque 1°. morti, & innumeris corporis ærumnis subjaceret; 2°. Legem naturalem implere non posset, nec proinde peccata vitare propter ignorantiam & concupiscentiam, quæ sine gratiâ moralem peccandi necessitatem inducunt; 3°. careret fine debito,

qui non potest esse nisi supernaturalis & intuitiva dei visio. Ergo.

Confirmatur ex S. Augustino, qui lib. 4. contra Julian. cap. 16. & ultimo, colligit ex miseriis, quibus obnoxii homines nascuntur, necessariò præcessisse aliquod peccatum : sic enim alloquitur Julianum, qui negabat peccatum originale. *Parvulos intuere, quot & quanta mala patiantur, in quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescant. Deo jam grandes, etiam Deo servientes tentat error ut decipiat, tentat labor aut dolor ut frangat, tentat libido ut accendat, tentat mœror ut sternat, tentat typhus ut extollat... Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi veterisque peccati? Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus; restat quod non vis, sed cogeris confiteri, quòd grave jugum super filios Adam à die exitûs de ventre matris eorum usque in diem sepulturæ in matrem omnium non fuisset, nisi delicti originalis meritum præcessisset.*

Distinguo majorem. Sine culpâ nemo miser esse potest miseriâ propriè dictâ, quæ habet rationem pœnæ, Concedo: omnis enim pœna, si justa sit, necessariò supponit culpam: miseriâ impropriè dictâ, quæ est naturalis defectus, Nego majorem; nam ex S. Augustino lib. 3. de lib. arbitrio c. 23. *Deus sapientissimè belluas peccati incapaces variis doloribus obnoxias quotidie producit.* Distinguo similiter minorem, homo esset miserrimus miseriâ impropriè dictâ, & quæ sequitur naturæ ejus conditionem, quemadmodum rubigo sequitur naturam ferri, Concedo; propriè dictâ, & quæ sit pœna præcedentis culpæ, Nego minorem.

Ad id autem quod objicitur de concupiscentiâ, & de ultimo fine,

Respondeo 1°. distinguendo, ex concupiscentia nascitur moralis impotentia implendi legem, & vitandi peccata : si gratia desit ; nascitur, inquam, in hoc statu, in quo natura per peccatum vulnerata est in naturalibus, Concedo : in illo statu possibili, in quo nec natura esset corrupta, nec concupiscentia ita arderet, nec deessent auxilia naturalia, quibus homo suum finem consequi posset, Nego. Si enim aliqui nunc sunt à naturâ minùs propensi in incontinentiam, quidni & tunc, ita providente Deo, possent homines minùs molestam ac violentam concupiscentiam pati, cùm præsertim nec peccati supplicium foret, nec dæmon aliquis importunis tentationibus ingrueret?

Nec dicas hanc responsionem pugnare contra Summorum Pontificum Constitutiones; cùm enim damnarunt hanc propositionem; *Non potuisset Deus ab initio creare hominem, qualis nunc nascitur*, definierunt duntaxat hominem potuisse creari sine gratiâ supernaturali cum ignorantiâ, concupiscentiâ, & aliis miseriis, abstrahentes ab illâ difficultate, num in illo statu possibili concupiscentia accederetur sicut in isto.

Respondeo 2°. quoad defectum ordinationis ad finem supernaturalem, non una est Theologorum sententia ; alii enim admittunt statum naturæ puræ ita possibilem, ut perpetuus esse non possit, contenduntque hominem sine gratiâ & cum concupiscentiâ creatum, aliquando transferendum ad statum supernaturalem, cui visio Dei intuitiva responderet tanquam necessarius hominis finis. Alii, & quidem meliùs, & magis ad mentem Summorum Pontificum, ut nobis videtur, perpetuum illum statum possibilem asserunt : tùm quia vita æterna non

minùs est indebita quàm gratia: tum quia sublimatio naturæ humanæ ad gloriam non potest esse nisi per gratiam: si itaque prior est debita, ergo & posterior, quod tamen pugnat contra Constitutiones Pii V. & Gregorii XIII.

Instabis: S. Augustinus serm. 294. aliàs 140. de verbis Apostoli scribit inauditum esse in Ecclesia, & à mente fidelium extirpandum errorem eorum, qui statuunt vitam beatam præter regnum Cœlorum. *Venturus Dominus*, inquit, *& judicaturus de vivis & mortuis, duas partes facturus est, dexteram & sinistram .... Nullus relictus est medius locus ubi ponere queas infantes ... ecce in dexterâ regnum Cœlorum est*, percipite, *inquit*, regnum. *Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra Ite in ignem æternum.* Ergo non est medium, in quo quiescere liceat.

Distinguo consequens: non est medium in hoc statu, Concedo: in statu possibili, Nego consequentiam. Enimverò Sanctus Doctor eo loci refellit Pelagianos, qui negabant peccatum originale, statuebantque parvulos sine baptismo decedentes excludendos quidem à regno Cœlorum, non verò à vitâ æternâ quam mediam fingebant inter regnum Cœlorum & damnationem. Illud verò fictitium esse & Catholicæ fidei repugnans luculenter demonstrat ex Scripturis, quas illi hæretici admittebant. Quòd autem S. Augustinus in statu naturæ puræ possibili agnoverit mediam vitam, regnum Cœlorum inter & supplicium; patet ex libris, quos scripsit contra Manichæos, qui etiam peccatum originale negabant asserentes hominem ab initio fuisse conditum, qualis hodie nascitur, scilicet obnoxium corporis miseriis, & effrenis concupiscentiæ motibus. Unde arguebant Deum non esse rerum omnium aucto-

rem ; quia ex eodem fonte fluere non potest bonum & malum , spiritus & caro, ratio, &, quæ rationi adversatur , concupiscentia. Sanctus autem Augustinus ex Scripturis illos refellere non poterat, quemadmodum Pelagianos: utpote qui rejecerunt Scripturas veteris Testamenti , in quibus commemoratur Deum fecisse hominem rectum, & implevisse cor ejus sapientiâ & intelligentiâ , ex quo sequitur cæcitatem & inordinationem , quæ hodie in illo cernuntur esse pœnam præcedentis peccati. Quid igitur consilii capiet Sanctus Doctor ad evertendam Manichæorum impietatem , quâ definiebant duo esse rerum Principia ? Ex eorum hypothesi quamvis falsâ, argumentatur , probatque Deum esse laudandum , nec admittendum aliud rerum principium , etiamsi ignorantia & concupiscentia essent hominis primordia naturalia. Verba illius sunt lib. 3. de lib. arbitrio cap. 20. *Si ergo altera* (anima) *talis esse cœpit , non solùm ante peccatum , sed ante omnem vitam suam qualis alia post vitam culpabilem facta est , non parvum bonum habet , unde Conditori suo gratias agat . . . non solùm quòd anima est , quâ naturâ jam omne corpus præcedit , sed etiam quòd facultatem habet , ut adjuvante Creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante , & ab ignorantiâ excæcante liberetur. Quòd si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia & difficultas* (id est concupiscentia) *supplicium peccati ; sed proficiendi admonitio , & perfectionis exordium.* & cap. 22. *Ignorantia & difficultas , si naturalis est , inde incipit anima proficere , & ad cognitionem & requiem , donec in eâ perficiatur vita beata , promoveri.* Quòd autem beata illa vita sit quid medium inter supplicium & regnum cœlorum , patet ex capite 23. ejus-

dem libri, ubi agens de miseriis corporis & cruciatibus, quibus vexantur parvuli, & ex hac vita decedunt, sic scribit: *Metuendum non est, ne vita media esse potuerit inter rectè factum, atque peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium & supplicium.* Ne autem dicant adversarii Sanctum Augustinum retractasse quod junior scripserat in libris de libero arbitrio, obstant quæ habentur lib. 1. retractationum cap. 9. & cap. 11 lib. de dono perseverantiæ, quem sub finem vitæ suæ edidit, sic scripsit: *Etiamsi verum esset, quod dicunt Pelagiani, ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ; vincerentur tamen Manichæi, qui volunt duas, boni scilicet & mali, coæternas esse naturas; nempe quia Deus non esset culpandus, sed laudandus.*

Atque ex his patet responsio ad confirmationem ex auctoritate S. Augustini suprà allatam contra possibilitatem naturæ puræ, nimirum Sanctum Doctorem scribere contra Pelagianos non de statu possibili, sicut contra Manichæos, sed de statu existente, in quo homines nascuntur in speciali eâ rectitudine, in quâ natura humana fuerat condita, contenditque illam mutationem non potuisse fieri vel sine Dei iniquitate aut impotentiâ, quod dicere aut cogitare summum nefas; vel sine peccato præcedente, quod nostra Religio docet.

Urgebis: Ille finis non potest dici ultimus, quo obtento appetitus non quiescit: atqui appetitus hominis quiescere non potest in cognitione Dei abstractivâ, quarumcunque perfecta supponatur; visis enim effectibus naturaliter appetimus videre causam. Unde S. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 50. sic scribit. *Felicitas*

substantiarum separatarum non est in illâ cognitione, quâ Deum per suas substantias cognoscunt, cùm earum desiderium eas ducat usque ad Dei substantiam, Ergo homo in statu naturæ puræ careret fine ultimo, ac proinde status ille nequit esse perpetuus.

Nego minorem, cujus confirmationem distinguo, visis affectibus appetimus videre causam appetitu elicito, Concedo: appetitu innato, Nego; Appetitus innatus dicitur, qui à naturâ statim oritur nullâ præsuppositâ rationis inquisitione, ut appetitus scientiæ, & beatitudinis in communi, ad quas homo necessariò fertur statim atque seipsum sentit. Appetitus verò elicitus is est, qui ex concursu quarumdam circunstantiarum excitatur & determinatur, ut appetitus videndæ causæ effectuum, quos miramur, sciendi artem medicam parentis exemplo & suasione, fruendi voluptatibus tanquam summo bono ex carnis titillatione.

Innatus appetitus, cùm sit à Deo movente creaturas ad fines suos, non potest quin sit rectus, & rei possibilis saltem in genere; quia Deus nihil facit frustrà. Hinc ex innato homini appetitu scientiæ & beatitudinis, certò colligimus scientiam & beatitudinem in communi absolutè ipsi esse possibilem. Sed appetitus elicitus plerumque est inordinatus, & rei impossibilis, ut in primis parentibus appetitus pomi vetiti, & scientiæ boni & mali, quam serpens promiserat. Quare etiamsi homo in statu naturæ puræ appeteret videre primam causam ex admiratione ordinis universi, elicitus ille appetitus esset frustraneus, utpote rei in illo statu impossibilis.

Portò nisi homo sit ordinatus ad finem supernaturalem, appetitus ejus innatus quiescit obtentâ suâ ultimâ naturali perfectione, quam diximus consistere in perfectissimâ Dei cognitione abstractivâ, & virtutum moralium possessione exclusis omnibus corporis ærumnis. Nec elicitus appetitus videndæ primæ causæ magis illum cruciaret in illo possibili, quàm in nostro statu nugatorius appetitus unionis hypostaticæ, aut visionis Dei comprehensivæ, utpote qui sit rei impossibilis, & indignus homine sapiente.

Dixi: *nisi sit ordinatus ad finem supernaturalem*: nam si id cognoscat, non poterit in alio quiescere juxta illud sancti Augustini, *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Idem dicendum de substantiis separatis à materiâ, seu de Angelis, de quibus S. Thomas in objectione laudatus. Veritas nostræ responsionis elucescet familiari illius exemplo, cui cùm jure hereditario debeatur regia dignitas, ab ea excluditur sive suâ culpâ, sive æmulorum injustitiâ. Hic quippe quantumcunque divitiis tumulatus, & aliis honoribus amplificatus, sortem suam ægrè feret in quâ alter, qui ad illud dignitatis fastigium natus non est, felicem se arbitraretur. Unde parvulos sine baptismo vitâ functos angi necesse est, etiam in falsâ hypothesi quorumdam modernorum, quòd omnibus naturalibus donis sint perfecti.

Paragraphus VII.

De Jansenio.

Cum Jansenius ex Doctore Lovaniensi, Episcopus Iprensis anno 1638. diem ex-

tremum clausisset anno sequenti liber ab ipso exaratus typis mandatus est sub hoc titulo, *Augustinus Collegii Jansenii*, quasi in illo opere exponatur genuina sancti Augustini doctrina à recentioribus non satis intellecta, & antiquioribus Patribus, maximè Græcis, incognita; ait enim lib. de hæresi Pelagianâ cap. 4 aliquid Patribus maximè Græcis, ex pulvere subtilissimi erroris Semipelagianorum adhæsisse. Unde effatum est apud ejus sectatores in quæstionibus de Gratia, minimè esse consulendos Patres Augustino antiquiores. Quam sententiam mutuari videntur à Lutheranis, & Calvinistis. Melanchthon quippe in apologiâ Confessionis, ait de sententia Lutheri circa Gratiam & liberum arbitrium, *tota Augustini est*, & in epistolam ad Galat. *Augustinus alicubi dicit argutiùs, multa Lutherus diligentiùs*. Calvinus quoque lib. 2. Instit. cap. 2. paragr. 4. sic habet; *Tametsi Græci præ aliis, atque inter eos singulariter Chrysostomus in extollendâ humanæ voluntatis facultate modum excesserint, veteres tamen omnes, excepto Augustino, sic hâc in re aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, ut certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat*. Sed refelluntur ex testimonio ipsiusmet sancti Doctoris, qui lib. de dono perseverantiæ cap. 23. sic scribit: *prædestinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos* (Semipelagianos) *novâ sollicitudine nunc defenditur, nunquam Ecclesia Christi non habuit*. Quin & ipsimet Semipelagiani confitebantur se in antiquis nihil invenisse, quod faveret suo novo dogmati, ut observavimus in tractatu de Incarnatione, ubi de Christi sanguine fuso pro omnibus.

Prodiit Jansenii liber communi Catholicorum offensione; cumque multa in illo sparsim scripta reprehenderentur, Theologi Parisien-

ses illa in quinque Propositiones collegerunt, quas Clerus Gallicanus ad Innocentium X. detulit. Quàm autem fideliter ex eodem libro excerptæ fuerint, patebit ex sequenti schemate sic dispositu, ut in prima columna cernantur famosæ illæ Propositiones, & in altera ex opposito legantur ipsiusmet Jansenii textus ex bene multis electi.

PROPOSITIONES ex libro Jansenii excerptæ.	*JANSENII Textus.*
I.	*I.*
Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.	Lib. 3. de gratiâ Salvatoris cap. 13. sic legitur longè post medium *Hac igitur omnia plenissimè, planissimèque demonstrant nihil esse in sancti Augustini doctrinâ certius ac fundatius, esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus excæcatis, induratis, sed fidelibus quoque, & justis, volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, quâ possibilia fiant.*
II.	*II.*
Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.	Lib. 2. cap. 25. *Hæc est vera ratio, cur nulla omnino medicinalis gratia Christi effectu suo careat: sed omnis efficit, ut voluntas velit, & aliquid operetur.* Et c. 27. *Nihil verius dici potest, quàm quòd omnia, quæ hactenus protulimus de gratiâ efficaci, Augustinus dixerit & intellexerit; cujus rei causa est quòd nullam agno-*

vit aliam actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuerit.

III.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.

III.

Lib.8. de gratiâ Christi Salvatoris cap. 20. sic scribit Jansenius: *respondetur quandiu hîc vivimus, sive in infidelitate ante gratiam, sive jam sub gratiâ, indifferentiam ad contraria semper inesse libero arbitrio; sed non eo modo quo isti Scholastici putant, quos suprà diximus, qui quocunque modo arbitrium, sive gratiæ, sive peccati delectationibus imbuatur, semper existimant cum utrâvis ejus dispositione posse fieri ut utrumlibet velit sive bonum sive malum.* Quo autem sensu accipiat illam indifferentiam ad contraria, mentem suam aperit in decursu capitis, ubi sic habet, *quia quantumcunque ad peccandum peccati voluptate trahatur, manet in arbitrio illa saltem naturalis flexibilitas, seu capacitas*, quâ scilicet vel per concupiscentiam, vel per gratiam flecti potest, quamvis per utramque necessariò determinetur. Et cap. 21. objicit sibi Calvinum non negasse istam gratiæ & liberi arbitrii concordiam, utpote qui doceat hominem gratiæ obsequi voluntariè. Tùm respondet: *Non omnia, quæ hæretici docent, sunt hæretica .... quòd si quâ in re Calvinus cum Augustino, & antiquis Patribus senserit, non propter Calvinum Augustino indignandum, sed propter Augustinum Calvino potiùs gratulandum.* Sed arguit Calvinum, quòd in ejusmodi voluntario, quamvis necessario, non agnoverit liberum arbitrium, boni & mali electionem, consentiendi potestatem, quæ reverâ cum necessitate non consistunt. Unde patet Jansenium à Calvino differe duntà-

xat in modo loquendi. Lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 20. & sequentibus, ubi sibi objicit tùm S. Augustinum sic definientem, *Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, unde liberum est abstinere*: tùm propositionem à summis Pontificibus in Baïo damnatam; *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.* Respondet, *hæc intelligenda esse de peccato, quod non est pœna peccati, quale fuit peccatum primi parentis, ad quod cùm liberè damnaverit, necessitas inde consequens censetur libera.*

IV.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Propositionis duæ sunt partes Prima est historica, & ad factum pertinet, nempè quòd Semipelagiani admiserint prævenientis gratiæ interioris necessitatem, etiam ad initium fidei. Secunda est dogmatica, scilicet hæresim esse, si doceatur humanam voluntatem posse in hoc statu resistere, vel obtemperare gratiæ.

IV.

Jansenius l. 2. c. 12. de gratiâ Christi Salvatoris, sic scribit: *Memoriâ recolendum est quod alio latissimè tradidimus, Semipelagianos ad illud initium fidei, orationes, desideria, aliosque similes actus, quos hominis in potestate remansisse sentiebant, veræ, internæ, actualisque gratiæ adjutorium statuisse necessarium, & hoc ipsum S. Augustinum, quando eum Semipelagianis errabat, admisisse, istam verò suam gratiam sentiebant non semper otiosam præbere potestatem ..., sed ita dare credendi facultatem, ut homo pro arbitrii sui libertate, gratiâ juvante crederet.* Lib. 3. cap. 1. post medium:

est adjutorium, quod Massilienses ad credendum necessarium esse, atque ita sufficere statuerunt, ut cum eo credere posset homo, si vellet: qui tamen tanquam hæretici proscripti sunt, non aliam sanè ob causam, nisi quia tale auxilium homini sufficere putarent.

V.

Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse; sed mortuus est duntaxat pro salute prædestinatorum.

Duæ quoque hujus propositionis sunt partes. Prima, quòd Semipelagianum sit dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse. Secunda, quòd mortuus sit duntaxat pro salute prædestinatorum.

V.

Lib. 3. de gratiâ Christi Salvatoris c. 21. sic habetur: *Illa extensio tam vaga modernorum Scriptorum non ex alio capite, quàm ex istâ generali & indifferente voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illâ sufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit, quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius & antiqua Ecclesia velut machinamà Semipalagianis introductam repudiavit.* Verbis autem immediatè præcedentibus definit Christũ non esse mortuũ pro aliorum salute, quàm prædestinatorũ: *nullo modo*, inquit, *principiis ejus* (Augustini) *consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute* (nota nomen æternæ salutis, non enim negat pro reprobis mortuum quoad gratias temporales, *mortuus esse, sanguinem fudisse, seipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur. Scivit enim quo quisque jam ab æterno prædestinatus erat, scivit hoc decretum, neque illius pretii oblatione mutandum esse, nec*

seipsum velle mutare. Ex quo factum est, ut juxta sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro æternâ liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit. Sed si quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibusdam justitiæ effectibus rogavit, & pro eisdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum.

Prædictas quinque Propositiones Innocentius X. auditis partibus pro & contra contendentibus, damnavit anno 1653. Primam, ut temerariam, blasphemam, hæreticam, & jam anathemate damnatam; Secundam & tertiam ut hæreticas; Quartam, ut falsam & hæreticam; Quintam ut falsam temerariam & scandalosam quoad primam ejus partem: & ut impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ voluntati derogantem, & hæreticam quoad secundam ejus partem.

Jansenii defensores professi sunt se acquiescere judicio Sedis Apostolicæ, sed verbo tenus, & hæreticorum more, qui, ut advertit Tertul. lib. de præscrip. cap. 26. *aliam fidei regulam disseminant inter domesticos, aliam in publicum proferunt; aliud designant in aperto, aliud in foro.* Ariani, v. g. post definitionem Concilii Niceni dixerunt cum Catholicis, Filium Dei esse Patri per omnia similem, sed hæretico sensu. Pelagius in Concilio Diospolitano, ne à communione Ecclesiæ exscinderetur, confessus est subdolâmente gratiam ad singulos actus esse necessariam. Nestorius eodem spiritu hæretico scripsit ad Alexandrum Hierapolitanum, *non duas, sed unam personam facimus.* Sic Jansenii Defensores post Sedis Apostolicæ judicium, evulgarunt se propugnasse duntaxat doctrinam S. Augustini, quam Jansenius veraciter explicat contra Molinistarum errores; ac damnatas quinque

Propositiones semper se damnasse, & iterum damnare. Sed quo sensu?

Exposuerunt in libello de triplici sensu, quem Innocentio decimo post latam Constitutionem obtulêre. In illo autem libello declarant, 1°. se admittere gratiam sufficientem in Justis, qui non perseverant, si per gratiam sufficientem intelligatur, vel gratia habitualis, vel gratia actualis remota, quæ totum habet effectum, ad quem datur à Deo; 2°. Gratiæ interiori in hoc statu resisti, quatenus Justus dum cadit, resistit inclinationi gratiæ tùm habitualis tùm actualis remotæ, cum Dei offensa ejusmodi gratiis repugnet; 3°. hominem constitutum sive sub gratiâ, sive sub concupiscentiâ, posse dissentire vel consentire; quia habet voluntatem essentialiter electivam; 4°. Christum pro omnium salute mortuum, quatenus naturam humanam omnibus hominibus communem gerebat, pretium pro omnibus salvandis sufficiens, obtulit & pro omnibus hominum generibus, conditionibusque mortuus est, quamvis sanguinem suum non obtulerit pro singulis cujusque generis.

Refelluntur 1°. Quia extra motam controversiam excurrunt. Quis enim ex Catholicis unquam asseruit Justum carere gratiâ habituali, aut peccatum eidem gratiæ habituali, vel etiam actuali non repugnare? Quis in dubium revocavit, num homo sive sub gratiâ, sive sub concupiscentiâ constitutus, retineat humanam voluntatem? num Christus gesserit naturam humanam omnibus hominibus communem, pretium obtulerit sufficiens pro salvandis omnibus & singulis hominibus; cùm insuper sufficiat pro liberandis omnibus dæmonibus? Num denique aliquos ex quolibet hominum

genere, putà ex Judæis & Gentilibus, ex adultis & parvulis salvaverit, adeo ut necessum fuerit interpellare Sedem Apostolicam, ut definiret quid sentiendum esset in his, quæ in confesso sunt apud omnes, doctos & indoctos?

Refelluntur, 1°. Quia juxta Jansenii defensores, æquè ac Catholicos falsæ sunt istæ propositiones, nec omnino ferendæ. 1°. *Homo per gratiam habitualem sanatus potest implere Dei mandata*, quia ex sancto Augustino sic se habet Justus sine lumine supernaturali ad bene operandum, sicut oculus perfectè sanus sine lumine corporali ad videndum. 2°. *Homo solâ voluntate sibi innatâ potest concupiscentiam effrenem cohibere, gravi tentationi resistere, & ea quæ legis sunt perficere. Homo operari potest ultra gratiam & motionem divinam.* Atqui in sensu à Defensoribus Jansenii allato veræ & tolerandæ sunt ejusmodi propositiones; dicunt enim mandata Dei esse possibilia homini justo per gratiam habitualem; vel per gratiam actualem, quæ à Deo non datur ad operandum: hominem sine gratiâ posse resistere ingruenti concupiscentiæ, & ea quæ legis sunt perficere; quia habet volunratem, quæ est facultas essentialiter electiva, resisteretque & operaretur, si vellet. Nec satis est ipsius hujusmodi sophismata & æquivocationes fabricasse; sed volunt insuper Summum Pontificem iis usum fuisse in sua Constitutione, & eo sensu ab omnium mente & loquendi more alieno intelligendas esse ejus definitiones.

Nec dicant se loqui in suo libello de potentiâ remotâ, quam habet homo sive per voluntatem sibi innatam, & ad contraria flexibilem, sive per gratiam habitualem, sive per actualem remotam. Is enim falsò dicitur habere potentiam remotam; qui caret mediis, quibus ad

terminum pervenire possit: v. g. falsò diceretur quis per primum scalæ gradum remotè posse ultimum attingere, si desint gradus intermedii, per quos successivè attingere possit. Porro in eorum sententiâ mandata Dei. sunt remotè possibilia, etiamsi desit gratia, per quam proximè possibilia fiant.

Meritò itaque Innnocentius X. anno 1654. in generali Inquisitionis Congregatione damnavit libellum de triplici sensu, & librum Jansenii proscripsit.

Clerus Gallicanus acceptum Sedis Apostolicæ decretum, & auctoritate regiâ munitum promulgare parabat, cùm Defensores Jansenii opposuerunt decreta è tribunali Inquisitionis emanantia nullius esse auctoritatis in Gallia. Præsules Gallicani morem gessêre, rogaveruntque summum Pontificem, ut quod supererat controversiæ eâ formâ & solemnitate definiret, quam postulabant isti. Annuit Alexander VII. successor Innocentii X. ediditque Constitutionem anno 1656. cujus hæc verba sunt ponderanda: *Licèt ea quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, novæ declarationis accessione non indigeant: quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur.* & infrà. *Cùm autem sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii prædictas quinque Propositiones in libro Jansenii prædicto non reperiri; sed fictè & pro arbitrio compositas esse vel etiam sensu ab eodem intento damnatas non esse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo non reformidant, Nos ..... præallatam Innocentii prædecessoris nostri declarationem, constitutionem, ac definitionem harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propositiones ex libro præmemorati*

Cornelii Jansenii .... excerptas , ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse declaramus ac definimus , ac uti tales .... iterum damnamus , ac eumdem librum sæpè dicti C. Jansenii , cui titulus est , Augustinus , *omnesque alios tam manuscriptos , quàm typis editos , & si quos forsan edi contigerit , in quibus ejusdem prædicti C. Jansenii doctrina ut suprà damnata defenditur , vel astruitur : aut defendetur & astruetur , damnamus iterum atque prohibemus.* Quid ultrà ad continendos animos in unitate ejusdem fidei desiderari poterat ?

Verùm Defensores Jansenii relictâ quæstione juris ad quæstionem facti excurrerunt novâque lite Ecclesiam lacessivêre. In quâ sanè lite non videntur audiendi,nisi priùs acquiescant iis quæ definita sunt circa quæstionem juris , palàmque confiteantur se recedere à subdolis interpretationibus , quibus, ut verbis Alexandri VII, utamur, Constitutionem Innocentii X. labefactare non sunt veriti , apertèque damnent (quod hactenus non præstitêre) prædictas quinque propositiones eo sensu, quo damnatæ sunt à summis Pontificibus Innocentio X. & Alexandro VII.& receptæ eorum Constitutiones ab Ecclesiâ Gallicanâ,ne falsis eorum interpretationibus quæstio juris cum quæstione facti recurrat.

Quæstio autem juris est , an quinque propositiones eo sensu , quo damnatæ sunt , sint reverà falsæ:quæstio verò facti, utrùm eædem Propositiones fideliter excerptæ sunt ex libro Jansenii , & in eo reperiantur.

Negarunt Defensores Jansenii contendentes in hâc quæstione non esse opus judice, sed sanis oculis quibus librum evolvere liceret : Ecclesiam in quæstionibus facti dirimendis falli posse, ac proinde fideles in hâc parte non teneri illi obtemperare , nisi religioso silentio.

Refelluntur 1°. quia ad illum Judicem recurrere necesse est, ejusque judicio standum, quem ipsemet Jansenius appellavit, & cujus judicio adhærere se professus est: atqui Jansenius Summum Pontificem libri sui, & doctrinæ in eo contentæ judicem appellavit, illudque religiosi sui animi & obedientiæ testimonium posteris reliquit, quo in extremis positus, professus est se esse obedientem filium illius Ecclesiæ, in cujus sinu fide enutritus est, nec ab ejus judicio velle unquam recedere. Prolato igitur Sedis Apostolicæ judicio, terminata est Jansenii causa; frustrà jam adversarii patrocinium ejus suscipiunt, quin potiùs illum sibi exprobrantem audiant: Quid æmulamini pro me? Doctrina, quam in libro meo tradidi, jam non est mea; quia nec Sedis Apostolicæ: pareo ejus judicio; cum ipsâ respuo & damno librum, & excogitatas à vobis verborum meorum interpretationes: si me præeuntem sequi non vultis, causam non meam, sed vestram & me judice iniquam agitis.

Refelluntur 2°. etiam in hypothesi, quòd Ecclesia in elucidandis quæstionibus facti, non sit infallibilis auctoritatis, cùm ad revincendos adversarios ingredi hanc juris quæstionem necesse non sit 1°. quia prudentiæ virtus non nititur principiis omnimodè, &, ut aiunt, metaphysicè, sed moraliter duntaxat certis, quemadmodum dicemus ubi de Conscientiâ. Hinc omnium judicio peccarent contra prudentiam simul & debitam obedientiam, qui docenti Parocho, & præcipientibus parentibus aut dominis non acquiescerent eo prætextu, quod falli aut fallere possent. *Delicata satis*, (inquit S. Bern. lib. de præcept. & disp. c. 10.) *imò nimis molesta est hujusmodi obedientia*, quam imme-

immediatè antè descripsit, scilicet, *malè suspicari de omni præcepto, cujus causa latuerit; nec unquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter licere seu expedire monstraverit, vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas.* 2°. Quia si assensus est denegandus, ubi deest infallibilis auctoritas, ruit absolutè hominum societas; nec enim audiendi sunt Magistri & Superiores, nec credendum amicis consodalibusve, nec consilium capiendum à sapientibus, nec judicia in tribunalibus ferenda sub hominum testimonio; nulla quippe in his omnibus infallibilis auctoritas. Quæ cùm absurdissimè inferantur, perspicuum est ad assensum non requiri omnimodam certitudinem, sed sufficere moralem, quâ spectatis circunstantiis judicamus eum, qui loquitur, nec falli, nec fallere, quamvis absolutè utrumque contingere possit. Hæc longè certiora sunt, si de judicio Ecclesiæ agatur; nam ex ipsomet Petro Aurelio, cujus testimonium non est levis ponderis apud adversarios; *consensus Ecclesiæ, etiamsi Dei verbo non contineatur, certitudinem habet omni humanâ majorem; adeo ut illi obstrepere sit erroneum.* Hæc paginâ 76 Paginâ verò 33. *Quis unquam hæreticorum Concilia Episcopalia* (sive unius provinciæ) *hoc solo nomine elusit, quòd diceret non esse infallibilis auctoritatis? Non quærebatur iis temporibus quænam Episcoporum Concilia essent errori obnoxia, omnes omnia venerabantur ut Pastorum vocem, quibus dictum est Lucæ.* 10. Qui vos audit, me audit. & Matth. 18. ubi agitur de quæstione facti: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Sic Paulus Samosatenus in Concilio particulari, nempe Antiocheno, ob hæresim depositus, ubique pro hæretico habitus est. Sic Pe-

lagium & Cœlestium à Zosimo Summo Pontifice damnatos, cuncti fideles aversati sunt. Sic S. Gregorius tria Capitula, hoc est, libros Theodori Mopsuesteni, Epistolam Ibæ, & Theodoreti scripta in Concilio generali quinto proscripta rejecit: sic enim habet epistolâ 24. lib. 1. *Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena damnatur ..... cunctas quas præfata veneranda Concilia personas respuunt, respuo .... quia dum universi sunt consensu constituta, se, & non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos ligant, aut religare quos solvunt.*

Opponunt adversarii: obedire non licet, cùm evidens est judicium esse falsum, & mandatum injustum; nam ex S. Bernardo lib. de præcept. & disp. cap. 9. *de hujusmodi nec præceptor expectandus; nec prohibitor auscultandus est*: atqui nobis evidens est, inquiunt, falsò & injustè errores tribui Jansenio quinque memoratis propositionibus expressos: Ergo.

R. 1°. Si Defensores Jansenii præsentem controversiam ad S. Bernardi judicium referunt, fateantur necesse est saltem in rebus dubiis Superiorum mandato, quamvis absolutè fallibili, esse obtemperandum; nam eo loci sic scribit: *Sed homines*, inquit, *facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipiendâ, & in præcipiendâ fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tuâ qui conscius non es, præsertim cùm teneas de Scripturis, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam & legem ex ore ejus requirunt? Requirunt, dixerim, legem: non quam vel authentica ulla Scriptura tradiderit, vel manifesta ratio probaverit. De hujusmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus: sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, utrumnam Deus sic*

aut aliter fortè velit, si non de labiis custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum eorum reddatur, à quo denique divina potiùs consilia requiruntur, quàm ab illo, cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum audire debemus.

R. 2°. distinguendo minorem, evidens est falsâ persuasione, transeat: verâ persuasione, cui inniti possint & debeant, Nego minorem. Enimverò quis non expertus est se aliquando delusum falsâ evidentiæ specie, & pro certo habuisse, quod posteà deprehendit esse omnino dubium, aut etiam falsum? huic deceptioni præsertim obnoxii sunt, 1°. qui de eruditione suâ nimis præsumunt, 2°. qui minùs ratione, quàm amore, aut alioquovis affectu in objectum feruntur, ut patet in litigioso; cuilibet enim litiganti causa apparet adeo evidenter justa, ut judicis sententiam votis contrariam facilè iniquam pronuntiaret, nisi obstaret illud Eccli. 8. *Non judices contra Judicem; quia secundùm quod justum est, judicat.* Hinc vulgaria effata, *Nemo in propriâ causâ judex. Quod volumus, sanctum est & justum.* Cùm ergo causam Jansenii Defensores ejus fecerint suam, prudentia & æquitas exigunt, ut vanâ evidentiæ larvâ depositâ pareant Ecclesiæ judicio tanquam certo & indubitato, nec se contineant intra limites religiosi silentii, quemadmodum præscribit Clemens XI. in suâ Constitutione an. 1705.

Confirmatur. Quævis evidentia sive absoluta sive respectiva non repetitur, nisi vel ex objecto, vel ex modo, quo objectum potentiæ applicatur, vel ex potentiâ apprehensivâ meliùs in uno dispositâ, quàm in alio, vel

denique ex ſpiritu privato, qualem Calviniani ineſſe fingunt in prædeſtinatis: atqui Defenſores Janſenii evidentiam reſpectivam, quâ ſibi blandiuntur, ex nullo horum repetere poſſunt. Non ex objecto, nempè ex libro Janſenii, ut pote qui omnium oculis æqualiter exhibeatur. Non ex modo, quo hi objectum, hoc eſt, librum Janſenii apprehendunt, & legunt; cùm memorati Summi Pontifices, Antiſtites & Theologi ſæpiùs expenderint rationes & momenta, quibus Defenſores Janſenii evidentiam ſibi comparare jactitant, iiſdemque planè mediis, quibus illi, librum Janſenii contuiti ſint, nec deprehenderint, quod illi ſe evidenter videre affirmant. Non ex potentiâ apprehenſivâ, quæ in Janſenii Defenſoribus meliùs ſit diſpoſita, quàm in ceteris; inſolentiſſimæ enim eſſet ſuperbiæ, ſi adverſarii ſe præſumerent ingenii acumine omnes antecellere, qui ſunt &, qui extitêre à quinquaginta annis, & ampliùs, nimirum quinque Summos Pontifices, inſignes quoſque Antiſtites, qui per illud tempus, tum in Galliâ, tum alibi floruerunt, & celeberrimas Theologiæ Academias, inter quas Pariſienſem appellare licet, qui nec viderunt, nec etiamnum vident in præfato libro, quod adverſarii evidenter ſe deprehendere contendunt. Non denique ex ſpiritu privato, quo Defenſores Janſenii interiùs, & ſine mediis exterioribus divinitus edoceantur; hæc enim propria eſt Calviniſtarum inſania, à quâ illi non minus quàm ceteri abhorrent. Agnoſcant ergo ſe deluſos fuiſſe falsâ evidentiæ imagine, & in duas cæcitatis ſpecies, quas notat Tertullianus, incurriſſe, ſcilicet viderunt quæ non ſunt, & non viderunt quæ ſunt.

Quod addunt de Moliniſtarum novitate ad

præsentem controversiam non pertinet; namque datur medium inter Jansenistarum (ut vocant) errores, & Molinistarum opiniones; adeo ut liceat esse Catholicum, nec propterea Molinistam. Quanquam longè dipar est causa Jansenistarum & Molinistarum; quia doctrina Molinæ, quantumcunque suâ novitate Jansenistas offendat, ab Ecclesiâ tamen hactenus damnata non est. Hinc est, quòd cùm in hoc capite errores duntaxat ab Ecclesiâ proscriptos colligere proposuerimus, de Molinistis sub speciali titulo nobis tractandum non fuit, ne videremur illos reponere in eorum numero, quos Ecclesia non tolerat, ac prævenire judicium Sedis Apostolicæ, quæ licèt in famosis Congregationibus *de Auxiliis* sub Clemente VIII. & Paulo V. habitis, librum de concordiâ gratiæ cum libero arbitrio, à Ludovico Molinâ editum anno 1588. examini subjecerit; de eo tamen nondum sententiam suam protulit. Quare contra criminationes, quibus Defensores Jansenii Molinistas onerant, suos errores obvelare, incautisque propinare conantur; quasi is necessariò sit Molinista, hoc est in eorum mente, Semipalagianus, qui Jansenianus non fuerit; monendi sunt Clerici quid ipsimet Molinistæ communiter improbent, quidve ad controversias Scholæ duntaxat pertinere arbitrentur,

Rejiciunt imprimis sequentes Propositiones ad Clerum Galicanum delatas anno 1700. Primam, *axioma illud Theologicum*, Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam, *non solùm verissimum est .... verùm etiam per illud significatur obligatio, quam Deus habet dandi gratiam facienti .... quod in se est viribus naturæ.* Secundam, *quia tamen opera viribus solius naturæ elicita omnino sterilia sunt, atque incapacia merendi dona in-*

trinsecè & Theologicè supernaturalia : ideo dicimus obligationem., quam Deus habet, conferendi gratiam facienti quod est in se viribus naturæ .... non oriri ex bonitate talium operum, aut ex ullo merito sive condigno, sive congruo .... sed ex pacto inter Christum fidejussorem nostrum, & Patrem inito, ad gratiam hominibus conferendum propter Christi merita, respiciendo ea opera naturalia ut purum terminum, non ut meritum ullum, aut rigorosam conditionem. Contra quas propositiones Clerus Gallicanus sic pronuntiavit : *Hæ duæ propositiones, quâ parte causam discernendi inter justos & non justos, in opera merè naturalia referunt, Semipelagianismum instaurant mutatis tantùm vocibus. Pactum autem, quod inter Deum & Christum asseritur, commentum est temerarium, erroneum, nec solùm tacente, sed etiam adversante Scripturâ, & Sanctorum Patrum Traditione prolatum.*

Enimverò Semipelagiani non quærebant prævium in homine meritum, sed causam duntaxat, cur Deus è duobus sive infantibus, sive adultis æquè indignis, alterum eligeret, & alterum rejiceret. In hâc autem dispensatione acceptio personarum ipsis videbatur injusta, nisi aliqua subesset causa, in parvulis nempe prævisus rectus gratiæ usus, si ad ætatem adultam pervenirent; in adultis verò initialis quidam voluntatis conatus; ex quibus Deus determinaretur ad gratiam illis conferendam, spretis aliis, qui eamdem gratiam vel collatam neglecturi essent, vel paratam non exoptarent. Quòd autem prævia illa voluntatis affectio non haberet apud Semipelagianos rationem alicujus meriti, patet ex epistolâ Hilarii referentis ad S. Augustinum, Semipelagianos solitos dicere ægrum non ideò mereri sanitatem, quia opem Medici postulavit.

Ergo juxta Catholicam doctrinam, quam Sancti Augustinus, Prosper, & Hilarius contra Semipelagianos propugnabant, causa cur unus præ alio eligatur, repetenda non est ex homine naturalibus viribus faciente quod in se est, sed ex solâ Dei misericordiâ, dicente Apostolo 1. Cor 4. *Quis te discernit; quid habes, quod non accepisti?* Illud ipsum agnoscunt Molinistæ, paucis fortè exceptis, quorum privatus error omnibus imputari non debet.

Scio apud Molinam lib. de Concordiâ q. 14. art. 13. disp. 2. legi has propositiones: 1. *Facienti quod in se est per naturæ vires Deus non denegat gratiam.* 2. *Id obtinuit nobis Christus ob sua merita, atque inter leges, quas tam ipse, quàm Pater æternus statuerunt, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, præsto nobis essent auxilia gratiæ, quibus ea, ut oportet, salutem efficeremus, ut eâ ratione, dum essemus in vitâ, semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra.* Sed Molinæ sectatores multis probare conantur censuram Cleri Gallicani non cadere in hujusmodi propositiones, utpote à Molinâ prolatas in sensu veterum Scholasticorum, eoque Catholico. Cùm autem hæc quæstio facti jam pridem delata sit ad Sedem Apostolicam, ejus judicium religioso silentio præstolabimur.

C

Ad Scholæ verò controversias referunt quæ docet Molina de scientiâ mediâ, de conditionatis Dei decretis, & de modo, quo in statu naturæ lapsæ gratia operatur; contenduntque in hujusmodi quæstionibus, quæ ad fidem non pertinent, non minùs sibi liberum esse, quàm Thomistis & aliis, habere privatas opiniones, nec propterea debere hostiliter exagitari, oblocutionibus & dicteriis diffamari ab iis, qui

contra sentiunt : quemadmodum Thomistæ ac Scotistæ non se mutuò dilacerant propter oppositas plerumque sententias.

Quam Molinistæ ab aliis exigunt observantiam & justitiam, hanc illis exhibuimus in Tractatu de Attributis, ubi tractantes de Scientiâ, de Decretis divinis, & de Gratiâ efficaci, ita communem Theologorum sententiam propugnavimus, ut cum Molinistis contra sentientibus honorificè & peramanter, sicut Theologum decet, egerimus. Sed eamdem vicem iis rependant, quos noverint opinioni suæ adversos : non eos proptereà veluti Ecclesiæ hostes insectentur, non de hæresi Jansenianâ suspectos reddant ; sed solliciti sint & ipsi servare unitatem spiritûs in vinculo pacis. Denique omnes audiamus Apostolum Jacobum gravissimis his verbis monentem cap. 3. *Si zelum amarum habetis & contentiones sint inter vos, nolite gloriari* (tanquam strenui veritatis defensores) ... *non est enim ista sapientia de sursum descendens ; sed terrena, animalis, diabolica.* Terrenam & animalem dicit ; quia oritur ex privatis studiis, ex dominandi libidine, & ex carnali cupiditate : manifesta enim sunt opera carnis, inquit Apostolus Gal. 5. *quæ sunt ... inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ invidiæ.* Diabolicam quoque S. Jacobus vocat hujusmodi sapientiam. Quis enim auctor, nisi diabolus, tot dissidiorum intestinorum, quæ Matris Ecclesiæ viscera fœdè & crudeliter dilacerant, filios ejus contra se invicem armant, suspiciones malas, & detractiones injustas generant cum magno fidelium scandalo? Quæ autem de sursum sit sapientia declarat idem Apostolus sequentibus verbis ... *Quæ autem de sursum est sapientia* (qualis est vera Theologia) *primùm*

quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ. Pudicâm asserit, scilicet fidei puritate, & charitatis intigritate: pacificam, non contentiosam: modestam, hoc est, non elatam, sed demissam & humilem: suadibilem, id est morigeram, & facilè obsequentem: bonis consentientem, hoc est, bonis aliorum operibus congaudentem; cùm contrà, sapientia terrena & animalis ægrè ferat rem Christianam aliorum manibus feliciter promoveri.

Hæc breviter præmittenda duximus in limine hujus Tractatûs, ut quos ad sacram Theologiam initiamus, solliciti sint servare charitatem omni scientiæ supereminentem, caveantque ne gratiæ notionem quærentes, unctionem amittant.

Pacem nunc habemus ab hæreticis singulari Dei misericordiâ penitus prostratis, expurgata est Pastorum vigilantiâ & fortitudine morum doctrina;quid superest, nisi ut arma nostra convertamus in vitia, quæ liberiùs videntur grassata, dum Ecclesiæ Ministri, propter præteritas discordias aliò ferè intenderent? Nostrum sit itaque officium & studium Sanctuarii ruinas reparare, jacentes peccatores erigere, & omnes Catholicos superædificare supra fundamentum positum, quod est Christus Jesus.

Caput IV.

De Gratia habituali.

Habemus ex dictis capite secundo, gratiam habitualem esse supernaturale Dei donum animæ permanenter inhærens per modum habitûs: gratiam verò actualem esse actum trans-

euntem. Donum autem illud permanens triplex est, scilicet gratia sanctificans, virtutes infusæ, & dona Spiritûs Sancti, de quibus hîc sigillatim tractandum.

Paragraphus I.

De nomine, existentiâ, & essentiâ Gratiæ sanctificantis.

Q. 1°. *Quænam sunt nomina Gratiæ sanctificantis?*

R. Vocatur 1°. Gratia sanctificans; quia effectus ejus formalis est sanctum efficere subjectum, cui inhæret, sicut calor inhærens corpori reddit illud formaliter calidum. 2°. Gratia justificans; quia sicut calor expellit frigus, ita gratia formaliter expellit peccatum, & inclinat ad omne opus bonum; justum enim dicimus eum, qui habitualiter dispositus est ad legem implendam. 3°. Adoptio; quia effectus ejus formalis est facere filios Dei adoptivos, juxta illud Rom. 8. *Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba (Pater.)* Ob eamdem rationem dicitur 1. Joan. 3. v. 9. semen Dei, quatenus per illam nascuntur filii Dei, & consortes divinæ illius naturæ. 4°. *Pignus hereditatis*, Ephes. 1. v. 14. est enim titulus jus tribuens ad gloriam cœlestem. *Si ... filii & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*, Rom. 8. v. 17.

Q. 2°. *Existit ne Gratia sanctificans?*

R. De Fide est existere, Rom. 5. v. 1. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* 1. Cor. 6. v. 11. *Abluti estis ... sanctificati estis ... justificati estis in nomine Domini nostri Jesu-Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Atqui hæc sanctificatio, seu justificatio

non fit nisi per gratiam sanctificantem, quæ ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 7. est unica causa formalis justitiæ nostræ.

Q. 3°. *Gratia sanctificans est-ne aliquid intrinsecè inhærens?*

R. Negant Lutherani & Calvinistæ, docentque gratiam justificantem esse extrinsecum Dei favorem condonantis peccata, & imputantis justitiam, vel quâ Deus ipse justus est, secundùm Osiandrum & nonnullos Lutheranos, vel ipsam Christi justitiam secundùm Lutherum & Calvinum. Magister Sententiarum aliquâ ex parte ad hunc errorem accessit, quatenus scilicet docuit charitatem esse ipsummet Spiritum-Sanctum; quanquam Sanctus Thomas 2. 2. q. 23. a. 2. illum benignè interpretatur de charitate principiativè sumptâ, ita ut Spiritus-sanctus dicatur principium dilectionis independenter ab habitu charitatis, quem habitum idem Magister non videtur admisisse propter illud 1. Joan 4. v. 8. *Deus charitas est.* Contra Lutheranorum & Calvinistarum errores extat Canon 11. sess. 6. Concilii Tridentini, his verbis conceptus: *Si quis dixerit homines justificari vel solâ imputatione justitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum-Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantùm favorem Dei; anathema sit.*

Respondeo itaque. De fide est gratiam sanctificantem esse quid creatum intrinsecè inhærens.

Probatur 1°. ex Scripturâ Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Si per Spiritum Sanctum, ergo ab ipso distinguitur, sicut effectus à causâ, fructus ab arbore, *fructus ... Spiritûs est charitas*, Gal 5. sed magis directè confoditur Novatorum error

Rom. 5. ubi sic scribit Apostolus : *Sicut per unius dilectum in omnes homines in condemnationem : sic & per unius justitiam in omnes homines justificationem vitæ. Sicut enim per unius .... inobedientiam peccatores constituti sunt multi : ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Atqui non sumus constituti formaliter peccatores per solam extrinsecam imputationem peccati primi parentis: sed per maculam interiorem, & per peccatum intrinsecè inhærens, fatentibus adversariis: ergo neque sumus formaliter justi per imputationem justitiæ, sive Dei, sive Christi, sed per veram justitiam peccatum formaliter expellentem, & intrinsecùs inhærentem. Nihil clarius illo textu.

Probatur 2°. ex Traditione.

S. Chrysostomus exponens illud Ephes. 1. *Gratificavit nos in dilecto Filio suo*, sic habet: *hoc est non solùm liberavit à peccatis, sed etiam fecit amabiles. Quomodo enim si quis acceptum aliquem scabiosum, & peste ac morbo, senioque ac paupertate infectum, statim formosum fecerit juvenem, omnes homines pulchritudine vincentem, & posteà purpurâ induerit, & omni ornatu ornaverit; ita nostram instruxit, & ornavit animam, pulchramque fecit, desiderabilem, amabilem, cupiunt enim Angeli talem aspicere animam. Ita etiam nos fecit gratissimos, & sibi desiderabiles*; concupiscet enim, *inquit*, Rex pulchritudinem tuam.

S. Ambrosius lib. de initiandis c. 7. sic alloquitur Baptizatum : *Accepisti vestimenta candida, ut sint judicium, quòd exueris involucrum peccati, indueris innocentiæ casta velamina.*

S. Augustinus lib. de spiritu & litterâ c. 3. sic habet : *Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit; sed quâ nos facit dilectores suos, sicut justitia Dei, quâ justi ejus munere*

efficimur, & Domini salus, quâ nos salvos facit, & fides Domini nostri Jesu Christi, quâ nos fideles facit. & Enchiridii c. 52. *Quemadmodum in illo* (Christo) *vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.*

Probatur 3°. ratione duplici. Prima, per justificationem non solùm homo desinit esse malus seu peccator, sed etiam fit bonus & justus: atqui homo non fit bonus & justus per solam remissionem peccatorum, sicut nec albus per solam expulsionem nigredinis: neque per denominationem extrinsecam, seu imputationem justitiæ alienæ, *Justum, & fortem & bonum omnino virum ob opera laudamus,* inquit Aristoteles lib. 1. Ethicorum cap. 12. Secunda, si gratia sanctificans est ipsamet justitia Christi per fidem apprehensa, & imputata, parvuli non justificantur per baptismum; quia per fidem justitiam Christi non apprehendunt, nec sibi applicant, utpote qui sint incapaces eliciendi ullius actûs. Nec dicent adversarii justitiam Christi parvulis applicari per divinam electionem sive promissionem; quia apud ipsos sola fides justificat, & Sacramenta eatenus prosunt, quatenus fidem excitant & sigillant.

Q. 4°. *Gratia sanctificans est-ne quid permanenter animæ inhærens?*

R. Certum est inhærere permanenter.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Joan. 14. v. 17. *Apud vos manebit* (Spiritus-Sanctus) *& in vobis erit.* v. 16. *Alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum.* v. 23. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* 1. Joan, 4. v. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* 1. Cor. 6. *An nescitis, quoniam*

membra vestra templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est quem habetis à Deo, & non estis vestri? Atqui mansio & inhabitatio significant aliquid permanens. Deus autem, cùm accedit aut recedit, non mutat locum, utpote qui sit ubique, & omnem locum repleat, contineatque: sed dicitur accedere, cùm novo modo alicubi operatur; recedere verò, cùm definit operari, quamvis semper præsentissimus adsit. Sic dicimus redire spiritum hominis, qui deliquium passus fuerat, cùm solitas operationes repetit. Deus ergo venit ad peccatorem, à quo recedere non potuit, quando illum excitat, & transeunter in illo operatur sanctam cogitationem, & pium voluntatis affectum: manet autem in justo quandiu per continuum influxum gratiam sanctificantem in illo conservat, & per illam non solùm assimilat sibi in moribus & virtutibus divinis, sed etiam consortem facit naturæ divinæ ejusdem secum animi, desiderii & affectûs. Justus quoque per charitatem in Deo manet; quia gratia sanctificans seu charitas ipsum avellit à terrenis cupiditatibus omnes ejus potentias, sensus appetitus, amores, operationes, cogitationes, intentiones ad Deum trahit, ut nonnisi Deum & divina cogitet, intendat, suspiret, nec nisi in illo quiescat.

Probatur 2°. ex Decretis Summorum Pontificum & Conciliorum Generalium. Innocentius III. Cap. *Majores*, tit. de Baptismo, refert oppositas Theologorum sententias circa baptismum parvulorum: alii contendebant in parvulis originale quidem peccatum remitti, sed *fidem aut charitatem aliasque virtutes non infundi*: alii contra asserebant *dimitti peccatum*,

& virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad usum. Cui posteriori sententiæ videtur adhærere Summus Pontifex. Sed clariùs Concilium Viennense Clem. de Summâ Trinit. & Fide Catholicâ, sic enim statuit: *Quantum ad effectum baptismi in parvulis; reperiuntur quidam Doctores Theologi opiniones contrarias habuisse. Quibusdam ex ipsis dicentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri: aliis è contra asserentibus, quòd & culpâ eisdem in baptismo remittitur, & virtutes ac gratia informans infunduntur quoad habitum. Nos .... opinionem secundam, tanquam probabiliorem, dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio, duximus diligendam.*

Denique Concilium Tridentinum sess. 5. in decreto de peccato originali, sub anathemate absolutè definit, 1°. Parvulos veraciter baptizari in remissionem peccatorum, *ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.* 2°. In eisdem non solùm tegi, aut non imputari, sed etiam tollit totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet. 3°. Quod *novum* .... (induentes hominem) *innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Quæ cùm sine gratiâ sanctificante stare nequeant, manifestum est Concilium definisse per baptismum gratiam sanctificantem parvulis infundi quoad habitum; nam omnis actûs sunt incapaces.

Confirmatur. Parvuli, qui ad ætatem adultam perveniunt, per gratiam baptismalem, quæ supponitur in ipsis permanere, non aliter sunt justi & sancti, quàm alii adulti, qui per sacramentum pœnitentiæ Deo reconciliantur; Ergo

gratia sanctificans est in adultis æquè ac in parvulis aliquid permanens per modum habitûs. Et ita refellitur sententia quorumdam Theologorum, ut Vasquesii, qui docent hominem justificari per justitiam actualem, seu per actus supernaturales virtutum, præsertim charitatis.

Q. 5°. *Utrùm sit de fide gratiam sanctificantem esse quid permanens?*

R. 1°. Non fuisse ut dogma fidei receptum ante Concilium Tridentinum, ut patet ex cit. Cap. *Majores*, & Concilio Viennensi, ubi non proscribitur opposita sententia.

R. 2°. Post Concilium Tridentinum Theologi variè opinantur. Soto lib. 2. de naturâ & gratiâ c. 17. & sequentibus, Melchior Canus lib. 7. de locis Theologicis c. 2 & alii, fatentur id non sine ingenti temeritate posse negari; sed contendunt non esse contra fidem. Bellarminus lib. 1. de gratiâ & libero arbitrio cap. 3. Suarez lib. 6. de gratiâ c. 3. n. 6. & alii affirmant veritatem hanc esse definitam de fide à Concilio Tridentino, quibus consentit Catechismus Romanus, qui sic habet ubi de Baptismo. *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœnâ anathematis propositâ decrevit, non solùm per quam peccatorum fit remissio: sed divina qualitas animæ inhærens.* Alii docent responsionem nostram ex verbis Concilii elici tanquam conclusionem; ac proinde oppositam sententiam esse erroneam; sed negant esse expressè definitam, & fide divinâ credendam.

Carthesiani Philosophi, qui non admittunt accidentia realiter distincta à substantiis, sive materialibus, sive spiritualibus, tutos se putant à censuris Concilii Tridentini; quia agnoscunt

divinas impressiones & modificationes in animâ Justi permanentes per modum habitûs, qui tamen non sit qualitas, aut alia entitas realiter distincta: non enim credibile est, inquiunt, Tridentinos Patres voluisse exagitare & definire quæstionem philosophicam prorsus inutilem in materiâ de quâ agebatur. Nimirum proscribendum susceperant Novatorum errorem, quo justificationem reponebant in extremo Dei favore, & statuendum dogma Catholicum, nempe justificationem perfici per interiorem spiritûs immutationem & renovationem: atqui illa renovatio perfectiùs & diviniùs perficitur per modificationem & impressionem Spiritûs-sancti inhabitantis, quàm per qualitatem realiter distinctam. Sed præterquamquod illa modificatio valde impropriè à patribus Tridentinis inhærens diceretur, cùm non sit quid distinctum ab animâ; satis est ad nostrum institutum, quòd illa Carthesianorum sententia negans formas accidentales à substantiâ realiter distinctas non semel fuerit rejecta, ut principiis fidei dissentanea, à celeberrimis Academiis Lovaniensi anno 1662. Parisiensi anno 1624. 1671. 1691. 1693. & 1705.

Q. 60. *Gratia sanctificans est-ne quid realiter à charitate distinctum?*

R. Affirmat S. Thomas, & ejus schola; quia sicut virtus naturalis hominum in esse naturali perfectum, ita virtus supernaturalis eumdem in esse supernaturali constitutum supponit: atqui charitas est virtus supernaturalis, gratia verò sanctificans constituit hominem in esse divino, & supernaturali: ergo charitas præsupponit gratiam sanctificantem, tanquam novam naturam, secundùm quam homo dicitur regenerari, nasci filius Dei; ac proinde gratia

ſanctificans realiter diſtinguitur à charitate. Illud ipſum videtur agnoſcere Concilium Viennenſe, citatâ Clementinâ de Summâ Trinitate, ubi ait in Baptiſmo conferri gratiam informantem, & virtutes. Concilium quoque Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. diſtinguit gratiam ſanctificantem à virtutibus; docet enim ibidem juſtificationem fieri per ſuſceptionem gratiæ & donorum.

Contra negant Magiſter Sententiarum, Sanctus Bonaventura, Scotus, Durandus, & alii, gratiam ſanctificantem à charitate realiter diſtingui, quia in Scripturis omnes effectus gratiæ ſanctificantis tribuuntur charitati. Charitas expellit peccatum, Luc 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hominem reddit Deo gratum, Joan. 14. *qui . . . diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum.* Conſortem efficit divinæ naturæ, ac proinde filium Dei adoptivum & heredem, 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* & Jac. 1. v. 12. *Accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Denique charitas eſt radix omnium bonorum operum. 1. Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt*, &c.

Facilis eſt reſponſio ad argumenta poſterioris ſententiæ, ſcilicet gratiæ ſanctificantis effectus ideo tribui charitati; quia perfecta charitas eſt ultima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, ita ut ab eâ ſeparari nequeat; eadem quippe ſolent dici de proximâ diſpoſitione, quæ dicuntur de formâ, quam introducit, v. g. de ſummo calore æquè dicitur ac de igne, quòd comburat, inflammet, &c. Sed hanc controverſiam Scholæ dirimendam reliquimus; quia ad ſalutem fidelium nihil intereſt ſcire, an gratia ſanctificans & charitas realiter diſtin-

guantur, modò noverint dona illa simul in justificatione conferri.

Q. 7°. *Quomodo definitur Gratia sanctificans?*

R. Ex præmissis responsionibus erui debet ejus definitio in hunc modum. Gratia sanctificans est supernaturale Dei donum intrinsecùs inhærens per modum habitûs, quo homo formaliter redditur justùs, Sanctus, Deo gratus, filius Dei adoptivus, & heres vitæ æternæ.

Dicitur 1°. *Supernaturale Dei donum*: ut significetur gratiam sanctificantem non esse ipsummet Spiritum Sanctum, sed ab ipso emanare tanquam effectum à causâ.

Dicitur 2°. *Intrinsecè inhærens*, contra Lutheranos & Calvinistas, asserentes gratiam justificantem fuisse extrinsecum Dei favorem, quo peccata condonat, & imputat justitiam seu merita Christi.

Dicitur 3°. *per modum habitûs*, quo significatur gratiam sanctificantem esse quid permanens.

Dicitur 4°. *quo homo formaliter redditur justus*: sic enim Concilium Tridentinum de justificatione loquitur sess. 6. c. 7. *Non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum. Unde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit heres secundùm spem vitæ æternæ.* Et infrà. *Demum unica formalis causa* (justificationis) *est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit: quâ videlicet à Deo donati renovamur spiritu mentis nostræ; & non modò reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes.*

At, inquies, quomodo merum accidens tantæ efficaciæ esse potest, ut omnia peccata quan-

tumlibet atrocia statim deleat, & ex impio justum & sanctum efficiat.

R. Quamvis illud sit omni admiratione dignissimum, pluribus tamen exemplis suadetur esse possibile. Namque modicum fermentum totam massam prorsus immutat, ignis præeunte calore poros ferri frigidi ingrediens, nativum ejus frigus formaliter expellit, ipsumque ferrum candens & ignitum reddit. Sed, quod ad propositum maximè confert, lumine fidei mentem Hæretici, vel etiam Athei innumeris erroribus implicatam subeunte, mox ignorantiæ tenebræ fugiunt, & cuncti errores evanescunt. Quidni gratia sanctificans corda, in quibus diffunditur, similiter immutet & renovet, peccata, quibus non minùs contraria est, quàm frigori calor, statim expellat, voluntatemque sic ad Deum convertat, & erga divinam ejus legem afficiat, ut homo omne malum summè aversetur; & ad omnia, quæ Dei sunt, totus properideat?

Quòd autem gratia sanctificans cor hominis sic immutet, paginæ utriusque Testamenti apertè testantur. Jeremiæ 31. v. 33. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Ezech. 11. v. 19. *Dabo eis cor unum, & spiritum novum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum; ut in præceptis meis ambulent* Nihil loculentius prophetico illo testimonio pro interiori pœnitentis renovatione, à Concilio Tridentino definitâ. Aufertur ab eo cor lapideum, id est, durum, intractabile, & inexorabile: simulque confertur cor novum, carneum, molle, flexibile, & obsequens ad Dei nutum. Jam opus non est, sicut priùs, prolixâ & molestâ argumentationum congerie ad suadendum

mundi contemptum, carnis afflictationes,& alii Evangelii præcepta; ad primam vel Pastoris vocem, vel Evangelii lectionem statim acquiescit repugnante licèt concupiscentiâ; divina enim illa præcepta in corde gerit inscripta non atramento, sed Spiritu Dei; non characteribus inanimis, sed vitalibus affectibus; experiturque, quàm verum sit illud Apostoli, 1. ad Timoth. cap. 1. *Lex justo est posita*; quia etsi lege teneatur, illâ tamen non premitur, non urgetur, non refrænatur; sed ei condelectatur secundùm interiorem hominem.

Non inferiora testimonia ex non Testamento proferuntur in confirmationem doctrinæ Concilii Tridentini, unum aut alterum ex benemultis seligimus. 1. Joan. 3. v. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare* (nisi degenerem se præbeat) *quoniam ex Deo natus est*. Gratiam sanctificantem vocat Apostolus semen Dei, ut meminerimus ejus infusionem speciem habere divinæ cujusdam generationis, & nos per illam fieri consortes divinæ naturæ, ut docet Apostolorum Princeps secundæ epistolæ c. 1. ubi de Christo loquens sic habet: *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*, Non quidem essentialiter (quod solis tribus personis sanctissimæ Trinitatis convenit) neque hypostaticè, (quod humanitati Christi proprium est,) sed per gratiam sanctificantem, utpote quæ veram amicitiam inter Deum & creaturam constituat, amicitia autem perfectissima, & maximè spiritualis ac divina postulat intimam Dei præsentiam in homine; ita ut si per impossibile Deus non esset ubique, præsens tamen fieret animæ gratiâ informatæ: præ-

ſens, inquam, non ſicut dominus præſens eſt in domo, quam inhabitat; ſed ſicut anima in corpore, quod vivificat, ſecluſis tamen imperfectionibus; non enim Deus adeſt ut forma informans, aut pars componens, ſed ut principium vitæ ſupernaturalis, animam movens & elevans ad ſtatim, qui tranſcendit omnem ordinem etiam Angelicum, & quemlibet etiam poſſibilem. Unde meritò S. Petrus aſſerit gratiam ſanctificantem eſſe donum pretioſum, & omnium maximum.

Atque ex hâc explicatione facilè intelliguntur reliquæ definitionis partes, quibus dicitur gratiam ſanctificantem formaliter reddere ſanctum, Deo gratum, filium Dei adoptivum, & heredem vitæ æternæ. Namque

1°. Sanctitas eſt immunitas ab omni labe peccati, & plena, firmaque adhæſio cultui divino: atqui gratia ex dictis per ſe formaliter excludit peccatum, & inclinat hominē ad omnia, quæ Deo ſunt placita: ergo ſanctum formaliter reddit eum, cui confertur.

2°. Quomodo non gratus eſſet Deo, qui divinæ ejus voluntati in omnibus eſt conſentiens? *Non enim eſt juſtus, niſi qui gaudet juſtis*, ut dicitur 1. Eth. c. 8. Juſtus autem Dominus, & juſtitiam dilexit: ergo diligit & gratos habet quotquot novit voluntati ſuæ conformes; in hoc quippe juſtitia adæquatè conſiſtit. Unde S. Hieronymus in cap. 10. Danielis ait: *Omnis ſanctus in ſe habens animæ pulchritudinem, à Domino amatur.*

Nec dicas, gratiam actualem eſſe gratiam gratum facientem, ac proinde non eſſe proprium gratiæ ſanctificantis, hominem reddere Dei gratum; nam gratia actualis gratum efficit ſecundùm quid duntaxat; quatenus nempe eſt

principium boni operis, quod cùm Deo acceptum sit, ratione illius peccator dicitur Deo gratus, quamvis secundùm suam personam displiceat, & sit objectum odii divini. Sed cùm per gratiam sanctificantem homo à labe peccati sit purus, & divinæ voluntati in omnibus consentiens, per illam persona ejus simpliciter & absolutè efficitur Deo grata, juxta illud Sapient. 7. *Per uniones in animas sanctas se transfert*, (Sapientia) *amicos Dei, & Prophetas constituit.*

3°. Per gratiam sanctificantem homo fit filius Dei adoptivus, non denominatione extrinsecâ & mortali tantùm: quemadmodum in civilibus persona extranea ad succedendum in hereditate assumpta, dicitur pro filio adoptata. Namque ex laudato capite 3. 1. Joan. Gratia sanctificans est semen Dei quo homo fit consors naturæ divinæ, eo, quo diximus modo, Christo Filio Dei naturali conjungitur tanquam membrum capiti, eodem vivens spiritu: *Videte*, inquit dilectus Discipulus, primæ epist. c.3.v. 1. *qualem charitatem nobis dedit Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Unde,

Ultimò sequitur quòd gratia sanctificans hominem constituat heredem vitæ æternæ. Nam ex Apostolo Rom. 8. *Si . . . filii, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*, hoc est, ejusdem gloriæ cum Christo participes. Liceat ergo absolutum à peccatis compellare verbis S. Leonis serm. 1. de Nativit. *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ; noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis & corporis sis membrum.*

Verùm, proh dolor! quod hæresis Ecclesiæ eripere non potuit, ignorantia neglectum, &

quodammodo inutile reddit. Quis. enim æstimat quod ignorat, aut expetit quod non æstimat? Atqui vulgus fidelium, ne dicam Pastorum, justificationem non aliter apprehendit, quàm Lutherani & Calviniani, nempe ut meram peccatorum condonationem: nulla peccatoribus cura aut cogitatio de interiori spiritûs renovatione, unum à Deo precantur, scilicet peccatorum veniam; quia aliud à Pastoribus non sunt edocti.

Nec dicant Pastores quæ hactenus explicata sunt, sublimiora esse, quàm ut à plebe percipi possint. Namque in hoc positi sunt, ut evangelizent investigabiles Dei divitias in justificatione impii, quas præparavit in laudem gloriæ gratiæ suæ, assiduis precibus sibi & subditis obtineant spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione hujus mysterii, quod est summa doctrinæ Christianæ, & sublimis gloria, quam Ecclesia habet in Christo Jesu. Hinc Apostoli toti sunt in suis epistolis ut tam admirabile Dei donum Fidelibus commendent, refricent, & inculcent. Hujus rei gratiâ Gentium Apostolus scribit ad Ephesios cap. 1. se non cessare in orationibus suis memoriam eorum facere, *ut Deus*, inquit, *Domini nostri Jesu-Christi Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis in agnitione ejus: illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & cônstituens ad dexteram suam in Cœlestibus.* Magnifica sunt illa Apostoli verba in laudem gratiæ sânctificantis, & omnino ponderanda. Optat Discipulis Spiritum sapientiæ, id est, ampliorem

pliorem sapientiam, quâ mysterium gratiæ sanctificantis magis quotidie ac magis ipsis patefiat; illuminatos quoque oculos cordis, ut perfectius in dies cognoscant, quæ & quanta sint bona, ad quæ vocati sunt; & quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus, id est, quantâ potentiâ usus fuerit Deus, ut à statu peccati ad justitiam traducerentur. Tantâ, inquit, potentiâ usus est Deus in nobis sic spiritualiter suscitandis & immutandis, quantâ usus est in Christo corporaliter à morte resuscitando, & ad dexteram suam evehendo. Similia jam scripserat ad Romanos cap. 6. & repetit in epistolâ ad Colosf. cap. 3. Non ergo Apostoli credentibus promittebant nudam peccatorum veniam & condonationem, sed veram spiritûs immutationem, quâ in novam vitam translati, expoliato veteri homine, viderentur tanquam ex mortuis viventes. Expendamus jam quæ Novatores contra hanc Apostolicam doctrinam solent opponere.

Objiciunt 1°. 1. Corinth. 1. v. 30. Christus dicitur factus nobis *sapientia à Deo, & justitia & sanctificatio.* & Rom. 5. vers. 19. *Per unius obeditionem, justi constituentur multi*: ergo justificatio peccatoris perficitur per imputationem justitiæ Christi absque interiori peccatoris immutatione.

Distinguo anteced. Christus factus est nobis justitia efficienter & meritoriè, Concedo: formaliter & per solam imputationem, Nego ant. Solutio evidens est in ipso textu cap. 5. ad Roman. Ibi enim Apostolus confert Adamum cum Christo, docetque quòd sicut per primi inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita per secundi obedientiam justi constituentur multi. Atqui inobedientia Adami non

est causa formalis, sed efficiens peccati originalis posterorum, fatentibus ipsis Adversariis, qui cum Catholicis agnoscunt (quamvis sensu hæretico, peccatum originale inesse cuique proprium. Ergo in mente Apostoli obedientia Christi non est justitia nostra formalis, sed est causa efficiens & meritoria, cur justitia à Deo nobis infundatur, & inhæreat.

Instant. Atqui justitia Christi est causa formalis justificationis nostræ. Ratio enim propter quam Deus diligit justum, est sanè causa formalis justificationis ejus; quemadmodum causa formalis, propter quam proximum ex charitate diligimus, est bonitas divina in eo relucens. Atqui ratio propter quam Deus diligit Justum, est Christi justitia & meritum. Ergo causa formalis justificationis nostræ est justitia & meritum Christi.

Confirmatur; sicut absurdè diceretur Deum parvulos nondum renatos odisse propter Adamum, cùm peccatum originale in ipsis existens sit motivum & ratio formalis odii divini; ita pariter si in Justis admitteretur gratia sanctificans, tanquam ratio formalis divini amoris, abusivè dicerentur à Deo diligi in Christo, vel propter Christum.

Nego subsumptum. Ad primam ejus confirmationem, respondeo negando majorem; quia aliud non est motivum, quo Deus creaturas diligit, quàm ejus bonitas infinitè sui communicativa; ac proinde gratia sanctificans est effectus seu terminus divini amoris, non verò causa. Homines quidem bonum supponunt in iis, quos diligunt: Deus contrà amando homines, ex malis bonos efficit. Dilexit nos in Christo ante mundi constitutionem; quia per Christum mediatorem nostrum voluit nos ad se ad-

ducere. Quâ bonitate peccatores in tempore per Christi merita prævenit, ut justi fiant, eâdem bonitate justos efficit, & eatenus novo & longè excellentiori modo illos diligit; quia nova & longè excellentiora dona in ipsis producit & conservat, nempe gratiam sanctificantem cum ejus appendicibus. Ergo gratia sanctificans, licèt sit formalis causa justificationis, motivum tamen non est divini amoris, sed effectus & terminus.

Respondeo ad secundam confirmationem negando paritatem; quia latum est discrimen inter odium divinum (si tamen datur propriè in Deo) & amorem divinum: Adamum quoque inter & Christum Dominum. Odium quippe divinum, malum culpæ, quod est ejus objectum, non facit, sed supponit: amor verò divinus bonum circa quod versatur efficit, non supponit. Deinde Adamus non est caput posterorum, eo singulari modo quo Christus est caput renatorum; quamvis enim parvuli ex origine per Adami inobedientiam corruptâ, trahant peccati maculam; Adamus tamen jam sanctus & beatus, illam directè non impertit; quemadmodum Christus, qui factus est nobis sanctificatio & justitia, sanctitatem influit. Unde Deus parvulos nondum renatos odit, non propter Adamum præcisè, sed propter peccatum originale in ipsis existens. Contrà verò renatos diligit in Christo, & propter Christum, qui per gratiam sanctificantem & communicationem sui Spiritûs in ipsis vivit & operatur, ut impleatur quod Patrem rogaverat pridie Passionem Joan. 17. v. 21. & 26. *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus quia tu me misisti;*) hoc est, tam illustri exemplo vitæ

sanctioris mundum ad me trahant,) & ... *dilectio, quâ dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis*, utpote unum totum conficientibus conflatum ex capite & membris.

Objiciunt 2°. illud Psalmi 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum*. Ergo peccata in justificatione non delentur; sed teguntur duntaxat per Christi justitiam credentibus imputatam.

Respondeo 1°. opponendo alios Scripturæ textus luce clariores, Psalm. 50. *Lavabis me, & super nivem dealbabor*, nulla sanè macula in homine sic dealbato. Isaïæ 44. *Delevi ut nubem iniquitates tuas*. Rom. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*. 1. Corinth. 6. *Hæc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis*. Ephes. 5. dicitur Christus seipsum tradidisse, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam*.

Respondeo 2°. peccata in justificatione teguntur, quomodò dicimus tegi colorem album, cùm, superinducto colore nigro, evanescit albus. Ita hunc Psalmi locum interpretati sunt sancti Patres. S. Augustinus enar. in Psalm. 31. scribit: *Ne sic intelligas, quod dixit peccata cooperta, quasi ibi sint & vivant*. Quæst. 108. in Exodum, dicit fieri confessionem peccatorum, *ut per gratiam aboleantur, hoc est, tegantur*. & lib. 1. contra duas epistolas Pelagii cap. 13. *Dicimus Baptismum auferre crimina, non radere*. Enimverò quis beatum dixerit hypocritam, qui oculis hominum abscondit cordis malitiam? nam oculis Dei omnia sunt pervia & manifesta. Peccata ergo Deo tegi nequeunt, nisi prorsùs aboleantur.

Psalmus autem tres gradus in justificatione

distinguit, 1°. Deus peccata remittit, cùm jam propitius prævenit peccatorem, & præteritam offensam condonat. 2°. Peccata tegit, cùm justitiam & charitatem superinducit tanquam formam peccatis oppositam, & eorum expultricem. 3°. Peccata non imputat; cùm insuper reatum pœnæ temporalis expungit, ut in baptismo. Unde S. Basilius in hunc Psalmi locum scribit plus esse peccata tegere quàm remittere, & non imputare, quàm tegere. Quamquam plures Interpretes existimant tria illa verba esse prorsus synonyma.

Instant ex Apostolo Gal. 3. v. 27. *Quicunque ... in Christo Baptizati estis, Christum induistis*: Ergo justitiâ Christi per fidem apprehensâ, circundamur tanquam vestimento, quo teguntur corporis maculæ & deformitates.

Nego consequentiam & paritatem. Qui enim vestem assumit, non exuit maculas & deformitates corporis, sed tegit. At ex eodem Apostolo Col. 3. v. 9. qui induit Christum, exuit veterem hominem, adeo ut nihil in eo remaneat peccati & damnationis, *expoliantes vos*, inquit, *veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum. Nihil ergò nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Romanor. 8. & cap. 6. v. 2. & 4. *Mortui sumus peccato . . . . ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris; ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Atqui Christus resurgens corruptionem carnis, & mortalitatem non texit per indumentum gloriæ: sed prorsus deposuit. Ergo pariter ad mentem Apostoli ita Christum in Baptismo induimus, ut omnem peccati maculam exuamus. Porrò Apostolus justificationem pingit sub metaphorâ indumenti, ut ostendat eum, qui exit ex fonte baptismali, vel ex tribunali pœ-

nitentiæ, ſicut interiùs vivit Spiritu Chriſti, ita debere Chriſtum ad vivum exhibere in exteriori converſatione : quemadmodum ſpeciem Regis referret, qui regiâ veſte eſſet indutus.

Objici poſſunt varii Scripturæ textus pro ſententiâ quorumdam Catholicorum, qui formam juſtificationis in actibus reponunt, Rom. 2. v. 13. *Factores legis juſtificabuntur.* Jac. 2 *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo.* 1 Joan. 3. *Qui facit juſtitiam, juſtus eſt.* Et quidem juxta omnium hominum mentem, apud quos juſtum eſſe, nihil aliud eſt, quàm bene operari. Ergo formalis juſtificatio reponenda eſt potiùs in actibus ſupernaturalibus virtutum, præſertim charitatis, quàm in gratiâ habituali.

Nego conſeq. namque ex laudatis textibus colligi tantùm poteſt, quòd homo bonis operibus vel diſponitur ad juſtificationem, vel meretur in juſtitiâ augeri, vel probat ſe eſſe Juſtum, juxta illud Jac. 2. v. 18. *Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam.*

Paragraphus II.

De Virtutibus infuſis.

Juſtificatio dupliciter ſpectari poteſt, vel ſecundùm eſſentiam, vel ſecundùm partes integrales. De illâ priori modo ſumptâ tractavimus in præcedenti Paragrapho, ubi ex mente Concilii Tridentini totam ejus eſſentiam repoſuimus in gratiâ habituali ſanctificante : hic expendimus partes ejus integrales, nempe virtutes infuſas, quæ ad perfectionem ejus integralem pertinent.

Enimverò modus operandi ſequitur modum eſſendi : atqui gratia ſanctificans conſtituit ho-

minem in esse divino: ergo operationes divinas gratiam sanctificantem consequi necesse est. Porrò quemadmodum natura, putà hominis, ita est principium operationum sibi consentanearum, nempe, rationalium, ut eas exercere non possit, nisi per potentias sibi congenitas, intellectum scilicet & voluntatem, sic gratia sanctificans, quæ accedit homini velut nova natura, comites individuas habet virtutes infusas, per quas veluti per supernaturales potentias, supernaturaliter operatur. Sunt quidem & ipsæ singularia Dei dona, & gratiæ habituales; quia permanenter inhærent, justificationemque integraliter perficiunt: sed insuper sortiuntur nomen virtutis; quia ad bene operandum proximè disponunt. Quid est enim virtus ad mentem sancti Augustini lib. 2. de libero arbitrio c. 18. & sancti Thomæ 1. 2. quæst. 55. art. 4. nisi *qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur*? Verùm quia virtus infusa non uno modo accipitur, nec in quâlibet acceptione ad justificationem pertinet.

Q. 1°. *Quotuplex est virtutis infusæ acceptio?*

R. Duplex: alia dicitur infusa quoad modum duntaxat: alia infusa quoad entitatem?

Q. 2°. *Quid est virtus infusa quoad modum?*

R. Est virtus à Deo animæ indita, quamvis actuum frequentatione naturaliter acquiri possit, ut dona linguarum & notitia Scripturarum, quæ per infusionem in Apostolis extitêre, licèt studio & labore illa utcunque comparare potuissent. Virtutes autem ejusmodi sic divinitus concessæ, non magis specie ab acquisitis differunt, quàm vita defuncto Lazaro restituta differt à vitâ, quam priùs à parentibus hauserat.

Porrò de virtutibus sic infusis hîc non est sermo. Constat enim apud omnes Theologos, illas in justificatione non infundi; alioquin habitus vitiosi, ex longâ peccandi consuetudine contracti, virtutibusque acquisitis formaliter oppositi, per justificationem prorsus delerentur, quod vel ipsa experientia falsum evincit. De solis itaque virtutibus quoad entitatem infusis hîc agitur.

Q. 3°. *Quid est Virtus infusa quoad entitatem?*

R. Est virtus entitativè supernaturalis, & à solo Deo producibilis, ut charitas.

Q. 4°. *Quare Virtus per se infusa est entitativè supernaturalis?*

R. Quia fertur in objectum lumine & motivo supernaturali, tenditque in Deum possidendum ut in se est.

Q. 5°. *Virtus per se infusa differt ne essentialiter à virtute acquisitâ, v. g. temperantia infusa à temperantiâ acquisitâ?*

R. Prorsus differt; quia secundùm omnes Philosophos, actus & habitus essentiam suam desumunt ab objecto formali, seu motivo, quo tendunt in objectum materiale. Hinc justitia, misericordia, & gratitudo, licèt versentur circa idem objectum materiale, putà pecuniam, sunt tamen diversæ speciei virtutes, quia diverso motivo pecuniam spectant, justitia ut debitam, misericordia ut aptam ad sublevandum proximum, gratitudo ut munus antidotale: atqui virtutes per se infusæ, ut temperantia, tendunt in objectum materiale, motivo longè diverso à motivo virtutum acquisitarum, putà temperantiæ, castitatis; nam temperantia acquisita refrænat voluptatem carnalem, quia dedecet naturam rationalem: infusa verò, quia indigna est Filio Dei, membro

Christi, retardatque anhelantem ad divinum consortium. Ergo virtutes infusæ & acquisitæ quamvis versentur circa idem objectum materiale, essentialiter differunt.

Confirmatur, simulque elucidatur nostra responsio. In homine justo triplicis generis lumen distinguitur. 1°. Lumen sensuum, quod movet passiones putà amoris, gaudii, tristitiæ, &c. 2°. Lumen rationis, quod præest liberis voluntatis affectibus, scilicet amoris, gaudii, tristitiæ, &c. 3°. Supernaturale lumen fidei, quo reguntur similes animi affectus: atqui in omnium sententiâ motus amoris, gaudii, tristitiæ, spectati ut passiones appetitûs sensitivi, essentialiter differunt à similibus motibus appetitûs rationis propter diversum modum tendendi in objectum materiale utrique appetitui commune: ergo à fortiori iidem motus appetitûs rationalis solo rationis lumine imperati, specie distinguuntur à similibus actibus virtutum infusarum; cùm posteriores illi actus supernaturali lumine, & longè sublimiori motivo eliciantur.

Ergo sicut mores brutorum induit, qui non ratione, sed carnali sensu ducitur: sic Christianus à nobilitate filiorum Dei degenerat, & ad vilitatem pristinæ conversationis relabitur, qui sine supernaturali lumine ducem rationem sequitur. Hinc illa Apostolica exprobratio justis quibusdam: *Nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* 1. Corinth. 3. Justus quippe transcendit humanam conditionem, sicut homo pecorinam; ut non suo, sed Spiritu Christi inhabitante regatur, juxta illud Rom. 8. *Quicunque ... Spiritu aguntur, ii sunt filii Dei.*

Q. 60. Quare virtus per se infusa, est à solo Deo producibilis?

R. v.

R. Quia est donum supernaturale & divinum; quemadmodum enim solus ignis ignitum reddere potest, inquit sanctus Thomas, ita solus Deus in ordine supernaturali & divino constituere.

Dices: de fide est hominem justum bonis operibus crescere in justitiâ: atqui incrementum illud est nova productio gratiæ sanctificantis & virtutum infusarum: Ergo.

Distinguo majorem, Justus potest crescere meritoriè, & ut causa moralis, Concedo: crescere ut causa physica, ita ut per actus suos supernaturales physicè producat illud augmentum gratiæ sanctificantis & virtutum infusarum, Nego majorem.

Instas: Actus naturales sæpius repetiti in sententiâ plurium Philosophorum physicè generant habitum acquisitum: ergo à pari actus supernaturales physicè producunt habitum supernaturalem.

Nego consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est, quòd habitus acquisiti sint formæ proportionatæ potentiis animæ, & ex illis naturaliter educantur ab agente naturali: habitus verò infusi ordinem cujusque naturæ creatæ excedant, propter eaque dicantur supernaturales, quia anima, ut eorum sit susceptiva, debet divinitus elevari & corroborari. Justus autem bonis suis actibus meretur, ut Deus *det . . . secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem.* Ephes. 3. v. 16.

Q. 7°. *Quomodò dividuntur Virtutes infusæ?*

R. Dividuntur in Theologicas & Morales.

Q. 8°. *Quid est Virtus Theologica?*

R. Est virtus infusa, quæ habet Deum pro objecto materiali primario, & aliquod ejus

attributum pro formali. Vocatur autem Theologica, à nomine Græco Θεός, Latinè *Deus*, quia versatur circa Deum, & est regula divini cultûs.

Ergo sunt tres virtutes Theologicæ, his verbis ab Apostolo notatæ, 1. Corinth 13. v. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc: major autem horum est Charitas.* Namque totuplex est virtus Theologica, quotuplex est virtus, quæ erga Deum rectè disponit, nosque illi immediatè conjungit: atqui triplex est ejusmodi virtus. Cùm enim in hâc vitâ per fidem ambulemus, & non per speciem, 1°. Fide credimus Deum, & cetera quæ nobis revelavit; quia verax est, nec falli nec fallere potest. 2°. Spe confidimus nos Deum tanquam ultimum nostrum finem & beatitudinem consecuturos, tentationesque superaturos; quia est Omnipotens & infinitè misericors. 3°. Charitate Deum super omnia diligimus, & proximum sicut nosmetipsos propter illum; quia est summè bonus & infinitè amabilis. Ergo tres sunt reverà virtutes Theologicæ.

Q. 9°. *Quid est virtus infusa moralis?*

R. Est virtus supernaturalis, quæ Deum non habet pro objecto, definirique potest, virtus infusa, quæ in mediocritate consistens, versatur circa bonum creatum motivo supernaturali.

Q. 10°. *Quare Virtus moralis infusa in mediocritate consistit?*

R. Quia objectum ejus est bonum finitum utpote creatum, ac proinde potest esse excessus in illius prosecutione, v. g. potest quis esse in cultu divino superstitiosus; nimis abstinere à cibo; nimis se dejicere. Virtutes verò Theologicæ, cùm pro objecto habeant bonum infi-

nitum, non pugnant nisi contra defectum, qui sæpissimè contingit; ideoque nobis semper cum Ecclesiâ congeminare incumbit, *da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* & cum Apostolis Luc. 17. *Adauge nobis fidem*; quis enim tantam fidem adhibet Deo, aut tam firmam spem in illo reponit, quantam meretur, & exigunt harum virtutum motiva? Notum est sancti Bernardi effatum, Modus diligendi Deum, est amare sine modo.

Q. 11°. *Cur virtutes Theologicæ non dicuntur morales, cùm longè perfectiori modo mores dirigant?*

R. Sunt quidem morales; sed proprium nomen sibi vindicant tanquam nobilissimæ virtutum species, quemadmodum homo licèt sit ipse animal; quia tamen habet aliquid præstantius, speciali nomine insignitur.

Q. 12°. *Quotuplex est Virtus moralis?*

R. Generatim dividitur in quatuor virtutes cardinales, scilicet, prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam.

Q. 13°. *Quare quatuor illæ Virtutes dicuntur cardinales?*

R. Quia sunt præcipuæ virtutes inter morales, & tanquam cardines, quibus ceteræ innituntur.

Primò, namque virtus in vitium vertitur, nisi dirigatur rectâ ratione, quæ est necessaria morum regula. Atqui prudentia est ipsamet recta ratio; definitur enim ab Aristotele, recta ratio agendorum: ergo omnis virtus prudentiâ innititur.

Dices: Fides est Christiano certa morum regula: ergo mores Christiani non innituntur prudentiâ.

Distinguo anteced. Est regula generalis per prudentiam infusam applicanda particularibus.

casibus, Concedo: est regula particularis in praxi à prudentiâ independens, Nego anteced. Itaque etiamsi fidelis in lege Domini apprimè edoctus, noverit quid Evangelium præcipiat, aut prohibeat, egregiè differat de dilectione Dei & proximi, de contemptu rerum temporalium, de patientiâ, & de singulis gradibus humilitatis; nihilominus nisi sit vir prudens & bonus, tanta scientiæ supellex in illo prorsus inanis est, & ad praxim inutilis. Quid ita? Quia inordinati affectus judicium ejus corrumpunt in casibus particularibus, judicat humilitatem in iis circumstantiis fore ignaviam, ad zelum rectitudinis pertinere, si honorem sibi debitum vindicet, si impios deprimat, adeo ut nunquam occasio sese offerat (ut opinatur) ad praxim redigendi, quæ alios subliminter docet. Hinc luctuosa S. Bernardi querimonia lib. 2. de Consider. cap. 1. *Nempe sic se habent mortalium corda, quod scimus, cùm necesse non est, in necessitate nescimus*, nimirùm quando natâ occasione præceptum urget.

Ex quibus S. Thomas post Philosophum concludit scientiam quidem remanere in peccatoribus; idem de fide dicito: prudentiam verò minimè; quia peccatores in praxi judicant prout affecti sunt, hoc est, malè.

Prudentiæ autem subserviunt, 1°. cura & solicitudo rerum divinarum contra negligentiam; 2°. docilitas contra temeritatem & præsumptionem, quæ saniora consilia nec requirit, nec datis acquiescit; 3°. circumspectio, quæ est attenta consideratio circunstantiarum contra animi levitatem & considerationem.

Secundò cùm justitiæ officium sit omnibus reddere debitum, *Cui tributum, tributum ... cui honorem, honorem*, inquit Apostolus Rom. 13.

sub illâ militant religio, pietas, observantia, gratitudo, liberalitas, veracitas, affabilitas, eutrapelia; harum quippe virtutum officia alios ita spectant, ut omnino omitti non possint sine illorum offensione, ac proinde quamdam habent rationem debiti.

Tertiò, fortitudo, quæ animam firmat in periculis, labore, & quibuslibet adversis, sub se continet patientiam, perseverantiam sive constantiam, magnanimitatem, quæ inclinat ad actus excellentes & heroïcos, arduos quidem, sed animo generoso consentaneos. Unde fortitudo definitur à S. Augustino lib. de moribus Eccl. cap. 15. amor omnia propter Deum facilè perferens.

Quartò temperantia, (quæ moderatur delectationes sensibiles, maximè gustûs & venereorum utpote quæ vehementiùs contra rationem nitantur) complectitur abstinentiam, sobrietatem, castitatem, pudicitiam, quæ aversatur quodlibet incontinentiæ signum in verbis, tactibus, & aliis corporis motibus: verecundiam, quæ est timor & aversio cujuscunque turpitudinis; honestatem, quæ servat morum candorem & venustatem: mansuetudinem & clementiam, quæ cohibent iræ impetum, & vindictæ appetitum: humilitatem seu modestiam quâ quis verissimâ suî cognitione sibi vilescens reprimit motus animi in magna tendentis: studiositatem, quæ refrænat inordinatam sciendi libidinem.

Q. 14°. *Omnes recensitæ virtutes infunduntur-ne in justificatione?*

R. 1°. Constat apud omnnes Catholicos infundi fidem, spem, & charitatem. Quin multi Theologi ut Vega lib. 7. cap. 24. in Concilio Tridentino. Suares lib. 3. de Gratiâ cap. 8. &

alii docent illud esse dogma fidei in Concilio Tridentino definitum.

Probatur 1°. ex Scripturâ Rom. 5. v. 5. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ergo & fides simul, & spes. Fides quidem, quia charitas, seu amor Dei non potest esse sine prælucente cognitione: *per fidem* autem *ambulamus, & non per speciem*, 2. Corinth. 5. Spes quoque, quia sine spe divini auxilii charitas non tendit in amplexus Sponsi summè dilecti. Hinc Apostolus 1. Cor. cap. 13. concludit in hæc verba: *Nunc autem manent fides, spes, charitas: tria hæc.* In quibus autem manent? non in infidelibus, ut patet, neque in peccatoribus, qui charitate carent. Ergo in justis.

Probatur 2°. ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi sic habet. *Hanc dispositionem .... justificatio ipsa consequitur: quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum.* Quæ autem sunt illa dona, nisi fides, spes & charitas? *Hæc enim*, inquit S. Augustinus Enchirid. cap. 4. *maximè, imo verò sola, religione sequenda sunt.* Unde Tridentini Patres citato capite sic inferunt: *In ... justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem & charitatem.* Ac tandem Canone 11. definitur: *Si quis dixerit, homines justificari ... solâ peccatorum remissione, exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat .. anathema sit.*

Probatur 3°. ratione; quia ad suavem Dei providentiam pertinet tribuere causis secundis principium intrinsecum, suis operationibus proportionatum; sic v. g. naturam pecorinam:

quæ est prima radix sensationum, instruxit sensibus, per quos proximè elicit operationes animales seu sensationes, naturæ rationali dedit intellectum & voluntatem, quæ sunt principia proxima actuum humanorum. Atqui gratia sanctificans est quædam natura supernaturalis, si ita loqui fas est seu divinus perfectionis gradus, non solùm naturam pecorinam & rationalem, sed quamcunque creabilem excedens, quæ essentialiter ordinatur ad operationes sibi consentaneas, hoc est, supernaturales & divinas, cùm modus operandi sequatur modum essendi: ergo debentur illi virtutes infusæ tanquam potentiæ similiter supernaturales & divinæ. Atque hâc ratione Theologi communiter in prima parte agnoscunt in Beatis lumen gloriæ per modum habitûs, quo intellectus eorum intrinsecè perficitur ad eliciendam connaturaliori modo visionem Dei intuitivam. Unde

Confirmatur nostra responsio. Gratia sanctificans est ejusdem naturæ & essentiæ, sive in patriâ, sive in viâ: per illam Beati æquè ac viatores formaliter constituuntur sancti, amici Dei, & consortes divinæ ejus gratiæ: actus ad quos naturaliter & primariò tendit in utroque statu, sunt Dei cognitio & amor; quid enim amicitiæ connaturalius quàm amare, & in cognitione amati deliciari? Atqui Beati in cognitione & amore Dei non deliciantur, nisi mediantibus habitibus luminis gloriæ & charitatis; ergo nec justi viatores, nisi mediantibus habitibus fidei, spei, & charitatis, juxta illud Apostoli Rom. 1. *Justus .... ex fide vivit*, radicaliter quidem & habitualiter ex gratiâ sanctificante; actualiter verò ex fide, non mortuâ; implicat enim animam vivere per aliquid mortuum; sed ex fide vivâ, quæ per dilectionem

operatur. Fidei & charitati spes in nobis adjungitur; quia non ambulamus per speciem, ad quam ultimò tendit gratia sanctificans; sed eam expectamus in spe, quæ viva esse nequit, quin admixtum gemitum habeat, teste eodem Apostolo Rom. 8. *Nos ipsi primitias spiritûs habentes ... intra nos gemitus adoptionem filiorum Dei expectantes ... spe enim salvi facti sumus.* & infrà: *Spiritus* (qui datus est nobis) *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ex quibus patet fidem, spem, & charitatem nunquam separari à gratiâ sanctificante in viatoribus justis, vitamque novam, quam peccatores in Sacramento percipiunt, in actibus harum virtutum maximè consistere.

R. 2°. Cùm Concilium Tridentinum, & alia præcedentia nihil expressè statuerint circa virtutes morales, controversia est inter Theologos, utrùm reverà in justificatione infundantur. Nihilominus communior, & longè probabilior est affirmans sententia sancti Thomæ 1. 2. quæst. 63. art. 3. & quæst. 65. art. 3. & totius ejus Scholæ. Illam quoque amplexi sunt Richardus, S. Bonaventura, Vega, libro 7. in Concilio Tridentino cap. 24: Catechismus Romanus, qui inter effectus Baptismi numerat *nobilissimum omnium virtutum comitatum, quæ in animam simul cum gratiâ infunduntur.* Favet etiam sanctus Augustinus, qui in Psalmum 83. sic de virtutibus cardinalibus loquitur: *Illæ virtutes nunc in valle plorationis per gratiam Dei donantur nobis:* Idipsum suadet ratio mox allata in Confirmationem præcedentis responsionis. Namque gratia sanctificans est principium radicale & remotum omnium bonorum, constituit hominem formaliter justum, quatenus paratum illum reddit ad implendam totam legem, quæ præ-

cipit de actibus omnium virtutum ut dicitur 5. Ethic. cap. 1. Ergo gratiæ sanctificanti veluti novæ creaturæ, debent respondere habitus omnium virtutum, tanquam potentiæ supernaturales & principia proxima actuum supernaturalium: qui ipsi competunt; quemadmodum naturæ rationali respondent potentiæ rationales, intellectus scilicet & voluntas, quæ sunt principia proxima actuum rationalium, ad quos inclinat.

Dices 1°. Qui habet habitum virtutis, promptè & delectabiliter operatur ea quæ sunt virtutis. Atqui experientiâ constat peccatores post perceptum pœnitentiæ Sacramentum, in quo peccata per infusionem gratiæ sanctificantis remissa sunt, easdem pati difficultates, quas ante justificationem, circa materias virtutum: sive Theologicarum, sive moralium: ergo nullæ virtutes in justificatione infunduntur, sed acquiri debent studio & labore.

Respondeo 1°. hujusmodi experientiam non esse universalem. Plurimi quippe, etsi post conversionem tentationibus etiam gravibus pulsentur; mente tamen condelectantur legi Dei & ad divina piè se affectos sentiunt. Hujusce mutationis unus ex bene multis testis sit Augustinus, qui de se sic scribit lib. 9. Confess. cap. 1. *Quàm suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat! Ejiciebas enim eas à me, vera tu & summa Suavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior.* Quare ex quorumdam experientiâ rectiùs concluderetur illos posuisse obicem gratiæ, nec rem Sacramenti percepisse.

Respondeo 2°. concessâ majore, distinguen-

do min. Peccatores post conversionem patiuntur easdem difficultates propter impedimenta externa, putà vitia priùs contracta, quæ, quamvis per infusionem gratiæ sanctificantis lethale vulnus accipiant, ut loquitur sanctus Thomas, nihilominus per virtutes infusas non tolluntur, quemadmodum per acquisitas, utpote quæ illis non sunt contraria sicut istis, Concedo: Easdem patiuntur difficultates ex ipsâmet voluntate malè affectâ erga Deum & objecta virtutum moralium, Nego min. alioquin non essent conversi; nam vera conversio nequit esse sine odio peccati, & amore justitiæ, in quibus consistit rectitudo voluntatis & essentia virtutis. Esto, contra illam rectitudinem pugnent caro & vitia contraria, quæ officium virtutis reddunt difficile; quemadmodum, inquit S. Thomas, somnolentia, quâ gravatur Philosophus, impedit usum habitûs qui in ipso est, & injucundum efficit.

Instas: ex venerabili Bedâ, Sancti mâgis humiliantur de virtutibus, quas non habent, quàm de virtutibus, quas habent, glorientur: Ergo non omnes virtutes in justificatione infunduntur.

Distinguo anteced. Quas non habent quoad actum; quia nonnunquam propter difficultates & exteriora impedimenta venialiter peccant, Concedo: quas non habent quoad habitum, Nego anteced. Quis enim dixerit virum sanctum non habere habitum religionis aut charitatis, ex eo quod præ infirmitate, oratio ejus sit aliquando tepida, aut duriusculum verbum in proximum protulerit?

Dices 2°. Saltem prudentia in justificatione non infunditur, cùm eâ careant pueri, idiotæ, & plures mulierculæ. Ergo.

Distinguo anteced. Prudentia, quæ unicuique ad salutem minimè sit necessaria, Concedo: prudentia cuique ad salutem necessaria, Nego anteced. Verum quidem est non quemlibet justum pollere eâ excellenti prudentiâ, quâ possit sibi & aliis in omnibus consulere sine sapientiæ auxilio. Sed quivis puer aut idiota, si verè sit justus, habet illas prudentiæ partes, sine quibus mores dirigi nequeunt, nempe curam & sollicitudinem rerum divinarum, ne in negotio salutis negligentia subrepat: docilitatem, quâ de se ipso non præsumens, consilium à sapientioribus inquirit & suscipit: circumspectionem, quâ operis aggrediendi circunstantias perpendit, ne quid leviter & inconsideratè moliatur.

Dicat ergo justificatus à peccatis, *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Isa. 61. v. 10. Non abjiciat per peccatum tantam Dei gratiam; sed sicut priùs exhibuerat membra sua servire iniquitati: ita nunc exhibeat illa servire justitiæ in sanctificationem, ut docet Apostolus Rom. 6.

Ceterùm non minùs absurdè quæreret aliquis, quando & quoties justus ex virtutibus infusis maximè Theologicis operari debeat, quàm si interrogaret, quando & quoties homo ratione uti teneatur. Cuique enim perspicuum est, quòd homo secundùm naturalia spectatus semper & ubique rationabiliter agere debeat, hoc est, mores suos ad normam rationis componere, & ad honestum finem uti facultatibus inferioribus. Cùm autem Justus per fidem, spem, & charitatem Christo sit insertus, ut

loquitur Concilium Tridentinum, & lumen fidei sit in ipso superadditum lumini rationis, quemadmodum ipsa ratio in homine superaddita est lumini sensuum; rectus ordo postulat, ut justus justè & supernaturaliter vivat, & ex fidei imperio rationem, sensus, & omnes facultates suas dirigat ad finem, quem fides demonstrat, spes appetit, & charitas apprehendit. Unde mirum videri debet quomodò homini Christiano excidere potuerit hæc propositio, primùm damnata ab Alexandro septimo, deinde à Clero Gallicano. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas vertutes pertinentium.* Nam ex sancto Augustino suprà laudato, *hæc maximè, imo sola, in religione sequenda sunt.*

Paragraphus III.

De Donis Spiritûs-Sancti.

Q. 1°. *Quid est donum Spiritus-sancti?*

R. Est habitus supernaturalis, quo homo disponitur ad accipiendas extraordinarias Spiritûs-sancti motiones ad propriam salutem.

Dicitur 1°. *habitus supernaturalis.* 1°. Quia permanenter inhæret, ut habetur Isaïæ 11. *Requiescet super eum Spiritus ... sapientiæ*, &c. Nam requies permanentiam significat. 2°. Ut distinguatur à virtutibus; quamvis enim ratio generica virtutis conveniat donis, cùm ipsa faciant bonum habentem se & opus ejus optimum; nihilominus non solent dici virtutes simpliciter, sed dona; quia virtus pressiùs sumpta, regitur prudentiâ in actionibus ordi-

nariis & mediocribus: donum verò supra prudentiam inclinat ad actus excellentes, heroïcos & divinos per inspirationem & motionem Spiritûs-sancti. Unde virtus infusa subest prudentiæ infusæ, donum verò Spiritui sancto, tanquam proprio motori.

Dicitur 2°. *ad recipiendas extraordinarias Spiritûs sancti motiones*, quia ex sancto Thomâ 1. 2. qu. 68. art. 1. *Omne quod movetur, necesse est proportionatum esse motori: .... quantò igitur movens est altior, tantò necesse est quòd mobile perfectiori dispositione ei proportionetur; sicut videmus quòd perfectius oportet esse discipulum dispositum ad hoc, quòd altiorem doctrinam capiat à Doctore. Manifestum est autem, quòd virtutes humanæ perficiunt hominem, secundùm quòd homo natus est moveri per rationem in his, quæ interiùs vel exteriùs agit: oportet igitur inesse homini altiores perfectiones, secundùm quas sit dispositus ad hoc quòd divinitus moveatur. Et istæ perfectiones vocantur dona.*

Dicitur 3°. *ad propriam salutem*, ut significetur donum Spiritûs-sancti pertinere ad gratiam gratum facientem, & distingui à gratiis gratis datis, quæ, ut observavimus, dantur ad aliorum salutem. Hinc sapientia & scientia, quæ munerantur inter gratias gratis datas, dicuntur sermo sapientiæ & scientiæ; quia sunt ad alios erudiendos in lege divinâ: sapientia verò & scientia sumptæ pro donis Spiritûs-sancti, perficiunt habentem se in ordine ad divina: per sapientiam ad illa suaviùs & excellentiùs contemplanda movetur; & per scientiam ad temporalia extraordinario modo contemnenda.

Q. 2. *Numquid necessaria est Spiritûs-sancti motio, ut habitus virtutum infusarum in actum prorumpant?*

R. Procul dubio necessaria est; quia homo habitibus infusis uti non potest sine supernaturali illustratione seu cogitatione, & sine piâ voluntatis affectione, quæ sunt motiones Spiritûs-sancti, sed longè dispares à motionibus ad usum donorum requisitis. Nam priores motiones sunt ordinariæ, & ad humanum agendi modum attemperatæ: posteriores contrà excedunt communem agendi rationem, tenduntque ad actus heroïcos. Unde actus illi non ita frequentes sunt in Justis ac virtutum actus, v. g. oratio, ad quam Justos divinitus moveri necesse est, frequens est & assidua, sublimis verò contemplatio rarior & brevior

Q. 3°. *Sunt-ne admittenda dona à virtutibus distincta?*

R. Negari non potest, quin homines aliquando extraordinariè à Spiritu sancto moveantur; harum quippe motionum plura habentur exempla, tum in Scripturis, tum in traditione Ecclesiasticâ. Samson instinctu divino columnas cœnaculi concussit, Judic. 16. Salomon judicium tulit, 3. Reg. cap. 3. Eleazarus elephanti se supposuit, 1. Mach. 6. Simeon venit in templum, Luc. 2. Sancta Apollonia sponte in rogum exiliit, ex S. Dionysio Alexandrino apud Eusebium lib. 6. hist. cap. 4. Rationem affert S. Thomas 1. 2. qu. 68. art. 4. *quia sicut .... vires appetitivæ natæ sunt moveri per imperium rationis: ita omnes vires humanæ natæ sunt moveri per instinctum Dei sicut à quâdam superiori potentiâ.* Quin & ipse Aristoteles ejusmodi divinas inspirationes agnovit libro 7. Moral. cap. 18. ejusque testimonium laudat sanctus Thomas art. 1. his verbis: *Philosophus etiam dicit .... quòd his qui moventur per instinctum divinum, non expedit consiliari secundùm rationem humanam; sed quòd sequantur inte-*

riorem instinctum; quia moventur à meliori principio quàm sit ratio humana.

Sed controversia est in Scholâ, num dona sint habitus à virtutibus distincti. Negant Scotus, & alii non pauci, contenduntque esse actus eximios virtutum infusarum. Sanctus verò Thomas 1. 2. quæst. 6. 8. & alii communiter, quibus subscribimus, docent dona esse habitus à virtutibus distinctos. 1°. Quia in Scripturis exprimuntur ut aliquid permanens, Isaiæ cap. 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Joan. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Unde sanctus Gregorius lib. 2. Moral. cap. 14. *In illis donis, sine quibus ad vitam pervenire non potest, Spiritus sanctus in electis omnibus semper manet, sed in aliis non semper manet.* 2°. Quia dona altiori & nobiliori modo versantur circa materiam virtutum, quàm ipsæ virtutes. Ergo sicut liberalitas & magnificentia, quæ versantur circa idem objectum, putà pecuniam erogandam, sunt diversi habitus quia diversimodè largitionem respiciunt, liberalitas ut mediocrem, magnificentia ut splendidam & magnificam, quando decet: similiter dona & virtutes distingui debent; cùm dona disponant ad actus sublimiores, virtutes contrà ad actus mediocres.

Q. 4°. *Dona sunt-ne habitus præstantiores virtutibus?*

R. Distinguendum cum S. Thomâ. Si dona conferantur cum virtutibus Theologicis, sunt inferiora; quia per virtutes Theologicas anima Deo conjungitur; per dona verò disponitur duntaxat ad suscipiendam Spiritûs sancti motionem: atqui multò præstantius est conjungi Deo, quàm disponi ad ejus inspirationem, quæ est consectarium quoddam, & velut appendix

pendix divinæ illius unionis. Sed si dona conferantur cum aliis virtutibus, sive intellectualibus sive moralibus, præstantiora sunt; quia disponunt ad motionem extraordinariam Spiritûs sancti, quæ superior est motione rationis, ad quam disponunt virtutes morales. *Manifestum quippe est*, inquit Sanctus Doctor, *quòd ad altiorem motorem oportet majori perfectione mobile esse dispositum.*

Q. 5°. *Quot sunt dona Spiritûs sancti?*

R. Septem numerantur, Isa. 11. his verbis: *Requiscet super eum Spiritus Domini, & Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritûs consilii & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Ex his donis quatuor, scilicet sapientia, intelligentia, scientia, & prudentia, seu consilium, perficiunt rationem; tria verò voluntatem, nempe pietas, fortitudo, & timor.

Q. 6°. *Quomodò probatur septenarius ille donorum numerus.*

R. Probatur 1°. ipsâ Prophetæ enumeratione, 2°. auctoritate Sanctorum Patrum. S. Ambrosii lib. 5. de Spiritu-sancto cap. 2. Hieronymi in caput 11. Isaïæ, Augustini lib. 2. de doctrinâ Christ. 7. S. Gregorii lib. 1. Moral. c. 28. 3°. consensu Theologorum & totius Ecclesiæ, quæ illum numerum hactenus retinuit. Calvinus exsufflat & ridet illam auctoritatem; quia in hebræo pietas & timor pro reverentiâ sumuntur, & eodem nomine exprimuntur. Sed lugenda ejus vanitas & præsumptio, quâ se oculatiorem credit septuaginta Interpretibus, & S. Hieronymo, qui idem nomen in textu Hebræo repetitum, duo significare interpretati sunt, nimium pietatem & timorem reverentialem: quemadmodum apud Latinos timor

significat & metum, & reverentiam; 4o. probatur ratione, quia dona ex dictis idem cum virtutibus habent objectum materiale, sed disponunt ad actus sublimiores circa illud eliciendos. Ergo tot admittenda sunt dona, quot numerantur virtutes: atqui præter virtutes Theologicas, quas præsupponunt dona tanquam suî radices: septem numerantur virtutes, quatuor intellectuales, quæ disponunt ad actus bonos, scilicet intelligentia, sapientia, scientia, & prudentia: tres in voluntate, nimirum justitia, fortitudo & temperantia. Ergo totidem admittenda sunt dona ejusmodi virtutes perficientia.

Q. 70. *Quomodò se habet quodlibet donum ad virtutem cui respondet?*

R. Satisfiet quæstioni, si conferatur actus cujuslibet doni cum actibus virtutis, ipsi agnatæ. Itaque,

Primò, actus virtutis intelligentiæ, quæ vulgò dicitur habitus principiorum, est cognitio primorum principiorum, v. g. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; totum est majus suâ parte.* In Religione autem Christianâ prima principia, sunt propositiones fidei, ex quibus deduci, & ad quas reduci oportet omnem supernaturalem fidelium cognitionem quantumcunque sublimem; alioquin abjicienda est tanquam à spiritu erroris immissa, qui aliquando se transfigurat in Angelum lucis. Porrò per prudentiam judicamus Deum hoc aut illud dixisse per fidei virtutem actu & de facto idipsum judicantes credimus. En actus virtutis fidei. Nonnunquam autem fidelis, etiam idiota, instinctu Spiritûs sancti eâ firmitate credit, & tantâ luce percipit mysterium revelatum, v. g. Filium Dei esse incarnatum, ut sibi videatur

hactenus non credidisse sicut oportet. En actus doni intelligentiæ.

Secundò, per virtutem sapientiæ ratio gratiâ Dei adjuta, de rebus divinis, tanquam de altissimis causis, & ex iis de creatis rectè judicat. Per donum verò sapientiæ Justus aliquando non rationis ductu, sed Spiritûs sancti instinctu movetur ad sublimiorem cœlestium contemplationem, quam Sanctus Augustinus testatur se fuisse expertum, l. 10. Conf. c. 40. *Aliquando*, inquit Deus alloquens, *intromittis me in affectum multùm inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem; quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, quod vita ista non erit: sed recido*, &c. Quia brevis est & admodum rata illa beatæ vitæ prælibatio.

Tertiò, virtus scientiæ ad hoc disponit, ut ratio de temporalibus rectè judicet, nimirum non esse æstimanda aut appetenda, nisi quatenus deservire possunt ad æternam beatitudinem consequendam. At per donum scientiæ Justus ulteriùs judicat illa esse abjicienda (quantùm fieri potest) veluti onera & impedimenta, quæ retardant animam ad Deum anhelantem. Verùm quia vitæ necessitas cogit servire hujusmodi vanitatibus, donum scientiæ tantùm abest ut inflet, quemadmodum scientia Philosophorum; quin Justum dejicit, & secundùm S. Augustinum, naturaliter parit donum lacrymarum.

Quartò virtutis prudentiæ proprium est in dubiis consulere secundùm rectam rationem: Spiritus autem Sanctus nonnunquam Justis inspirat consilia, quæ communem agendi rationem, & humanam prudentiam superant; & ideò à prudentibus seculi temeraria & stulta facilè judicantur. *Animalis homo*, inquit Apo-

ſtolus 1. Cor. 2. *non percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei; ſtultitia enim eſt illi.*

Quintò, per juſtitiæ virtutem Juſtus diſponitur ad reddendum cuique debitum; *cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*, Rom. 13. Per donum autem pietatis fit promptè à Spiritu Sancto mobilis ad extraordinariam reverentiam, quâ Deo, perſonis, & rebus ſacris, pauperibus, & omnibus hominibus, quatenus ad Chriſtum pertinent, longè ultra debitum exhibet quod juſtitia, religio & miſericordia præſcribunt.

Sextò, virtus fortitudinis Juſtum in periculis, juxta dictamen rationis & communes prudentiæ regulas, firmat contra inordinatos timoris & audaciæ motus. Per donum verò fortitudinis diſponitur ad heroïcos actus, inſtinctu divino eliciendos, ut videre eſt in laudatis exemplis Samſonis, Raſiæ 2. Machab. 14. & Apolloniæ.

Septimò, per virtutem temperantiæ Juſtus moderatè utitur rebus delectabilibus. Per donum verò timoris reverentialis erga Deum, omnes delectationes, quantùm poteſt, abjicit vitæ auſterioris ſtudio ut animam caſtam & puram conſervet Deo ſuo, qui Exod. 20. *eſt Dominus fortis, zelotes*, & Jac. c. 4. *ad invidiam concupiſcit.*

Ceterùm Theologi hîc monent, heroïca illa opera, præſertim quæ quarto & ſexto dono tribuuntur, non eſſe ambienda ſine ſpeciali Spiritûs ſancti inſtinctu, qui præſumitur in iis, quos Scriptura laudat, & Eccleſia commendat; alioquin nec Samſon, nec Raſias, nec Apollonia à gravi peccato excuſari poſſent. Quare animarum Rectores, ſicut non debent agere, niſi ſecundùm rectæ rationis & pruden-

tiæ regulas, ita nec aliis consulere. Justi quidem sunt semper dispositi ad omnem Spiritûs-sancti motum; sed supra rationem non moventur nisi extraordinariè, contra rationem verò nunquam.

Q. 7°. *Dona sunt-ne habitus distincti à duodecim fructibus Spiritûs-sancti, de quibus Gal. 5. & ab octo beatitudinibus, quæ laudantur Matth. c. 5?*

Respondet S. Thomas, fructus & beatitudines esse ipsosmet actus virtutum & donorum. Namque fructûs nomine, intelligitur bonum labore & studio intentum, & comparatum, v. g. ampla messis est fructus agricolæ. Si bonum illud sit ingens, dicitur beatitudo, sive inchoata, sive perfecta; quia ejus possessio valde delectat, & operantis desiderium quiescere facit. Si autem bonum sit exiguum aut mediocre, dicitur simpliciter fructus, non verò beatitudo; neque enim mercenarium dixeris beatum, ex eo quòd exiguam mercedem consecutus sit. Atqui bonum quod intenditur ex habitibus laudabilibus, sunt actus boni & laudabiles, v.g. cognitio rerum naturalium est bonum philosophi, & fructus habitûs quem studio comparavit. Ergo actus habituum infusorum sunt delectabiles Justorum fructus, *timor Domini delectabit cor*, Eccli. 1. *Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda*, Psalm. 17. Et S. Augustinus serm. 368. aliàs hom. 37. de actu amoris ex toto corde, ait: *Cùm ad istam felicem perfectionem veneris, omnes concupiscentias hujus mundi tanquam stercora computabis, & cum Prophetâ poteris dicere, Mihi adhærere Deo bonum est*, quemadmodum parvulus ablactatus experientiâ cibi solidioris & suavioris lac nutricis fastidit. Quin & intimus dolor de peccatis est delectabilis pœnitentiæ fructus, juxta illud lib. de verâ & falsâ pœ-

nitentiâ apud Sanctum Augustinum. *Sic pœnitens de peccatis doleat, ut de dolore suo gaudeat.*

Ergo charitas, castitas, & aliæ virtutes, quas numerat Apostolus cit. c. 5. Gal. non sumuntur pro habitibus, sed pro actibus, patetque ex ejus contextu; ibi enim opponit opera spiritûs operibus carnis: *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia*, &c. Tum subjungit de operibus bonis, *fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium*, &c. Maluit autem dicere fructus, quàm opus, ut intelligeremus in illis actibus secundùm se spectatis, nullum inesse laborem, aut tristitiam, quemadmodum carnales falsò arbitrantur; sed meram delectationem & pacem. *Crucem quidem vident, sed non etiam unctionem*, ait S. Bernardus serm. 1. de Dedic. Vident carnis afflictationes, sensuum mortificationes; sed non vident Sancti-Spiritûs consolationes. Deinde Apostolus actus illos vocat fructus, non Justorum, sed Spiritûs sancti; quia licèt Justi ad illos actus vitaliter & liberè concurrant, Spiritus tamen Sanctus illorum est auctor. *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bonâ voluntate*, Philip. 2.

Porrò sicut Apostolus non omnia carnis opera cit. cap. numerat, sed quædam notiora duntaxat; sic non omnes fructus Spiritus; se nobiliores comprehendit in duodenario illo numero: omnes enim actus cujuslibet habitûs infusi, sive sit virtus, sive sit donum, est fructus Spiritûs.

Attamen fructus omnes non dicunturbeatitudines, sed soli actus donorum; quia ex dictis nomine beatitudinis intelligitur bonum insigne, in cujus possessione animus quiescit; vel

plenè & perfectè, si beatitudo sit perfecta, ut visio Dei intuitiva, quæ est operatio hominis præstantissima, & ultima ejus perfectio: vel imperfectè, si beatitudo sit solùm inchoata, quæ in hâc vitâ exurgit ex actibus præstantioribus: operatio quippe præstantior magis perficit & ampliùs delectat. Atqui ex dictis actus donorum sunt præstantiores actibus virtutum, utpote qui procedant à nobiliori motore: Ergo beatitudines sunt propriè actus donorum.

Q. 18°. *Quomodò octo beatitudines conveniunt cuilibet dono?*

R. Alii aliter explicant. Secundùm Sanctum Augustinum lib. 1. de serm. Domini in monte, prima beatitudo tribuitur timori Domini; quo Justus ob Dei reverentiam seipsum deprimit, honores, & omnia temporalia contemnit. *Rectè hîc intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum; nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudinem; si quidem perventura est ad summam sapientiam; initium autem sapientiæ est timor Domini, quemadmodum & è contrario, initium omnis peccati superbia scribitur. Superbi autem appetunt & diligunt regna terrarum. Beati autem pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* cap. 2.

Secunda beatitudo tribuitur pietati. *Namque mites sunt, qui cedunt in improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum* (scilicet propter Dei timorem & reverentiam.) *Rixentur ergo immites, & dimicent pro terrenis & temporalibus rebus. Beati mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram, de quâ pelli non possunt*, c. 3. & cap. 9. *Inde venit* (pauper spiritu) *ad divinarum Scripturarum cognitionem, ubi oportet esse mitem pietate; ne etiam id, quod imperitis videtur absurdum, vituperare audeat... mitibus hereditas data*

est, tanquam testamentum Patris per pietatem quærentibus.

Tertia convenit scientiæ, *In hoc gradu, in quo scientia est, lugetur amissio summi boni quia inhæretur extremis*, c. 9. & c. 8. *Scientia congruit lugentibus, qui cognoverunt in Scripturis, quibus malis teneantur.*

Quarta congruit dono fortitudinis. *In quarto gradu*, inquit Sanctus Doctor, *labor est, ubi vehementer incumbitur, ut sese animus avellat ab eis, quibus pestiferâ dulcedine innexus est. Hîc ergo esuritur & sititur justitia, & multùm necessaria est fortitudo; quia non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur.*

Quinta est effectus salutaris consilii. *Hoc enim unum remedium est evadendi de istis malis, ut dimittamus, sicut nobis dimitti volumus; & adjuvemus in quo possumus alios sicut & nos cupimus adjuvari.*

Sexta respondet dono intellectûs, quò sublimiùs res divinæ apprehenduntur. *Quemadmodum enim lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis; ita nec Deus, nisi mundum sit illud, quo videri potest... mundis corde data est facultas videndi Deum, tanquam purum oculum ad intelligenda æterna gerentibus.*

Septima tribuitur dono sapientiæ. *Pacificis Dei similitudo est tanquam perfectè sapientibus, formatisque ad imaginem Dei... Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subjicientes rationi, id est, menti & spiritui; carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita sunt ordinata omnia, ut id quod in homine præcipuum est & excellens, hoc imperet, ceteris non reluctantibus, quæ sunt nobis bestiisque communia.*

In octavâ beatitudine septem dona concur-

runt, adeo ut non sit novus perfectionis gradus, sed probatio & declaratio præcedentium. *Septem sunt ergo* (ait S. Augustinus cap. 9.) *quæ perficiunt, nam octava clarificat, & quod perfectum est, demonstrat.* Enimverò omnes, tam pauperes, & humiles spiritu, quàm mites & alii, malè audiunt apud iniquos, linguis eorum proscinduntur, persecutionibus exagitantur; sed beati si in iis tribulationibus gloriantur; quia ipsorum est regnum cœlorum.

Q. 9°. *Omnia dona infunduntur-ne in justificatione?*

R. Affirmans S. Thomæ sententia in scholâ est communior, probaturque; quia in justificatione homo inseritur Christo tanquam membrum capiti, ut Spiritu ejus vivat & regatur; *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Rom. 8. v. 9. Ergo Justus debet disponi ad excipiendas omnes motiones Spiritûs sancti: disponitur autem ad ordinarias per habitus virtutum, ad extraordinarias verò per dona, ut patet ex dictis: Ergo sicut in justificatione infunduntur habitus virtutum, ita & habitus donorum. *In ordine ad finem ultimum supernaturalem*, inquit S. Thomas art. 2. qu. 68. *ad quem ratio movet secundùm quod aliqualiter & imperfectè informata per virtutes Theologicas, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus & motio Spiritûs sancti secundùm illud, Rom.* 8. Qui Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. *Et ideo ad illum finem consequendum necessarium est homini habere donum Spiritûs-sancti.*

In his enucleandis, quæ schola vix attingit, diutiùs immorati sumus; quia operæ pretium est, ut Clerici plenè noverint, & frequenter doceant, quàm pretiosa & maxima dona conjuncta sint cum peccatorum remissione: quàm

divina adjumenta habeant justificati à peccato; ut relapsum caveant, & in bonis operibus abundent: denique quid in peccatore prærequiratur, ut ad tot ac tanta dona recipienda dispositus censeatur.

Paragraphus IV.

De dispositionibus ad justificationem.

Q. Sunt-ne *necessariæ dispositiones ad justificationem*;

R. 1°. Nulla requiritur in parvulis, ut constat ex universali Ecclesiæ traditione, quæ parvulos, quamvis rationis impotes, hactenus baptizavit in remissionem peccati originalis; unde Concilium Tridentium sess. 7. Can. 13. dicit anathema iis, qui docuerint parvulos, cùm ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos. Enimverò si inobedientia primi hominis potuit illis nocere, à fortiori obedientia secundi hominis, qui factus est nobis justitia à Deo, illis proderit.

R. 2°. Constat tum apud Catholicos, tum apud Pseudo-reformatos, adultum non justificari sine præviâ suâ dispositione, quæcunque tandem illa sit; nam Scripturæ spem veniæ non præbent, nisi peccatoribus dispositis, Ezechiel. 18. *Si... impius egerit pœnitentiam... vitâ vivet.* Act. 2. Apostolus Petrus, Judæis prædicatione suâ conterritis, ait: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm.* Act. 8. Philippus Eunucho baptismum efflagitanti respondet: *Si credis ex toto corde, licet*, nimirum te baptizari. Tritum est S. Augustini effatum. *Qui fecit te sine te, non justificat te sine te.* Nec alia ratio afferri potest, cur Deus, qui vult omnes homi-

nes salvos fieri, aliis veniam concedat, pluribus deneget quàm quòd illi gratiæ quâ sese disponant, consentiant: hi resistant.

Sed gravis existit controversia Catholicos inter & heterodoxos, quæ sit necessaria dispositio ad justificationem. Hi quippe unicam agnoscunt, nempe fidem non qualemcunque, sed quâ peccator certò credat se esse prædestinatum, & sibi speciatim applicari promissiones peccatoribus generatim factas. *Sola fides necessaria est, ut justi simus*, ait Lutherus in cap. 2. ad Galat. ubi invehitur in Theologos, quos Sophistas vocat, eò quòd doceat fidem justificare per charitatem, à quâ informatur, scribitque illam distinctionem fidei informis & formatæ esse fanaticam & pestilentem. In caput tamen 15. Gen. agnoscit finem justificantem non esse sine bonis operibus. *Scio*, inquit, *has virtutes esse insignia Dei dona. Scio fidem sine his donis non existere: sed nunc nobis quæstio est quid cujusque proprium sit... hic apertè dico quod faciat sola fides non cum quibus virtutibus conjuncta sit.* Vult nimirum omnia opera quæ ex illis virtutibus, procedunt, esse infecta peccato originali, quod contendit esse ipsammet concupiscentiam, quæ manet in renatis. Hinc in sermone de novo Testamento impiè suggillat bonorum operum merita. *Ego*, inquit, *dico tibi 'quòd angusta est via: oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire. Ceterùm qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus onustos videmus Jacobi peregrinos, iis non poterunt penetrare.*

Calvinus à Luthero non dissentit; sic enim scribit in antidoto Concilii Tridentini ad Can. 11. sess. 6. *Sola fides quæ justificat. Fides tamen, quæ justificat, non est sola; sicut calor Solis est, qui terram calefacit, ipse tamen calor non est solus in Sole, sed cum splendore.*

Calvinistæ Magistri errorem profitentur in suo Catechismo pro dominicâ vigesimâ, ubi Pseudominister sic interrogat Discipulum : *Pouvons-nous croire pour être justifiez, sans faire de bonnes œuvres?* Respondet Discipulus : *Il est impossible. Car croire en Jesus Christ, c'est le recevoir tel qu'il se donne à nous : or il nous promet de nous regenerer par son Esprit, pour nous faire vivre saintement.* Reponit Magister : *La foi donc ne nous rend pas nonchalans à bonnes œuvres?* Respondet Discipulus : *Il en est ainsi.* Ita illi qui saltem in hâc parte carnales Catholicos pudore suffundere debent ; quòd hi in Sacramento se justificatos credant, etiamsi nullâ bonorum operum testificatione justitiam demonstrent.

Verùm quàm malè de operibus Justorum sentiant Calvinistæ, aperiunt in aliâ lectione pro eâdem Dominicâ vigesimâ ubi de bonis Justorum operibus Magister quærit à Discipulo ; *Comment nos bonnes œuvres ne sont-elles pas dignes d'être acceptées puisqu'elles procedent du Saint Esprit?* Respondet Discipulus : *Non pas, à cause qu'il y a toujours quelque infirmité de notre chair mêlée parmi, dont elles sont souillées.*

Ex hoc falso fidei justificantis principio, Novatores singulos sectæ suæ errores ferè deducunt, ac imprimis Justos non peccare, seu quod idem est apud ipsos, Justis non imputari peccata etiam gravissima, quandiu fidem retinent. Deinde neminem à justitiâ recedere, nisi per diffidentiam, ac proinde omne peccatum imputabile habere infidelitatem conjunctam, & per quodlibet peccatum fidem amitti. *Nulla peccata*, inquit Lutherus lib. de captiv. Babyl. *possunt damnare, nisi sola infidelitas.*

Jam demonstravimus Parag. 1°. Gratiam sanctificantem formaliter expellere peccatum, ni-

hilque esse damnationis iis, qui sunt in Christo Jesu. Dicimus autem ubi de effectibus gratiæ bona opera non vitiari motibus omnino indeliberatis concupiscentiæ, utpote qui non sint peccata formaliter, quemadmodum probamus, ubi de peccato originali. Nunc itaque nobis incumbit duntaxat perpendendum, num sola fides ad justificationem disponat, deinde utrùm certâ fide quis credere possit & debeat se esse justificatum à peccatis.

Paragraphus V.

Utrùm sola Fides justificet?

Resp. Solam fidem non justificare; est dogma fidei in concilio Tridentino definitum sess. 6. Can. 9. his verbis: *Si quis dixerit, solâ fide impium justificari; anathema sit.* Et can. 12. *Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quàm fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, quâ justificamur; anathema sit.*

Probatur Concilii definitio, 1°. ex Scripturâ, 1. Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem.... charitatem autem non habuero, nihil sum.* Qui dicit *omnem*, nullam omittit, quæ sine charitate justificare possit. Gal. 5. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.*

Nec dicant Adversarii, dilectionem & alia bona opera tribui fidei justificanti, tanquam fructus & consectaria justificationis, non verò tanquam ejus causas aut dispositiones. Ait enim Apostolus, fidem sine dilectione nihil valere, nihil prodesse.

Confirmatur. Luc. 7. Christus de muliere pec-

catrice dicit, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Hìc manifestè justificatio tribuitur dilectioni, Jac. 2. *Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est? ... Videtis quoniam ex operibus justificatur homo & non ex fide tantùm.* Plures Scripturæ textus proferendi erunt Paragrapho sequenti, ubi sigillatim exponemus per quos actus peccator disponatur ad justificationem.

Probatur 2°. ex constanti praxi universalis Ecclesiæ, quæ à tempore Apostolorum variis virtutum operibus disposuit, sive Catechumenos ad baptismum, sive lapsos post baptismum ad Sacramentum pœnitentiæ.

Dices 1°. Rom. 3. sic scribit Apostolus: *Arbitramur ... hominem per fidem justificari sine operibus.* Ergo.

Respondeo distinguendo antecedens, justificatur homo sine operibus, quæ fidem & gratiam præcedunt, Concedo: quæ ex fide & gratiâ procedunt, Nego anteced. Porrò de prioribus loquitur sanctus Paulus; de posterioribus verò sanctus Jacobus. Ille quippe in Epistolâ ad Rom. insectatur tum Gentiles, qui de suâ morum disciplinâ gloriabantur, fidemque in Christum ut minimè necessariam, respuebant: tum Judæos, qui de operibus legis præsumentes, electionem suam ad fidem proprio merito adscribebant. Contra utrosque autem Apostolus astruit necessitatem fidei in Christum, ex eo quòd nec Gentiles servaverint legem naturalem, nec Judæi legem Mosaïcam. *Omnes enim*, inquit cit. cap. *peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* & cap. 11. v. 32. *Conclusit ... Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur.* Ac proinde nemo ex operibus naturæ vel legis justificatur.

Sed cùm hæretici superstitibus adhuc Apostolis epistolam ad Romanos in pravum sensum, à quo non recedunt Novatores, detorquerent teste Apostolorum principe, 2. epist. c. 3. v. 15. his verbis: *Sicut charissimus frater noster Paulus ... loquens in eis* (epistolis) *de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* S. Jacobus, ad illos refellendos suam epistolam scripsit, in quâ multis probat fidem non justificare sine operibus.

Instas: plures è sanctis Patribus, ut S. Hilarius cap. 8. in Matth. absolutè pronuntiant, *sola fides justificat.* Ergo.

Distinguo antec. sola fides viva, quæ per dilectionem operatur, Concedo: Sola fides mortua seu informis, ut loquuntur Theologi, Nego anteced. Nam ex S. Augustino lib. 15. de Trin. cap. 18. *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non & prodesse.* & lib. de nat. & gratiâ cap. ultimo: *Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est.*

Urges: fides mortua non est vera fides, quemadmodum homo mortuus non est homo nisi æquivocè: atqui fides sine operibus mortua est: Ergo non est vera fides, nisi quæ attrahit Spiritum Christi, ex quo procedunt bona opera, justificationis fructus.

Confirmatur 1°. S. Jacobus laudato capite 2. fidem sine operibus comparat fidei dæmonum: atqui vera fides non est in dæmonibus; Ergo nec in iis qui non operantur. 2°. Sicut Christus non separatur à Spiritu-sancto sic nec fides à dilectione. 3°. 1. Joan. 2. *Qui dicit se nosse*

eum, & mandata ejus non custodit, mendax est. Ergo non est vera fides sine operibus.

Respondeo negando majorem & paritatem. Disparitas est, quòd homo dicitur mortuus per substractionem & separationem alicujus essentialis, nempe animæ: sublatâ autem parte essentiali, desinit totum essentiale, scilicet homo. Contrà fides dicitur mortua, eo sensu quo dicitur corpus mortuum, hoc est, propter substractionem ac separationem alicujus extrinseci, & minimè essentialis; quemadmodum enim anima non est essentialis corpori; ita nec charitas fidei. Ergo sicut corpus mortuum est verum corpus, sic & fides mortua est vera fides.

Ad ea verò, quæ in confirmationem proferuntur, Respondeo.

Ad primum, alia est similitudo in naturâ, qualis est inter patrem & filium: alia in accidentibus, quo sensu homo carnalis dicitur similis bestiis, quia licèt sit diversæ naturæ, easdem voluptates sectatur. Sic fides peccatoris, quamvis essentialiter differat à fide dæmonum, quæ in ipsis est cognitio naturalis, & propter evidentiam rerum necessaria; in eo tamen convenit cum fide dæmonum, quòd sit charitate & bonis operibus destituta; ac proinde peccator ad mentem Apostoli, de hâc fide non debet gloriari; nam fides Justorum propria per dilectionem operatur. Et hæc fides viva, de quâ dicitur 1. Gal. 3. vers. 11. *Justus ex fide vivit.*

Ad secundum, fides quidem non potest esse sine sancto Spiritu assistente, sicut nec lux dici sine sole illuminante: sed manet in peccatoribus, Spiritu sancto non inhabitante; disciplinæ enim effugiet fictum, nec habitabit in corpore subdito peccatis, ut dicitur. Sap. 1. *Jam*

credit aliquis in Christo, sed odit Christum, inquit sanctus Augustinus tract. 10. in epistolam Joan. *Habet confessionem fidei timore pœnæ, non in amore coronæ. Adde huic fidei dilectionem ut fiat fides, qualem dicit Apostolus, fides quæ per dilectionem operatur.*

Ad tertium, duplex est Dei cognitio, alia est speculativa, imperfecta, & otiosa, qualem Apostolus dixit Rom. 1. habuisse Philosophos, *qui cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt ... sed evanuerunt in cogitationibus suis.* Alia est effectiva & practica. Qui hanc habet, ex Deo natus est 1. Joan. 5. & servat ejus mandata; qui non habet, confitetur quidem se nosse Deum factis autem negat, ut dicitur ad Tit. c. 1. Et ideo non illum novit, sicut oportet, mendaxque est, si hoc modo se nosse dicat.

Dices 2°. ex sancto Augustino lib. de fide & operibus c. 14. *Sequuntur opera justificatum, non justificandum.* In Psalm. 110. *Justitiam homo non operatur nisi Justificatus.* Ergo sola fides præcedit justificationem, quatenus per eam veluti per manum apprehenditur justitia Christi.

Distinguo anteced. Justificationem sequuntur opera viva & meritoria, quibus lex adimpletur, & retributio seu merces debetur, Concedo: Sequuntur omnia omnino opera, ita ut nulla bona præcedant, Nego anteced. namque sanctus Augustinus serm. 351. aliàs hom. 50. & alibi passim describit pœnitentiam, quam agi oportet ante baptismum.



PARAGRAPHUS VI.

Quæ tandem dispositio adultis necessaria est ad justificationem?

R. CONcilium Tridentinum sessione sextâ, capite 6. septem actus requirit, quibus impii ad justitiam disponantur, scilicet fidei, timoris, spei, dilectionis Dei, pœnitentiæ, & odii peccati, propositi suscipiendi Sacramenti, novæ vitæ instituendæ, & mandata servandi. *Disponuntur*, inquit, *ad ipsam justitiam dum excitati gratiâ divinâ, & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum .... Et dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam & servare divina mandata.*

Probatur Concilii doctrina.

Primò, Fidem esse initium salutis docet Apostolus Heb. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum.* Ex sancto Clemente Alexandrino lib. 2. Stromatum, *Fides est ad salutem inclinatio, post quam timor, & spes, & pœnitentia.* Et ex S. Augustino lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 1. *Fides prima datur, ex quâ cetera impetrantur.*

Secundò, de timore Dei dicitur Eccli. 1. *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Item,

timor Domini expellit peccatum. De eodem quoque S. Augustinus lib. de catechisandis rudibus cap. 5. *Rarissimè accidit, imò verò nunquam, ut quisquam veniat valens fieri Christianus, qui non sit aliquo timore Dei perculsus.* & tract. 9. in Epist. Joan. *Timor Dei sic vulnerat, quomodò Medici ferramentum putridinem tollit. Opus est ergo ut intret timor, per quem veniat charitas, Timor, medicamentum; charitas, sanitas.*

Tertiò, spes disponit ad justitiam, cap. 28. Prov. *Qui .... sperat in Domino, sanabitur.* Mat. 9. *Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Hinc sanctus Ambrosius lib. 1. de pœnitentiâ cap. 1. *Nemo potest bene agere pœnitentiam, nisi speraverit indulgentiam.*

Quartò, dilectio Dei sequitur spem, ut habetur Eccli. 2. *Qui timetis Dominum, sperate in illum .... diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Item Galat. 5. *Neque circuncisio aliquid valet, neque præputium; sed fides quæ per charitatem operatur.* Si hæc dilectio sit perfecta, est ultima dispositio, & justificat extra Sacramentum actu susceptum, juxta illud Christi, Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Si sit imperfecta, est dispositio duntaxat remota, nec justificat extra Sacramentum. Et de hoc amore imperfecto intelligendum est Concilium Arausicanum secundum Can. ultimo, ubi sic habet. *Deus fidem & amorem sui priùs inspirat, ut Sacramenta baptismi fideliter inquiramus.* Quid sit autem amor ille imperfectus, opportuniùs explicabitur tract. de baptismo, ubi plura in praxi necessaria dicemus de dispositionibus ad Sacramentum, sive baptismi sive pœnitentiæ suscipiendum.

Quintò de pœnitentiâ habetur. Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur, unusquique vestrûm*

in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum. & cap. 11. *Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.*

Sextò, de proposito servandi mandata, inchoandi novam vitam, & suscipiendi Sacramentum loquuntur hi Scripturæ textus: *Præparate corda vestra Domino* 1. Reg. 7. *Docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritûs-sancti, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis*, Mat. 28. v. 19. Enimvero qui paratus non est obtemperare voluntati ejus, quem offendit, cum illo reconciliari non potest. Atqui Deus vult, ut peccator Sacramentum recipiat, & mandata ejus observet. Ergo.

Q. *Recensitæ dispositiones concipiuntur-ne simul, an gradatim & successivè?*

Respondet S Thomas 1. 2. qu. 113. art. 10. Sicut morbi corporis ordinariè non sanantur, nisi successivè, & repetis remediis, sic nec peccata, quæ sunt morbi animi. Gratia enim æquè ac natura ab imperfectis progreditur ad perfectiora. Sed extraordinariè & supra consuetum, sive naturæ, sive gratiæ operandi modum; salus, tum corporis per ægritudinem amissa, tum animi per peccatum perdita, in instanti recuperari potest. Legimus quippe in Scripturis plures ægros ab infirmitate subitò convaluisse, & peccatores statim justificatos, ut Davidem 2. Reg. cap. 12. v. 13. Peccatricem, Luc. 7. v. 47 Paralyticum, Matth. 9. v. 2. Latronem in Cruce, Luc. 23. v. 43. Sed miracula sunt ista, utpote quæ excedant ordinem, priora naturæ, posteriora gratiæ. Ergo si periculosè ægrotans, temerè & admodum stultè, necessaria remedia rejiceret, hâc confidentiâ, quod Deus cujus misericordiæ non est numerus, in sui gratiam tale miraculum sit

præstiturus, quale pluribus infirmis non denegavit: à fortiori peccator, qui spretis pœnitentiæ exercitiis, præsumeret se in extremis repentè mutandum, & exemplo Davidis efficaciter pronuntiaturum, *Peccavi.*

Paragraphus VII.

Utrùm peccator solis liberi arbitrii viribus possit se disponere ad justificationem?

R. Non potest. Est fidei dogma definitum 1°. in Conciliis Diospolitano, Milevitano, & aliis, in quibus oppositus Pelagianorum error proscriptus; 2°. in Concilio Arausicano secundo, quod Can. 7. contra Semipelagianos sic statuit: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem vitæ æternæ pertinet, cogitare ut expedit, vel eligere posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritûs sancti, hæretico fallitur spiritu.* Ac demum in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 5. his verbis: *Declarat prætereà* (sancta Synodus) *ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum præveniente gratiâ, sumendum esse.* & can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs-sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Novatores in hâc parte Catholicis consentiunt.

Probatur veritas Catholica 1°. ex Scripturis, Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater ... traxerit eum.* In quem locum S. Chrysostomus hom. 45. vel 46. secundùm nonnullas editiones, sic scribit: *Hoc non tollit liberum arbitrium, sed ostendit nos indigere divino auxilio.* Rom. capite 9. *Non volentis, neque currentis, sed mise-*

rentis est Dei. Quæ verba expendens S. Augustinus Enchir. cap. 30. hæc habet: *restat, ut propterea dictum intelligatur*, non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei *ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem præparat, adjuvando & adjuvat præparatam.*

Probatur 2°. ratione; quia debet esse quædam proportio ordinis & habitudinis inter dispositiones & formam; cur enim humiditas & frigus lignum non disponunt ad formam ignis, sicut siccitas & calor; nisi quia nec proportionem nec ordinem habent ad formam ignis? Atqui actus naturalis nullam habet proportionem, nullumve ordinem ad formam supernaturalem, qualis est gratia justificans: Ergo quantumcunque bonus supponatur, non potest esse ad illam dispositio, quemadmodum nec calor, nec frigus, nec alia quævis qualitas naturalis aquam baptismalem, sive proximè, sive remotè disponit ad virtutem sancti Spiritûs recipiendam. Verissimè ergo S. Prosper cecinit carmine de ingratis c. 25.

Ipsa (gratia) *agit & cunctis dux est venientibus ad se*,
Perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsum.

Dices 1°. Zach. 1. dicitur, *Convertimini ad me .... & ego convertar ad vos.* Ergo.

Respondent patres Tridentini sess. 6. cap. 5. cùm in sacris Litteris dicitur, *Convertimini ad me*, &c. libertatis nostræ admonemur: cùm respondemus, *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur*, Thren. 5. v. 21. Dei nos gratiâ præveniri confitemur.

Dices 2°. Scriptum est Prov. 16. *Hominis est præparare animam, & Domini gubernare linguam.* Apoc. quoque 3. *Si quis .... aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* Ergo.

Respondet S. Augustinus l. 2. ad Bonifacium c. 8. *Homo præparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui tangit cor*, & aperit juxta illud 2. Machab. c. 1. *Adaperiat* (Deus) *cor vestrum.*

Dices 3°. ex S. Chrysostomo hom. 17. in Joan. Deus non prævenit voluntates nostras; sed cùm cœperimus, cùm voluntatem præbuerimus, tunc & ipse plures nobis dat salutis occasiones. Ergo.

Distinguo antecedens, non prævenit necessitatem inferendo, Concedo: alliciendo & adjuvando, Nego antecedens. Patet solutio ex hom. 45. mox laudatâ.

Dices 4°. Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, ita S. Augustinus lib. 19. de Civ. Dei cap. 13. *Quisquis talibus bonis* (naturalibus) *fuerit rectè usus, accipiet meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem*, Et S. Thomas qu. 24. de verit. a. 1. ad secundum, *Gratiam*, inquit, *quamvis ex libero arbitrio homo non possit acquirere, potest tamen se ad gratiam habendam præparare.* & in secundum sentent. dist. 25. q. 2. art. 1. ad secundum, docet hominem natum inter Infideles, faciendo quod in se est, accepturum à Deo necessaria ad salutem. & qu. 14. de verit. art. 11. *Si quis in silvis natus sequeretur ductum naturalis rationis futurum Deus revelaret ea, quæ sunt necessaria ad credendum.* Ergo.

Respondet 1°. ex S. Thomâ lect. 3. in cap. 10. Epist. ad Rom. Nemo sine gratiâ faciet unquam quod in se est. *Hoc ipsum*, inquit, *quòd aliqui faciunt quòd in se est, convertendo se scilicet ad Deum: ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum*, secundùm illud Thren. 5. *Converte nós, Domine, ad te, & convertemur.* Hanc doctrinam Angelicus Doctor videtur hausisse ex sancto Augustino, qui lib. 2. de pec. mer. c. 3.

sic scribit : *Ad nonnulla superanda, vel quæ malè cupiuntur vel quæ malè mutuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis, quas non perfectè non in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit, non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Ergo à fortiori homo omni gratiæ auxilio destitutus, nunquam totas exeret vires, ut faciat quod in se est. Sed supponamus aliquando facturum, quod sine exemplo est.

Respondeo 2°. distinguendo Antecedens; facienti quod in se est motione Spiritûs-sancti, Deus non denegat gratiam, Concedo : *Quia intentio Dei*, inquit, S. Thomas qu. 112. art. 3. *deficere non potest; unde si ex intentione Dei moventis est, quòd homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur.* Facienti quod in se est naturalibus viribus, Deus non denegat gratiam, Nego anteced. Vel enim naturalis ille conatus esset dispositio ad gratiam, quod falsum esse jam ostendimus : vel esset conditio, sine quâ non ex pacto Dei patris cum Christo inito : & hoc non ; tum quia Clerus Gallicanus rejicit hujusmodi pactum, ut merè fictitium. Consule quæ in hanc rem diximus c. 3. paragr. ultimo ad calcem ; tum quia hæc conditio esset titulus onerosus contra rationem gratiæ & puræ misericordiæ, quâ Deus peccatorem vocat ad pœnitentiam ; positâ enim hujusmodi conditione viribus liberi arbitrii Deus teneretur suas partes implere, hoc est, gratiam conferre. Quàm autem illud repugnet doctrinæ sancti Augustini, cujus auctoritas nobis objicitur, nemo non videt. Quòd verò spectat Sanctum Thomam, præterquamquod mentem ejus satis jam aperuimus, potest ampliùs declarari exemplo Cornelii, quo ipse utitur

tititur, ut probet Deum non defuturum homini in silvis enutrito, si faciat quod in se est; nam 2. 2. qu. 10. art. 4. ad tertium agnoscit, quod verissimum est eumdem Cornelium, non sine Dei auxilio, orasse, & eleemosynas erogasse. Ergo sanctus Doctor supponit ejusmodi hominem in silvis natum, facere quod in se est, Deo interiùs illum adjuvante.

Instas: Saltem negari non potest, quin naturalis ille conatus, si sit ex totis viribus habeat rationem removentis prohibens; nam Apostolus testatur se ideo misericordiam consecutum esse, quia ignorans in Christum peccavit. Ergo bona opera naturalia aliquid conferunt ad justificationem.

Nego anteced. 1°. quia Deus impiissimos aliquando efficaciter vocat. Ergo peccata absolutè non prohibent opus gratiæ. 2°. Quia etsi peccata efficiant hominem gratiæ indignum, non sequitur quòd bona opera naturalia illum reddant gratiæ dignum: sed solùm id præstant, ut eo titulo non sit indignus, quod ultrò fatemur, nec negari potest, sed non desunt aliæ rationes, propter quas est indignus, cùm non sit immunis ab omni peccato.

Sanctus Paulus ante conversionem dignus erat pœnâ, non misericordiâ: sed tantam pœnam non merebatur propter ignorantiam, quantam si in Spiritum sanctum blasphemasset, hoc est, ex malitiâ; quemadmodum aliqui ex Pharisæis. Ex quo sequitur duntaxat, quòd fuerit minùs quàm illi indignus misericordiâ.

Ergo falsâ spe deluduntur, qui conversionem differunt aliquando usque ad mortem, ut interim liberiùs peccent. In quo enim confidunt illi? An in firma, quam sentiunt, voluntate faciendi quandoque quidquid in se est, ut dam-

nationem æternam effugiant? At constat ex dictis, quòd nemo unquam sine gratiâ totas vires sic adhibiturus sit. Annon peccator totas exerere debet, ut jugum cupiditatis, quæ ipsi dominatur, excutiat, ut vitia longâ consuetudine contracta, quæ illum tenent ligatum, debellet, ut pietas palato malè affecto ingrata suavis fiat, ut cor adaperiat ad Deum extrema supplicia minitantem, & ideo minùs placentem, plusquam seipsum diligat? Nam ex S. Bernardo serm. 24. n. 9. in Cant. *Qui non placet Deo, non potest illi placere Deus*, nisi præveniatur gratiæ suavitate. Qui dicit ista nunc sibi videri impossibilia, an faciliùs præstiturus est, cùm vis morbi & acutissimi dolores sensum depriment; cùm timor febris magis accendendæ, & mortis accersendæ præ nimiâ animi contentione, avocabit ab omni curâ & solicitudine.

Sed demus, quòd facturus sit quidquid in se est, quid ad peccatorum remissionem & justificationem heroïcus ille voluntatis conatus, cùm non habere possit rationem dispositionis aut conditionis sine quâ non, nisi sit à Spiritu-Sancto supernaturaliter movente? Absit ergo ut confidat in naturali voluntatis affectu, quo æternam damnationem summè exhorret, spes ejus solâ Dei misericordiâ nitatur necesse est. Sed unde illam sibi polliceatur? An quia sicut Apostolus ignorans fecit ipse toties vocatus toties monitus, & semper rebellis? An potiùs, quia Deus peccatori, nullo excepto, promisit Ezech. 17. quòd in quacunque die, etiamsi sit extrema, conversus fuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabitur? At promissio illa datur sub conditione, *si conversus fuerit*, *si pœnitentiam egerit*. Ubi autem extat promissio, quòd in quâcun-

que die, etiam extremâ, Deus daturus sit gratiam, sine quâ, juxta Fidem Catholicam, adultus nec converti, nec pœnitentiam agere potest? Certum igitur & indubitatum, quòd impius, in quâcunque die conversus fuerit, benignè à Deo suscipiendus sit; fidelis enim Deus in promissis suis: at incertum, an Deus in quâcunque die concessurus sit gratiam, quâ impius actu & de facto convertatur, & pœnitentiam agat; quia nullibi extat ejusmodi promissio, imò Deus quam sæpissimè minatur, se non auditurum ad se clamantes, qui illum vocantem non obaudiêre. *Justissima enim pœna est*, inquit sanctus Augustinus, *ut qui noluit cùm potuit, non possit cùm voluerit.*

Verùm supponamus, quod pro certo asserere non possumus, Deum in quâcunque die peccatori daturum gratiam, quâ quidquid in se est, agere possit ad justificationem consequendam; aliud fiduciam peccatoris elevabit, nempe ex dictis constat, gratiam sine miraculo non repente, sed successivè duntaxat ad justificationem disponere; quemadmodum nec in ordine naturali remedia salutem corporis subitò operantur. Ergo peccator, qui hodie cor suum obdurat contra vocem Domini, sperans se in extremis gratiâ Dei repente convertendum, vanâ spe deluditur, non secus ac infirmus, qui spretis salutaribus & necessariis remediis, mori eligeret hâc fiduciâ, quòd illum Deus sicut Lazarum & plures alios statim à mortuis revocaret; subita enim peccatoris immutatio, est majus miraculum, quàm mortuorum resurrectio; quia præterquamquod est contra consuetum operandi modum gratiæ, magis excedit naturæ vires. Ita S. Thomas hîc quæst. 113. art. 10.

Paragraphus VIII.

Utrùm quis possit certò scire se remissionem peccatorum, & gratiam sanctificantem esse consecutum?

Pseudoreformati ex falso suo principio, quòd fides justificans nihil sit aliud, quàm certa & indubitata fiducia nos esse prædestinatos, deducunt peccatorem debere, nedum posse, esse certum de sua justificatione, adeo ut, si quis eâ de re tantisper dubitet, statim à gratiâ excidat. Hunc impium errorem Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. anathemate percussit his verbis. *Si quis dixerit .... neminem verè esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum .... anathema sit.* & Can. 15. *Si quis dixerit hominem renatum & justificatum teneri ex fide ad credendum, se ... esse in numero Prædestinatorum; anathema sit.* Denique Can. 27. *Si quis dixerit nullum esse.. peccatum, nisi infidelitatis, aut nullo alio quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis, peccato, semel acceptam, gratiam amitti; anathema sit.* Quare ad propositam quæstionem juxta Concilii definitionem,

Respondeo, nullus sine speciali Dei revelatione certus esse potest certitudine fidei, quæ excludat omnem formidinem, sibi remissa esse peccata: potest tamen conjecturali & morali certitudine. Duæ responsionis sunt partes.

Prima pars probatur ex Scriptura & sanctis Patribus, Prov. 20. *Quis potest dicere, Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Eccl. 9. *Nescit homo utrùm odio vel amore dignus sit.* In quem locum sanctus Hieronymus sic scribit: *Sensus est, inveni justorum quidem opera in manu Dei, & tamen utrùm à Deo amentur, aut non, nunc eos*

ſcire non poſſe, & ambiguos fluctuare, utrùm ad probationem ſuſtineant, quæ ſuſtinent, an ad ſupplicium. In futuro igitur ſcient. Eccli. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* 1. Cor. 4. Apoſtolus de ſeipſo ait: *Nihil .... mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum qui autem judicat me, Dominus eſt.* Quæ verba expendens S. Chryſoſtomus ſcribit, *non Corinthios tantùm, ſed ſeipſum privat hoc judicio.* Et ſanctus Hieronymus libro ſecundo contra Pelagianos, *temperabat ſententiam, ne fortè per ignorantiam deliquiſſet, quanta abyſſus ſit, audite.* Sanctus quoque Auguſtinus in Pſalm. 41. *Tantam profunditatem credit eſſe in homine, quæ lateat ipſum hominem in quo eſt.* Sanctus etiam Baſilius, Conſtit. monaſt. cap. 2. *Multa peccantes plurima non intelligimus. Quapropter dicit Apoſtolus, Nihil mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum; hoc eſt, multa pecco, & non intelligo.* Denique ſanctus Gregorius lib. 9. Moral. *Conditoris contra me judicia, quâ temeritate redarguo, qui ipſum me de infirmitatis caligine ignoro?* & lib. 2. Regiſt. epiſt. 22. ad Gregoriam, quæ optabat fieri certiorem peccata ſibi fuiſſe remiſſa, ſic reſcribit: *Rem difficilem & inutilem poſtulaſti. Difficilem quidem, quia indignus ſum, cui revelatio fieri debeat. Inutilem etiam; quia ſecura de peccatis remiſſis fieri non debes, niſi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo, plangere eadem peccata minimè valebis .... quoaduſque veniat, ſemper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.* Ecce Summus Pontifex ſanctiſſimus æquè ac doctiſſimus neſciebat quod hodie Novatores exploratum ſe habere profitentur.

Probatur 2°. ratione. Nulla ſunt ſigna clariora gratiæ jam adeptæ, quàm opera perfectiſſimæ charitatis, quale eſt martyrium, erogatio

totius substantiæ in usus pauperum: Atqui ex Apostolo, 1. Cor. 13. ista præstari possunt sine charitate, atque adeo sine gratiâ sanctificante: Ergo.

Deinde ex adversariis, ut quis certus sit certitudine fidei, credat necesse est, & quidem fide divinâ, se esse prædestinatum: Atqui nullus hoc modo potest esse certus se esse prædestinatum. Nam ipsemet Calvinus fatetur, quod negare non potest, plures se credere prædestinatos, qui reverà sunt reprobi, ac proinde falli in hac suâ prædestinationis fiduciâ. Enimverò, non omnes Lutherani & Calvinistæ sunt prædestinati; & tamen nullus est ex iis, qui non indubitanter credat, peccata sibi dimiti; Ergo plures ex iis hac suâ persuasione dicipiuntur. Jam proferant signa certa & indubitata, quibus constet hos esse prædestinatos, ac proinde veram fidem habere illos verè esse reprobos, ideoque inani fiduciâ deludi.

Dicent fortassis, Spiritum-sanctum certam fiduciam in prædestinatis excitare, in reprobis minimè.

Sed contrà. Omnes & singuli Calvinistæ dicunt & credunt, à Spiritu sancto se moveri ad credendum, nec possunt discernere, quis in hac persuasione decipiatur: Ergo non modò non habent absolutam de justificatione suâ certitudinem, ut contrà careant etiam probabilibus illis conjecturis, quibus Ecclesia Catholica obedientes filios, & nihilominus ob propriam infirmitatem formidantes, ex Scripturis recreat, ut videre est in alterâ parte nostræ responsionis. Itaque

Secunda pars, quæ est de certitudine probabili, quæ potest esse major vel minor, secun-

dùm diversos perfectionis gradus, ad quos justus pervenit, probatur 1°. ex Scriptura, Rom. 8. v. 15. 16. *Non ... accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, (Pater.) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus Filii Dei:* hoc est, Spiritus sanctus quos inhabitat, non instar servorum solo pœnæ timore, sicut olim Judæos adigit ad obediendum legi; sed filialem indit indolem, quâ filiali fiduciâ invocant Deum & patrem amantissimum, ex quâ justi præsentiam Spiritûs-sancti in se habitantis colligere possunt, 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Quamvis enim Apostolus suprà dixerit se hoc testimonio planè non inniti, ita ut certus esset se coram Deo justificatum; nihilominus inde reficiebatur interiùs, & inter adversa tranquillus erat & exultans, juxta illud Isaïæ cap. 32. *Erit opus justitiæ pax.* & Gal 5. *Fructus ... spiritûs est charitas, gaudium, pax,* &c. 1. Joan. 3. v. 19. *In hoc cognoscimus* (nempe quia diligimus fratres) *quoniam ex veritate sumus, & in conspectu ejus suadebimus corda nostra.*

Probatur 2°. ex sanctis Patribus. S. Augustinus serm. 155. aliàs 6. de verbis Apostoli, sic loquitur: *Ecce adjuvante ipsius misericordiâ, Spiritum Christi habemus: ex ipsâ dilectione justitiæ, integrâ fide, Catholicâ fide, Spiritum Dei nobis inesse cognoscimus*, S. Gregorius lib. 6. epist. 26. aliàs 187. *Cùm longâ*, inquit, *mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione securitas nascitur.* Et S. Bernardus serm. 6. in Cant. ait: *Si hæc sensero, non ambigo sponsum adesse; verbi siquidem copiæ sunt; & de plenitudine ejus ista accipimus.*

Dices 1°. pro præsumpta Hæreticorum cer-

titudine. Rom. 4. v. 14. & 16. sic legitur: *Si enim qui ex lege, heredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio*; quia scilicet omnes legem sunt transgressi. *Ideo ex fide, ut secundùm gratiam firma sit promissio omni homini.* Hæc non verba sunt, ait Kemnitius, sed fulmina contra Concilium Tridentinum. Ergo certitudine fidei credere debemus Dei promissa.

Distinguo consequens. Credere debemus promissa generatim facta, v. g. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, Concedo: quia Deus hæc dixit; nec eorum veritatem labefactare potest hominum iniquitas: credere debemus promissa illa mihi privato applicari, dum invoco nomen Domini, aut panem hunc manduco, Nego conseq. quia certus non sum me invocare nomen Domini, aut panem, quem dedit nobis Dominus, manducare sicut oportet; Deus enim illud posterius non mihi revelavit. Ita Patres Tridentini sess. 6. cap. 9 *Sicut nemo pius*, inquiunt, *de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet: sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare & timere potest.*

Instas, promissio est universalis & omnibus facta: Ergo & singulis, namque pars continetur in toto.

Distinguo consequens: Ergo & singulis conditionatè, si pœnitentiam agant, sicut oportet, Concedo: Ergo & singulis absolutè, Nego conseq.

Ergo, inquies, si singuli partes suas non agant, nec conditionem ponant, abolita est promissio, quod manifestè pugnat contra Apostolum; probat quippe firmam esse Dei pro-

missionem, quia ex fide; alioquin si ex operibus, evacuata est promissio; nam ex Psalmo 13. quem laudat: *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, nonest usque ad unum.*

Respondeo 1°. retorquendo argumentum contra Adversarios, si singuli careant certâ illâ fiduciâ, sine quâ non applicantur merita Christi, ut contendunt, abolita similiter erit Dei promissio. Absit, inquient; nam promissio Dei semper stat in se firma, etiamsi supponantur homines illam negligere; quemadmodum fons perennis non ideo exsiccatur, quia nullus haurit ex illo. Bene quidem. Sed quis non videat hâc responsione solvi incommodum, quod nobis objiciunt?

Respondeo 2°. promissionem Dei universali Ecclesiæ factam, *Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*, Matth. c. 16. *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, Matth. 28. esse absolutam, ac proinde falsò supponitur in objectione, quòd omnes collectivè promissionibus divinis obicem ponant, quamvis id possint singuli distributivè sumpti; Ex falsâ autem hypothesi mirum non est, quòd sequatur absurdum.

Dices 2°. Apostolus 2. Corinth. 13. v. 5. sic scribit: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate. Annon cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est, nisi fortè reprobi estis?* Atqui hæc verba indicant omnimodam certitudinem: Ergo.

Distinguo min. indicant omnimodam certitudinem miraculorum, per quæ Apostolus efficaciter probavit se à Deo missum, & Christum esse Filium Dei, Concedo: indicant certitudinem gratiæ sanctificantis, in unoquoque

T v

justo existentis, Nego min. nam de ea non agit Apostolus, sed de gratiis gratis datis, de dono linguarum, & aliis miraculis, quæ frequentia erant in Ecclesia Corinthiorum, quæque potenter demonstrabant divinam Christi potentiam, *nisi fortè*, inquit Apostolus, *estis reprobi*, hoc est, nisi aliqui inter vos ex infidelitate blasphemantes divina illa opera tribuant magicis artibus.

Instas: 1. Cor. 2. Apostolus manifestè loquitur de gratia sanctificante, & de eâ tamen sic scribit, v. 12. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis* : Ergo.

Nego anteced. Constat enim vel ex ipso contextu, Apostolum loqui de mysteriis nostræ Religionis, ac præsertim de œconomia redemptionis per Jesum-Christum, quæ fuerat abscondita in Deo, quamque nemo sine Spiritu Dei cognoscere potest. *Quis enim hominum*, inquit, *scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.*

Dices 3°. Sanctus Chrysostomus hom. 14. in epist. ad Romanos de interiori Spiritûs sancti testimonio sic loquitur: *Quando verò Spiritus-sanctus testatur, quænam relinquitur ambiguitas?* Ergo in mente sancti Doctoris justus habet omnimodam certitudinem peccata sibi esse remissa.

Respondeo 1°. opponendo quæ ex sancto Chrysostomo retulimus in confirmationem primæ partis nostræ responsionis. Quare ut sanctus Doctor secum concilietur,

Respondeo 2°. distinguendo anteced. nulla relinquitur ambiguitas circa testimonium Spiri-

tùs sancti in se spectatum, Concedo: firmâ enim fide credimus, peccata in baptismo remitti: Christianos non accipere spiritum servitudinis iterum in timore; sed Spiritum adoptionis filiorum, in quo clament, *Abba Pater*. Nulla relinquitur ambiguitas circa signa, quibus justus conjicit Spiritum sanctum sibi testari, sua peccata esse remissa, se accepisse gratiam adoptionis, Nego anteced. Quot enim peccatores confidenter Deum inclamant, *Abba Pater*? Nonne Satanas transfigurat se in Angelum lucis, ut decipiat. Illud ipsum agnoscit Calvinus, docetque plures falsò credere se esse prædestinatos, & peccatorum remissionem esse consequutos. Itaque non de testimonio Spiritûs-sancti, sed de testimonio propriæ conscientiæ cum Apostolo dubitamus; ita tamen ut justis non desint signa magis aut minùs probabilia acceptæ justitiæ.

Q. *Quibus indiciis justus conjicere potest se gratiam justificationis esse consecutum?*

Huicce quæstioni accuratiùs respondendum: cùm ejus resolutio sit maximè necessaria, ut Clerici non solùm alios, sed & seipsos probent, juxta illud Apostoli præceptum, *Probet autem seipsum homo*, 1. Cor. 11. Quare?

R. Tria signa numerantur à sancto Thomâ qu. 112. art. 5. his verbis: *Cognoscitur aliquid conjecturaliter per aliqua signa, & hoc modo aliquis cognoscere potest se habere gratiam, in quantum scilicet percipit se delectari in Deo & contemnere res mundanas, & in quantum homo non est sibi conscius alicujus peccati mortalis.*

Primum probatur 1°. ex Scriptura, Psal. 96. *Lux orta est justo, & rectis corde lætitia*, Gal. 5. *Fructus ... Spiritûs est charitas, gaudium, pax*. Col. 3. *Si consurrexistis cum Christo ... quæ sursum sunt*

sapite, non quæ super terram. Sensus est, si reverà à morte peccati ad vitam gratiæ educti estis, & Christo resurgenti similes effecti, cum sapore & delectatione, quæ Dei sunt, cogitetis & ametis necesse est. Unde omnibus in Christo renatis dicitur 1. Petri c. *Si tamen gustatis quoniam dulcis est Dominus.* in Græco legitur: *Si quidem, quandoquidem gustatis.* De iisdem etiam scribit Apostolus Heb. 6. v. 4. *gustaverunt etiam donum cœleste.*

Probatur 2°. ex Patribus. Ex S. Augustino, gratia est ipsamet spiritualis delectatio, lib. de spiritu & lit. cap. 3. *Necesse est*, inquit, *ad bene vivendum, ut homo accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi & incommutabilis boni* & in Psal. 85. *Si nulla jucunditas, deficimus.* & ex hâc interiori delectatione concludit, fiduciam nasci, Deum nobis esse propitium: *brevis sermo*, inquit, *places tu Deo, si tibi non displicet Deus.* Idem docet sanctus Bernardus serm. 24. in Cant. ubi sic loquitur: *Cui placet Deus, Deo displicere non potest.*

Probatur 3°. ratione; quia cum remissione peccatorum charitas infunditur: Atqui ex 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Manet, inquam, in Deo, modo charitati proprio, nempe tanquam amans in amato, in quo ita delectatur saltem secundùm interiorem hominem, ut nonnisi Deum & divina cogitare & intendere appetat, nec aliud ei magis in votis sit, quàm per omnia dilecto placere, servire, gratificari.

Dices: Multi qui pietatem impensè colunt, ejusmodi suavitate nonnunquam privantur, vel in pœnam præcedentis negligentiæ, & levioris peccati, vel ad profectum humilitatis, vel ad probationem virtutis. Ipsemet S. Bernardus

serm. 54. in Cant. subtractam sibi interiorem illam suavitatem plangit flebilibus his vocibus: *Superbia inventa est in me, & domus in irâ declinavit à servo suo. Hinc ista sterilitas animæ, & devotionis inopia quam patior . . . Nec compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis. Non sapit Psalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non invenio . . . Nunquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo argumentum superbiæ, privatio est gratiæ. Quanquam tamen interdum subtrahitur gratia, sive retrahitur non pro superbiâ quæ jam est, sed quæ futura est, nisi subtrahatur.* Ergo spiritualis delectatio non est effectus inseparabilis à gratiâ sanctificante, ac proinde sive percipiatur sive non, nihil probabiliter conjici potest.

Distinguo antecedens. Justi nonnunquam privantur spirituali delectatione in inferiori animæ parte, Concedo: in superiori, Nego antecedens, quia in illis angustiis, quas describit S. Bernardus, Spiritus-sanctus non ita se occultat; ut non possit aliquo probabili signo deprehendi, sive ab ipsomet justo, sive à prudenti ejus Confessario. In illâ quippe privatione aliter se gerit justus, aliter peccator: justus se habet ut infirmus, cui panis & omnia alimenta ita fastidio sunt, ut inde doleat, remedia requirat, Medico obtemperet ad tollendum illud fastidium; quæ sæpè demonstrant infirmum appetitu saltem rationali alimenta concupiscere, iisque mente delectari. Sic justus in illâ devotionis inopiâ & cordis duritiâ, coram Deo ampliùs sese dejicit, conscientiam mundare satagit, in oratione, quamvis pectore frigido, ut sibi videtur, diutius perseverat. Quis autem ista in eo operatur, nisi Spiritus, de quo scriptum est: *Adjuvat infirmitatem nostram, & postulat*

pro nobis gemitibus inenarrabilibus? Dicat ergo Confessarius ei, qui hujusmodi est, *quoniam bene*, consoletur illum; magna enim præ se fert indicia, quòd sit Deo gratus, & misericordiam consecutus. Contrà peccator in illa tentatione Deum oblivìscitur, ad terrenas consolationes se convertit, orationem & alia pietatis opera utpote sensibus insipida dimittit satisfactionem à Confessario injunctam perfunctoriè exequitur, aut etiam negligit. Hunc non infirmum, sed planè mortuum meritò dixeris: qui enim spiritualia alimenta non solùm non admittit, sed nec mente concupiscit, nullum signum præbet vivifici spiritûs.

Secundum signum inhærentis gratiæ, & quidem magis notum quoad nos, est contemptus temporalium; quia charitas, sine quâ non habetur remissio peccatorum, & cupiditas seu amor terrenorum, non minùs inter se pugnant, quàm calor & frigus, sanitas & ægritudo. Sicut ergo eo ipso, quo calor introducitur, frigus remittitur; sic ubi charitas infunditur, cupiditas necessariò minuitur, & pœnitens tanquam à lethali hydropisis morbo sanatus, liberatur à mordacibus curis ambiendi & acquirendi ea, quæ vitam mortalem delectabilem efficiunt. Cùm autem inchoata charitas perfecta fuerit, nulla supererit cupiditas. Ita passim Augustinus qui hoc indicio vult deprehendi qui sint filii Dei & filii seculi, cives spiritualis Jerusalem, quibus caput Christus & lex charitas; & cives mysticæ Babylonis, quorum princeps Diabolus, & lex cupiditas. Omnes, inquit, pariter templa nostra implent, iisdem aquis baptismi, eodem pœnitentiæ Sacramento initiantur, sed diversimodè; quemadmodum enim ex eâdem aquæ materiâ aves & pis-

ces producti sunt, sed in diversâ specie & indole. Aves quippe mox ad superiora avolarunt, numquam ad inferiora rediturae, nisi necessitate sedandae famis & sitis. Pisces contrà in profundo remansêre, ibi delectabiliter vivunt, natant, requiescunt, nec sine violentiâ inde extrahuntur. Similiter justi Sacramento Baptismi & Pœnitentiae, nova creatura in Christo effecti, deinceps non quae super terram, sed quae sursum sunt, concupiscunt & sapiunt, ibi eorum conversatio & voluptas; sic utuntur hoc mundo tanquam non utantur, hoc est, sine affectu, sed ex necessitate naturae & proprii status. Mali verò post perceptum Sacramentum, eo ardore, quo priùs, terrena sitiunt & vitae praesenti sic addicti sunt; ut eam immortalem exoptent dicantque apud S. Augustinum hom. 9. ex lib. 50. hom. si non motu linguae, saltem cordis affectu: *Utinam hic mihi Deus in hoc seculo omnia bona tribuat: non ad me pertinet quod futuro seculo de me fieri velit, ô infelix anima!* &c.

Scio plures hancce cordis sui impietatem eo praetextu sibi dissimulare quòd non amore praesentis vitae, sed judiciorum Dei terrore mortem exhorreant. Verùm periculosè eos decipi vel indè patet, quòd interim omnis eorum sollicitudo sit delectabiliter hîc vivere, nulla cura sibi placandi judicem, & promerendi coronam justitiae, quam Apostolus dicit 2. Timoth. 4. repositam iis, qui licèt timeant Dei judicia, nihilominus diligunt adventum ejus; quia Christus per mortem suam destruxit eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, *ut ... liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*, Heb. 2. v. 4. & 15.

Tertium indicium, illudque insigne, inhae-

rentis gratiæ habetur, cùm quis offensam Dei sic timet, cavetque, ut nullius peccati mortalis conscium se sentiat, & insuper vehementer doleat, quoties ex infirmitate in leviora labitur. Quia ex ejusmodi dolore duo moraliter certa conjicere licet. Primum, quòd insit principium vitæ spiritalis. Secundum, quod non ex stupiditate, neque ex cordis cæcitate aut ignorantiâ vincibili, ut contingit in peccatoribus; sed ex sanâ conscientiâ nullus gravioris peccati sit conscius. Namque ut ratiocinantur S. Augustinus, & auctor lib. cœlest. & Eccles. hierarchiæ, dolor non exurgit, nisi ex pugnâ contrariorum, boni & mali; quamdiu Medicus, v. g. secat quod putridum est, non sentit æger, neque dolet: at ubi attigerit quod vividum & sanum, natura refugit quod sibi noxium est, exclamat infirmus, nec præ dolore sectionem patitur. Atque hinc certò colligit membrum non esse prorsus corruptum, sed curandum quod in eo superest boni. Quidni Medicus spiritualis simile judicium ferat de eo, qui Dei offensam summè exhorret, peccandi occasiones sollicitè fugit, contra ingruentes tentationes acriter pugnat, & ubi se vel leviter vulneratum advertit, vehementi dolore pungitur? Nam præterquamquòd non doleret, nisi spiritualiter viveret, ipsemet Apostolus testimonium perhibet Rom. 8. gemitus illos esse effectus inhabitantis spiritûs, ac proinde, qui sic affectus dicit se conscium non esse ullius peccati mortalis, signum præbet valde probabile gratiæ sanctificantis. Quomodò enim conscientia, quæ leviora peccata sine dolore non admittit, nec patitur, sed quamprimum rejicit, cum gravioribus quiesceret?

Ergo conſcientiæ teſtimonium ſine contemptu temporalium, & eâ, quam diximus, delectatione in Deo, non valet ad generandam fiduciam, de quâ nobis eſt ſermo, quia cùm ex dicendis multiplex ſit conſcientia alia ſimplex & recta, alia erronea & mala, valde timendum eſt, ne pœnitens, qui delectationes terrenas ſectatur, peccata venialia negligit, multiplicatque ſine ullo doloris ſenſu, dicat ex cordis cæcitate & ignorantiâ vincibili, ſe nullius peccati mortalis eſſe conſcium; nam ex S. Auguſtino, multa peccata hominum judicio levia videntur, quæ in ſtaterâ Sanctuarii gravia reperiuntur. Denique qui ſincerè timet Deum, nihil negligit eorum, quæ ipſi diſplicent.

Paragraphus IX.

Utrùm juſtus gratiam juſtificantem amittere poſſit?

Negavit olim Jovinianus, ut conſtat ex ſancto Hieronymo libro 2. quem contra illum hæreticum ſcripſit. Calvinus eumdem errorem à mille trecentis annis damnatum ſuſcitavit, lib 3. Inſtit. cap. 2. paragr. 1. In illam autem foveam lapſus eſt ex erroneo ſuo principio, quo ſtatuit peccatorem juſtum fieri ſolâ fide, quâ certò credit ſe eſſe prædeſtinatum; & ideo merita Paſſionis Chriſti ſibi applicari. Hoc enim fundamento poſito neceſſariò ſequitur, nec Davidem per adulterium & homicidium, nec Petrum per negationem à juſtitiâ excidiſſe, nec ullum prædeſtinatum per atrociora crimina gratiam ſanctificantem amittere; quandiu fides in corde remanſerit; quia immutabile eſt Dei prædeſtinantis decretum. Contra

hunc detestandum errorem extat C. 23. sess. 6. Concilii Tridentini his verbis conceptus: *Si quis hominem semel justificatum dixerit ampliùs peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam verè fuisse justificatum . . . . anathema sit.* Juxta quam definitionem,

R. De fide est, justum amittere posse gratiam justificantem.

Probatur 1°. ex Scripturâ Psalm. 2. *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ.* Ezechiel. 18. *Cùm averterit se justus à justitiâ suâ: & fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Sic Lucifer justitiam, in quâ conditus fuerat, per peccatum amisit: sic Saül à Deo electus, peccando in æternum periit: sic Salomon priùs Deo amabilis, & in fine reprobatus juxta S. Augustinum lib. 22. contra Faustum cap. 88. *De Salomone*, inquit, *quid dicam, quem vehementer arguit sacra Scriptura, atque condemnat, nihilque de pœnitentiâ ejus, vel in eum indulgentiâ Dei omnino commemorat?* Hinc Apostolùs 1. Cor. 10. graviter monet, *qui se existimat stare, videat ne cadat.* & cap. 6. *Nolite errare neque fornicarii, neque*, &c. *regnum Dei possidebunt.* Quibus ipsemet perterritus scribit cap. 9 *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Liceat ergo adversùs Calvinianos contorquere ejusdem Apostoli verba: *Si quis vobis evangelizaverit præterquamquod accepistis, anathema sit.*

Probatur 2°. ex sanctis Patribus. Ex S. Hieronymo, qui ex professo libro secundo contra Jovinianum, confutavit oppositam hæresim. Ex S. Augustino qui lib. de hæresibus hæresi 82. Joviniani sententiam numerat inter hæreses ab Ecclesiâ proscriptas; & lib. de cor. & grat. c. 13.

sic scribit : *Credendum est quosdam de filiis perditionis non accepto dono perseverandi usque in finem , in fide , quæ per dilectionem operatur , incipere vivere, & aliquandiu fideliter & justè vivere, & posteà cadere , neque de hâc vitâ , priusquam id contingat , auferri.*

Probatur 3°. ratione ; quia ex impiâ Calvinistarum doctrinâ sequitur omnimoda morum subversio. Si enim justus in eorum sententiâ non amittit gratiam justificantem , quantumcumque detestabiliter peccet, modò non timeat propterea mitti in gehennam , nec de prædestinatione suâ diffidat , sequitur 1°. justis & Dei amicis pugnandum contra indeliberatos timoris motus (quibus Spiritus-sanctus ad declinandum peccatum, & ad perseverandum incitat) veluti contra gravissimam & periculosissimam tentationem , nec audiendum Christum dicentem, Luc. 12. v. 4. & 5. *Dico vobis amicis meis .... timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* 2°. Salubre fore consilium, *fortiter crede ; & fortiùs pecca* , quia nihil ita expellit timorem , quàm peccandi assiduitas, quâ induratur cor , & præsumptio contra desperationem inducitur.

Dices ex Apostolo 1. Corinth. 13. *Charitas nunquam excidit.* Ergo.

Distinguo antecedens , nunquam excidit per supervenientem gloriam , & visionem beatificam , quemadmodum fides & spes , Concedo ; eadem enim charitas, quæ in vitâ inchoatur & crescit , in patriâ perficietur , & in æternum permanebit, sicut reverentialis & castus Dei timor : contra verò per Dei intuitivam visionem & possessionem fides & spes destruentur, ubi ibidem docet Apostolus : charitas nunquam excidit superveniente gravi peccato. Nego ant.

Instas. Atqui charitas per peccatum extingui non potest, ut constat ex pluribus Scripturæ textibus; nam Cant. cap. 8. habetur: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Rom. 8. *Certus sum quòd neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Dei.* & Joan. c. 4. *Qui autem biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed .... fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ergo.

Distinguo anteced. Nec aquæ tribulationum, nec timor mortis, nec sitis, seu cupiditas rei cujusque creatæ prævalere possunt adversùs hominem, gratiâ sanctificante & charitate instructum, si eam per liberum arbitrium non abjiciat, nec negligat, Concedo: si abjiciat aut negligat, nego anteced. Quemadmodum enim Adamus, licèt deserendo justitiam originalem, mortem incurrerit, immortalis tamen dicitur creatus; quia manente statu innocentiæ, mors adversùs illum prævalere non poterat; Similiter justus, si in omnibus sumat scutum fidei per dilectionem operantis, & potest omnia tela nequissimi ignea extinguere; secus si potentissima illa arma voluntariè abjiciat.

Urges: atqui justus non potest abjicere gratiam sanctificantem, ut manifestè colligitur ex his verbis 1. Joan. 3. v. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Ubi Apostolus probat liberum non esse ei, qui natus est ex Deo deserere justitiam; quia, ut scribit v. 6. *Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* Atqui non potest dici, quòd natus ex Deo non cognovit eum, cùm natus sit per verbum veritatis juxta illud Jacobi 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Ergo.

Nego subsumptum, ad cujus confirmationem SS. Hieronymus & Augustinus jampridem responderunt hæreticis, locum illum objicientibus: ille Joviniano lib. 2. iste Pelagianis lib. 2. de pec. mer. c. 7. lib. de gratiâ Christi c. 20. & tract. 5. in Joan.

Primò, qui natus est ex Deo peccare non potest; quia charitas, cùm sit plenitudo legis, peccatum grave non patitur, quemadmodum fides informis. Homo quippe solâ fide instructus, aliquandò graviter peccat, & nihilominus remanet fidelis: justus contrà non ita peccare potest, alioquin sic peccando desinit esse justus & deseritur luce veritatis, quâ coruscante priùs à peccato ad Deum se converterat. Quòd autem id contingere possit, patet ex alio Apostolo, cujus hæc sunt verba Hebr. 6. v. 4. *Impossibile est .... eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs sancti .... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.*

Secundò, ex sancto Augustino locis citatis. Justus in quantum renovatus, & ex Deo natus, nec peccat, nec peccare omnino potest, etiam venialiter; sed quatenus est filius seculi, & in eo remanet aliquid vetustatis & cupiditatis. *Nam in baptismo*, inquit, *quamvis tota & plena fiat remissio peccatorum; tamen si continuò tota & plena etiam hominis in æternam novitatem mutatio fieret .... non diceret Apostolus;* Etsi exterior homo noster corrumpitur; sed interior renovatur de die in diem. *Profectò enim qui de die in diem renovatur, nondum totus est renovatus .... Proficimus ergo in renovationem, justamque vitam, per quod filii Dei sumus, & per hoc peccare non possumus . . . Nunc ergo ei* (Deo) *& similes esse jam cœpimus, primitias habentes Spiritûs, & adhuc dissimiles per reliquias vetustatis*...

Illinc ergo peccare non possemus: hinc verò dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.

PARAGRAPHUS X.

Utrùm gratia sanctificans sit æqualis in omnibus justis?

AFfirmavit Jovinianus, teste Sancto Hieronymo libro secundo contra illum hæreticum, qui juxta Stoïcorum doctrinam credebat virtutes & peccata esse paria. Idem etiamnunc docent Pseudoreformati, definientes gratiam justificantem esse formaliter ipsam Christi justitiam fide apprehensam, quæ, cùm tota & minimè per partes credentibus applicetur, ut Calviniani docent in suo Catechismo, sequitur quòd omnes æqualiter sint justi, sive majora, sive minora virtutis opera producant. Hunc errorem proscripsit Concilium Tridentinum sessione 6. canone 24. his verbis: *Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera; sed bona opera ipsa fructus solummodo & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam: anathema sit*, Quare,

Respondeo, de fide est gratiam sanctificantem non esse in omnibus justis æqualem, sed in aliis majorem, in aliis minorem.

Probatur 1°. ex Scripturâ Prov. 4. *Justorum semita, quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectam diem.* 2. Corinth. 9. *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Apocal. ultimo, *Qui justus est, justificetur adhuc.* Orant persæpe Apostoli, ut fideles impleantur in omnem plenitudinem Dei, Ephes. cap. 3. agnitione Dei, Coloss. c. 1. pace & charitate, Jud. v. 2.

Probatur 2°. ex sanctis Patribus. Hieronymus cit. lib contra Jovinian. *Quare dicunt Apostoli, adauge nobis fidem, si omnium una mensura est.* Augustinus serm. 158. aliàs 16. de verbo Apostoli, *justificati sumus; sed ipsa justitia, cùm proficimus, crescit* Epist 127. alias 29. *Induti sunt Sancti justitiâ, alii plus, alii minùs.* & tract. 5. in primam Joannis ubi de charitate, *cùm fuerit nata, nutritur; cùm fuerit nutrita, roboratur; cùm fuerit roborata, perficitur.* Favet ratio; quia charitas, utpote amor amicitiæ, amici præsentiam quærit, donec illi perfectè uniatur juxta illud Psalm. 104. *Quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Appropinquat autem dum crescit per bona opera, & cùm perfecta fuerit apprehendet, possidebitque.

Objicit sanctus Thomas lect. 1. in c. 6. Heb. in quâ expendit hæc Apostoli verba: *ad perfectiora feramur;* perfectio non est præcepti, sed consilii: atqui contendere ad perfectiora, pertinet ad perfectionem: Ergo minùs conveniens videtur illud Apostoli præceptum.

Respondet duplicem esse perfectionem, alia est exterior, quam sanctus Doctor reponit in exterioribus actibus, quæ sunt signa interiorum sicut virginitas, voluntaria paupertas; & ad hanc non omnes teneri patet ex his Christi verbis Matth. cap. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus;* dicendo enim *si vis*, consilium dat, non imponit præceptum. Alia perfectio est interior, quæ consistit in dilectione Dei & proximi; *Et ad perfectionem hujusmodi*, inquit, *omnes tenentur tendere; quia si quis nollet plus diligere Deum: non faceret quod exigit charitas.* Eadem est sententia sancti Bernardi in epistolâ 91. in quâ sic

scribit : *Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult, & ubi incipis nolle fieri melior, ubi etiam desinis esse bonus.* Enimverò perseverantia hominis viatoris in eo differt à perseverantiâ comprehensoris; quòd ista sit immobilitas in termino, & summo bono adepto; illa verò consistat in motu & progressu, donec attingatur terminus; neque enim definit quis esse viator præcisè, quia viam deserit; sed quia in viâ subsistit, nec ulteriùs progredi decernit.

Q. *Quodnam est signum proficientis animæ?*

R. Cùm in omni motu necessariò intelligantur duo termini, scilicet terminus à quo mobile recedit, & terminus ad quem tendit, quique aliquando prospici non potest; viator intelligit eâ proportione, se esse proximiorem loco, ad quem tendit, quo se remotiorem videt à termino, à quo cœpit ejus peregrinatio, tumque judicat se nullum progressum fecisse, cùm pôst multos viarum anfractus & circuitus deprehendit se adhuc esse vicinum loco, à quo diverterat.

Porrò in viâ virtutis, cupiditas & inordinatus amor suî, est terminus à quo recedere oportet; Deus verò terminus & finis quem intendit justus. Ergo, *vis pervenire? incipe transilire*, inquit sanctus Bernardus c. 10. de vitâ & morte Cleric. alioquin cavendum est, ne si nonnulla legis ceremonialia observans, circa temporalia, velut rota volvaris, cadat in te quod scriptum est Psalm. 11. *in circuitu impii ambulant.* Signum itaque moraliter certum proficienti animæ, si minuat cupiditates: si resecet multa superflua, quæ priùs necessaria arbitrabatur: si minùs solitò sibi complaceat: si abstineat à quibusdam verè illicitis, quæ anteà vel licita videbantur

bantur, vel saltem negligebat; nam ex S. Augustino censemur propè aut longè respectu Dei, non spatiis locorum, sed similitudine, vel dissimilitudine morum.

Paragraphus XI.

Utrùm gratia sanctificans sit necessaria?

Certum est absolutè esse necessariam, 1°. Ut homo constituatur justus, filius Dei adoptivus, & heres vitæ æternæ; quia, ex dictis, gratia sanctificans est causa formalis justificationis. 2°. Ut opera supernaturalia sint vitæ æternæ & augmenti justitiæ meritoria de condigno. *Sequuntur opera* (meritoria) *justificatum, non præcedunt justificandum*, inquit S. Augustinus lib de fide & op. c. 14. sed illud fidei dogma stabiliemus, ubi de merito.

Quæritur itaque hîc duntaxat, utrùm gratia sanctificans sit necessaria ad eliciendum quemlibet actum supernaturaliter bonum.

Affirmavit Joannes Hus; in Concilio enim Constantiensi sess. 15. art. 16. inter ejus errores numeratur hæc propositio: *Sine gratiâ sanctificante nullum bonum opus fieri potest.* Pseudoreformati, juxta fundamentalem suum errorem, quo definiunt omnia virtutis opera per concupiscentiam infici, & esse vera peccata, sed justis non imputari propter justitiam Christi fide apprehensam, ipsisque applicatam, non solùm negant posse esse ullum bonum opus in nondum justificatis; sed insuper contendunt illos eo ampliùs peccare, quò magis satagunt bonis operibus præparari ad justificationem: quam impietatem Concilium Tridentinum sess. 6. can. 7. anathemate percussit his verbis: *Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem*

fiunt, quâcunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementiùs quis dicitur se disponere ad gratiam, tantò eum graviùs peccare; anathema sit. Fuit etiam 25ª. propositio Baii à summis Pontificibus Pio V. & Gregorio XIII. damnata: *Omne quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est.* Quare ad propositam quæstionem,

R. Gratia sanctificans ad quodlibet opus supernaturaliter bonum, absolutè necessaria non est, sed sufficit supernaturale Dei auxilium actuale: sine eâ tamen peccator nondum pœnitens, diù non perseverabit absque novo peccato.

Dixi, *peccator nondum pœnitens*; quia de pœnitentibus quos Ecclesia olim diuturno tempore probabat ante reconciliationem, aliter judicandum.

Prima pars responsionis probata manet ex dictis Paragraphis *6.* & 7. de dispositionibus in adulto necessariis ad justificationem.

Confirmatur Luc. 18. Publicanus à Christo laudatur ob pœnitentiam & suî dejectionem; & hisce dispositionibus gratiam sanctificantem, quâ carebat, consecutus est. Act. 10. Cornelii orationes & eleemosynæ fuerunt Deo gratæ: atqui ex S. Augustino epist. 287. aliàs 57. q. 2. Cornelius nondum erat justificatus; ibi enim recensetur inter illos, in quibus Deus, licèt aliquid virtutis operetur, nondum tamen inhabitat per gratiam sanctificantem.

Dices 1°. Matth. 7. *Non potest .... arbor mala bonos fructus facere*: atqui peccator est arbor mala. Ergo.

Distinguo min. peccator ut peccator, hoc est, secundùm malam voluntatem & intentionem spectatus, est mala arbor, nec potest bonos

fructus facere; quemadmodum justus ut justus est bona arbor, & ut sic peccare non potest, ex 1. Joan. cap. 3. Concedo: peccator secundùm naturam spectatus, & actuali Dei auxilio adjutus, est mala arbor, Nego minorem. Sicut enim justus ex vetustate remanente peccare potest, & malos fructus facere: ita peccator ex bono in ipso superstite, si Deus præveniat & adjuvet, fructus bonos facere potest. Ita S. Augustinus lib. 4. contra Julian. c. 3. & lib. 1. c. 8. ubi per malam arborem, intelligit malam voluntatem; & per bonam arborem, bonam voluntatem: mala autem voluntas non potest bonum facere, nec bona malum.

Dices 2°. Ex S. Augustino lib. de gratiâ Christi cap. 26. ubi non est dilectio, bonum opus non imputatur, nec rectè vocatur. Ergo.

Distinguo anteced. ubi non est dilectio, hoc est, bona voluntas, seu pia affectio & volitio, Concedo; qui enim serviliter, & renitente voluntate opus injunctum perficit, bene non operatur: ubi non est dilectio ex Theologicä charitatis virtute proficiscens, Nego anteced. Quod autem S. Augustinus nomine dilectionis intelligat quamlibet bonam voluntatem, & pium affectum, patet ex lib. de gratiâ & libero arbitrio cap. 17. ubi sic scribit: *quod quidem sine suo fructu admoneretur* (liberum arbitrium) *nisi priùs acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret, unde, quod jubebatur, impleret.* Et alibi docet fidem, quæ in peccatoribus est informis, non esse sine dilectione, hoc est, sine piâ affectione; quia nemo credit, nisi volens.

Secunda pars: nempe quòd homo sine gratiâ sanctificante, omnia peccata mortalia diù vitare moraliter non possit,

Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ victoriam

tentationum refert ad gratiam sanctificantem & Spiritum Dei inhabitantem in cordibus, Rom. 6. v. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur.* Et rationem subdit: *non enim estis sub lege, sed sub gratiâ*, utique sanctificante; renatos quippe alloquitur, 1. Joan. 4. v. 4. *Vos ex Deo estis, filioli, & vicistis eum* (mundum sive Antichristum) *quoniam major est, qui in vobis est, quàm qui in mundo*: cap. 3. v. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet*: cap. 5. v. 18. *Scimus quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat; sed generatio Dei conservat eum, & malignus non tangit eum.*

Probatur 2°. ex Patribus: ex S. Augustino lib. de Spiritu & lit. c. 26 *Factores legis justificabuntur, ut sciamus aliter eos non esse factores legis, nisi justificentur; ut non justificatio factoribus accedat; sed ut factores legis justificatio præcedat.* Ex S. Gregorio hom. 11. in Ezech. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.* Ex S. Thomâ 1. 2. qu. 109. art. 4. *in statu naturæ corruptæ non potest homo implere omnia mandata sine gratiâ sanctificante.* Et art. 8. *In statu naturæ corruptæ indiget homo gratiâ habituali sanante naturam, ad hoc quòd omnino à peccato abstineat.* Ex hom. 34. lib. operis imperfecti apud Sanctum Chrysostomum: *Si semel peccantes nos obligaverimus operibus diaboli, jam nostrâ virtute evadere non possumus: sed sicut navis, fracto gubernaculo, illuc dicitur, ubi tempestas voluerit; sic & homo divinæ gratiæ auxilio perdito per peccatum, agit non quod vult, sed quod diabolus vult.*

Probatur 3°. ratione duplici.

Prima: Sicut in appetitu inferiori, qui in hâc vitâ rationi totaliter subditus non est, insurgunt inordinati motus, propter quos justi moraliter non possunt vitare omnia peccata ve-

nialia, ut infrà dicetur : similiter quandiu ratio ipsa non subditur Deo, ut contingit in peccatore, cùm sit habitualiter à Deo aversus, moraliter necesse est in voluntate excitentur inordinati affectus : *Maximè*, inquit S. Thomas laudato art. 8. *cùm homo in repentinis operetur secundùm finem propositum, & secundùm habitum præexistentem ex Philosopho* 3. Ethic. cap. 5. *Et quamvis ex præmeditatione possit aliquid agere contra eumdem finem atque habitum; tamen non potest semper esse in tali præmeditatione, adeoque nec diù non operari secundùm convenientiam inordinatæ voluntatis, nisi citò per gratiam debitus ordo reparetur.*

Secunda ratio : Is lapsum diù vitare nequit, qui gravioribus pulsatur tentationibus, & potentiori Dei præsidio destituitur: Atqui peccator, qui pœnitentiæ remedia negligit, in ejusmodi incommoda volens se conjicit. Ergo.

Minoris duæ sunt partes.

Prima, quæ est de gravioribus tentationibus, ostenditur. Namque 1°. peccatori dominatur cupiditas, quæ eo ipso saporem rerum cœlestium impedit, quo ad terrenas impellit. *Præoccupatum nempe secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat : nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis, ut pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram*, ait S. Bernardus serm. 5. de ascens. Atqui ex S. Augustino lib. de gratiâ Christi cap. 26. jam laudato ; & lib. de spiritu & lit. cap. 30. sine suavitate & dilectione justitiæ lex non impletur : *Per legem*, inquit, *cognitio peccat; per fidem, impetratio gratiæ contra peccatum : per gratiam, sanatio animæ à vitio peccati : per animæ sanitatem, libertas arbitrii : per liberum arbitrium, justitiæ dilectio : per justitiæ*

dilectionem, legis operatio. 2°. In peccatore concupiscentia & passiones magis sunt effrænes, & rationem acriùs impugnant; justum quippe est, ait S. Augustinus, ut ratio quæ Deo superiori suo non obtemperat; inferiorem suum, scilicet appetitum sensitivum sentiat rebellem. 3°. Diabolus majorem potestatem exercet in peccatores, qui nisi resipiscant, laqueis ejus *captivi tenentur ad ipsius voluntatem*. 2. Tim. c. 2. v. 26. Ex his autem quis non intelligat difficile admodum esse non labi in viâ tam lubricâ, propellente diabolo, & Deo deserente, quod ultimum nunc incumbit probandum?

Secunda itaque minoris pars probatur; quia multa justè denegantur inimicis, quæ amicis liberalissimè concedunt: Atqui gratia sanctificans, seu charitas constituit Dei amicos, Sap. 7. Peccatum verò Dei inimicos, juxta illud Sap. 14. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus*. Hinc Psalm. 33. *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala*. Et Psalm. 17. regius Psaltes Deum alloquens, ait: *Cum sancto sanctus eris.... & cum perverso perverteris*, hoc est, secundùm communem interpretationem: cum bono benignè & liberaliter ages: contra verò cum perverso austerè & durè, ita ut ipsi perversus videaris, interprete S. Augustino in hunc locum. Denique ex eodem Sancto Doctore passim, & ex S. Thomâ in caput 1. epist. ad Rom. subtractio gratiæ, saltem commodioris, est justa peccati pœna, sicut & permissio sequentium peccatorum, juxta illud Psalm. 80. *Dimisit eos secundùm desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis*.

Ex his Pastor valida argumenta depromere poterit contra eos, qui in peccato obdormiunt,

& vix semel per annum ad Sacramentum pœnitentiæ recurrunt.

Dices 1°. Si gratia sanctificans est necessaria ad vitandum peccatum; peccator impœnitens carebit auxilio sufficiente, ac proinde necessariò peccabit; falsum consequens: Ergo & antecedens.

Respondeo 1°. Non dicimus gratiam sanctificantem esse absolutè necessariam sed moraliter duntaxat, non ad quodlibet grave peccatum vitandum, sed ad omnia peccata diù vitanda.

Respondeo 2°. distinguendo majorem. Peccator carebit auxilio sufficiente proximo, Transeat; remoto, Nego majorem. Deus enim interiùs illum movet, & excitat ad pœnitentiam, per quam impetraret auxilia validiora & proxima.

Dices 2°. Ecclesia non præcipit ut fideles sæpius peccata confiteantur, quàm semel in anno. Ergo impœnitens potest per annum esse privatus gratiâ sanctificante absque novi peccati periculo.

Nego conseq. Namque 1°. perabsurdè, ne dicam impiè, quis colligeret ex præcepto annuæ Confessionis Ecclesiam peccatoribus permittere, ut ad annum conversionem suam differant contra divinum illud præceptum, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Eccli. 5. v. 8. 2°. Annuæ Confessionis præcepto Ecclesia voluit duntaxat prohibere, sub pœnâ interdicti, ne fideles, quorum multos Sacramentum Pœnitentiæ negligere noverat, ultra annum peccata sua confiteri differrent; Et hoc patet tum ex iis canonis vocibus, *semel saltem in anno*: tum ex Ecclesiæ cohortationibus in Concilio Tridentino sess. 13. & 22.

ad frequentem Sacramenti Eucharistiæ perceptionem, ad quam peccatori non licet accedere, nisi præmissâ Sacramentali Confessione, ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 7.

Caput V.

De Gratiâ actuali.

Recolendum est gratiam actualem ex dictis cap. 2. esse supernaturalem, tum mentis illustrationem seu cogitationem, tum piam voluntatis motionem seu affectionem.

Quamvis autem divinæ illæ motiones sint actus realiter distincti & diversæ speciei, cùm à diversis facultatibus, scilicet intellectu & voluntate, supernaturaliter procedant, nomine tamen gratiæ actualis conjunctim intelliguntur; quia solâ mentis illustratio sine divinâ voluntatis motione, nihil prodest ad salutem. Unde Pelagius eo ipso habitus est gratiæ hostis & destructor, quo negavit necessariam Dei motionem in voluntate, licèt admiserit (ut nonnullis videtur) quasdam mentis illustrationes & revelationes. *Non in eo nos* (dicimus) *divinitus adjuvari ad operandam justitiam, quòd Deus legem dedit plenam bonis sanctisque præceptis; sed quòd ipsa voluntas nostra, sine, quâ operari bonum non possumus, adjuvetur & erigatur impartite Spiritu gratiæ, sine quo adjutorio doctrina illa littera est occidens... Nam sicut illis* (Philosophis) *per creaturam cognitoribus Creatoris ea ipsa cognitio nihil profuit ad salutem... Ita eos, qui per legem cognoscunt quemadmodum sit homini vivendum, non justificat ipsa cognitio*, Augustinus lib. de lit. & spir. cap. 12. Subdolè ergo quis confiteretur gratiæ interio-

ri in hoc statu aliquando resisti, quia homo nonnunquam sanctæ cogitationi divinitus immissæ non obtemperat, si interim negaret ullam dari supernaturalem voluntatis motionem, cui resistatur; quia ubi sermo est de gratiâ actuali, Catholici intelligunt non solùm mentis illustrationem, sed præcipuè piam voluntatis affectionem; sine quâ nequidem credere possumus quantumvis interiùs edocti & illustrati: corde enim creditur, Rom. 10.

Sed antequam opus aggrediamur, monendi Lectores devolvi nos in æstuosum quoddam pelagus, & turbulentissimis refertum procellis, quas nonnulli Molinæ discipuli concitant. Volunt illi unum Molinæ de gratiâ dogma, non ullum aliud, esse Catholicum, nullum prorsùs interjectum esse medium Jansenismum inter & Molinismum; eumque, qui Molinista non sit, esse Jansenistam; uno verbo, gratiam per se efficacem, in scholis omnibus Catholicis (si Molinæ scholam excipias) omnibus seculis propugnatam, fontem esse & originem, unde errores in Jansenii libro damnati necessariò profluxerunt.

Porrò de actuali gratiâ, quæritur 1°. utrùm sit necessaria? 2°. quæ ejus species, & quomodò inter se differant? 3°. Utrùm gratia actualis detur omnibus?

Paragraphus I.

De necessitate Gratiæ actualis.

Expendimus Cap. præcedenti, Parag. 11. an & quomodò gratia habitualis sit necessaria. Hic similis quæstio movetur circa gratiam actualem, cui ut fiat satis,

Præmittendum 1°. aliud esse verum & bonum supernaturale, & ad vitam æternam pertinens: aliud naturale, & illud vel est facile, vel difficile, sive ex objecto, ut martyrium, sive ex circunstantiis, putà ex concupiscentiâ & gravibus tentationibus.

Præmittendum 2°. duplicem esse potentiam, physicam scilicet & moralem.

Physica potentia est ea, cujus virtus activa proportionata est operi faciendo. Hanc potentiam non habet ad longum iter conficiendum, qui recèns convalescit ex longo & gravi morbo; quia tam arduum opus vires ejus debilitatas longè superat. Hîc adversarius mihi absque pudore imponit pag. 43. asseritque meam esse hanc propositionem: *Comme un homme malade peut & ne peut pas marcher: il le peut absolument & physiquement parce qu'il a des jambes; mais il ne le peut pas moralement & relativement à cause de sa foiblesse actuelle.*

Moralis potentia est facultas non solùm proportionata, sed etiam expedita, & nullis difficultatibus, saltem quæ graves sint, implicata, quæ ab opere suscipiendo deterreant, qualem cernere est in homine vegeto, & in laboribus perferendis assueto, respectu longioris peregrinationis. Contra verò impotentiam moralem hîc patitur delicatus & deliciis diffluens; quamvis enim sufficientes vires habeat ad longum iter pedibus conficiendum, numquam tamen illas exeret propter nimiam difficultatem. Denique illud dicitur physicè impossibile, quod excedit vires, & inducit absolutam necessitatem non operandi, adeoque excusat à peccato, quia omne peccatum debet esse voluntarium & liberum. Moraliter verò impossibile dicitur, quod, etsi vires absolutè non superet;

ita tamen difficile eſt, ut voluntas ſibi dimiſſa nunquam ad illud faciendum ſe determinatura ſit. Et hæc impotentia non excuſat à toto peccato, ſed à tanto, ut loquitur S. Thomas; quia non omninò perimit voluntarium & liberum, ſed minuit duntaxat, proindeque voluntas vehementi tentationi non cedit ex neceſſitate, ſed ex ignaviâ & ſocordiâ, quatenus vires omnes ad reſiſtendum non exerit. Ita Sanctus Thomas 1. 2. qu. 10. art. 3. & qu. 24. de lib. arb. art. 12. ad 12. *Dicendum*, inquit, *quòd cupiditas non poteſt eſſe cogens abſolutè liberum arbitrium, quod ſemper eſt liberum à coactione; ſed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen poteſt reſiſti, licèt cum difficultate.* Limitat tamen laudato articulo 3. niſi violentia paſſionis rationem abſorbeat.

Hanc impotentiam moralem cum libertate S. Auguſtinus conciliat lib. 3. de pec. mer. c. 3. ubi Pelagianis objicientibus hominem non peccaturum, ſi gravi tentationi reſiſtere ſit impoſſibile, ſic reſpondet: *Sed hoc non vident quòd ad nonnulla ſuperanda, quæ vel malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus eſt voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit*, Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Et S. Bernardus ſerm. 81. in Cant. *Interveniente peccato*, inquit, *patitur quamdam vim ipſe homo, ſed à voluntate, non à naturâ; ut ne ſic quidem ingenitâ libertate privetur ... Neſcio quo pravo & miro modo ipſa ſibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, neceſſitatem facit, ut non neceſſitas, cùm voluntaria ſit, excuſare valeat voluntatem: nec voluntas, cùm ſit illecta, excludere neceſſitatem: eſt enim neceſſitas hæc quodammodo voluntaria; eſt favorabilis vis quædam*

premendo blandiens, & blandiendo premens; unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare nullatenus de ratione queat.

Ex hâc autem præmissâ explicatione facilè eructur responsio ad quæstiones, quæ fieri solent circa actualis gratiæ necessitatem.

Q. 1°. *Utrùm sine gratiâ actuali possit quis cognoscere verum, velle & operari bonum supernaturale?*

R. Omnino non potest sive potentiâ morali, sive potentiâ physicâ. Ita definitum est contra Pelagianos & Semipelagianos. Vide quæ in hanc rem dicta sunt cap. 3. ubi de Pelagianis & Semipelagianis.

Probatur 1°. Ecclesiæ definitio ex Scripturâ sacrâ, Joan. 15. v. 4. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.* & vers. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Non ait: Non potestis operari facilè, sed nihil potestis, ut advertit sanctus Augustinus lib. de gratiâ Christi cap. 29. Rom. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* 1. Cor. 4. *Quod habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Hoc Apostolico testimonio sanctus Augustinus testatur lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 3. se recessisse à semitis Semipelagianorum; in quibus errabat ante Episcopatum: *quo testimonio*, inquit, *etiam ipse convictus sum, cùm similiter errarem, putans fidem, quâ in Deum credimus, non donum, sed à nobis esse in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter, & justè, & piè vivamus in hoc seculo.* 2. Cor. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Quæ verba sanctus Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 2. sic adversùs

Semipelagianos contorquet : *Attendant hîc, & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœpium, & ex Deo fidei supplementum, Quis enim non videat, priùs esse cogitare quàm credere ? nullus quippe credit aliquid, nisi priùs cogitaverit esse credendum.*

Probatur 2°. ratione. Quia ex dictis, tum impotentia physica dicitur, cùm virtus activa non est proportionata operi perficiendo : Atqui facultates hominis naturales, putà intellectus & voluntas, non sunt proportionatæ operationibus supernaturalibus ; ideo enim ita vocantur, quia excedunt vires naturales : Ergo. Deinde sicut actus rationalis non potest procedere nisi à principio & lumine rationali ; ita actus supernaturalis non potest elici, nisi à principio supernaturali.

Dices 1°. Credere mysteria sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis, sunt actus supernaturales ; Atqui Calviniani illa credunt sine gratiâ ; hæretici enim carent lumine fidei : Ergo.

Distinguo majorem : credere fide divinâ, Concedo : credere fide & persuasione humanâ, Nego majorem. Hæretici quippe eâ fide, quâ credunt nonnulla religionis nostræ mysteria, credunt etiam falsa & impia sectæ suæ dogmata, nempe quia ita edocentur à suis pseudopastoribus, vel potiùs quia ita sibi persuadent. Cùm ergo fides divina non inclinet ad falsum, sequitur quòd credant persuasione humanâ.

Instabis : mysteria sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis sunt supernaturalia. Ergo non possunt nisi supernaturaliter credi.

Distinguo anteced. Sunt objecta supernaturalia ab hæreticis medio & motivo naturali apprehensa ; Concedo : medio & motivo supernaturali apprehensa, Nego anteced. & conse-

quentiam. Quemadmodum enim Gentiles Philosophi sempiternam Dei virtutem & Divinitatem, licèt sit objectum maximè supernaturale, naturaliter cognoverunt; quia nitebantur medio & motivo naturali, nempe creaturarum testimonio; Similiter hæretici motivo naturali, nempe persuasione humanâ, credunt quædam mysteria.

Ex hâc responsione sequitur, nemini compertum esse utrùm supernaturaliter agat, etiam cùm versatur circa objectum supernaturale; quia ipsi omnino non constat, an motivo supernaturaliter excitetur & ducatur.

Dices 2°. Gratia habitualis seu sanctificans, est principium supernaturale: Ergo justus sine gratiâ actuali supernaturaliter operari potest.

Distinguo anteced. est principium radicale & remotum, Concedo; ordinem quippe habet ad actus supernaturaliter bonos: est principium proximum, Nego antecedens. Sicut enim humana natura licèt ad actus rationales ordinata, agere non potest, v. g. intelligere, 1°. Sine facultate intellectivâ. 2°. Sine objecto facultatem movente & determinante sive per se, sive per suî speciem. 3°. Sine actuali Dei concursu; ita gratia sanctificans veluti nova natura in ordine supernaturali, non operatur nisi mediantibus virtutibus infusis tanquam potentiis supernaturalibus, quas per gratiam actualem supernaturaliter excitari & moveri necesse est; objecta quippe per exteriorem verbi divini prædicationem proposita, sine gratiâ interiori naturaliter duntaxat movent. *Sicut oculus corporis*, inquit sanctus Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 26. *etiam plenissimè sanus, nisi candore luc s adjutus, non potest cernere; sic homo perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ di-*

vinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.

Ergo gratia habitualis sola, sufficiens non est, ut mandata Dei dicantur justis possibilia.

Meritò tamen vocatur principium sanctæ operationis; quia sicut Deus sapientiæ suæ debet, ut naturam non condat, nisi tribuat illa potentias connaturales, suppeditet illi media, concursumque suum præbeat, ut consequi possit finem ad quem illam instituit; sic ad ejus sapientiam justitiamque pertinet, ut gratiæ sanctificanti respondeant auxilia sine quibus non impleretur lex ad quam gratia sanctificans ex naturâ suâ inclinat. Unde sanctus Augustinus expendens illud Psal. 7. *Justum adjutorium meum à Domino*, sic scribit: *Duo sunt officia medicinæ; unum quo sanatur infirmitas, alterum quo sanitas custoditur, . . ibi infirmus ut liberetur; hîc sanus, ne corrumpatur, orat: ibi, ut à morbo evadat remedium; hîc autem ne in morbum incidat, tuitionem petit. Itaque ibi misericors auxilium est; quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat, credens in eum, qui justificat impium: hîc autem justum auxilium est, quod jam justo tribuitur. Dicat ergo peccator:* Salvum me fac, Domine, propter misericordiam tuam: *Et dicat justus:* Justum adjutorium meum à Domino. Nihil expressius contra primam è quinque propositionibus in Jansenio damnatis.

Dices 3° Orationes & eleemosynæ fuerunt actus supernaturales in Cornelio, cùm per illas dispositus fuerit ad baptismum, Act. 10. Atqui non fuerunt ex gratiâ; prima enim gratia est fides, quâ carebat Cornelius: Ergo.

Nego min. cujus confirmationem distinguo: Prima gratia est fides inchoata & implicita, Concedo: est fides perfecta & explicita, Nego. Fides inchoata est supernaturalis illustra-

tio & motio, qualis potest esse in infideli, & per quam Cornelius dicitur vir religiosus, ac timens Deum; per eam quippe disponitur homo ad fidem explicitam & perfectam, quæ habetur ex auditu. Sic Lidiæ *Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo*, Actuum 16. v. 14.

Q. 2°. *Verum saltem naturale potest-ne cognosci sine gratiâ actuali?*

R. Homo sine gratiâ potest etiam potentiâ morali cognoscere aliquod verum naturale, sive speculativum, sive practicum; modò non desit cognoscendi medium.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Rom. 1. Philosophi Gentiles Deum ex creaturis cognoverunt; 2°. ex S. Augustino lib. 2. Conf. cap. 4. *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nulla delet iniquitas.* & in Psal. 57. *Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit*, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. *Hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est*; 3°. ratione, quia est proportio inter intellectum & veritates naturales, pluresque ex iis sine difficultate apprehendere possumus.

Dixi 1°. *Modò non desit cognoscendi medium.* Nam sicut oculus quantumcunque sanus nullum potest cernere colorem si desit lumen; sic secreta cordium, licèt facultati cognoscitivæ proportionata, detegere non valemus; quia nullum nobis suppetit medium ea detegendi.

Dixi 2°. *aliquod verum naturale*; quia omne verum naturale collectivè sumptum, morali potentiâ cognoscere non possumus; tum quia plures veritates naturales longè à sensibus remotæ sunt, nec sine gravi difficultate, & acri studio attingi queunt; tum quia propè infini-

ta est illa veritatum collectio; & vitæ brevitas, morbi, somnus, &c. impediunt quominus intellectus iis omnibus vacare possit. Adde veritates practicas & singulares specialia habere impedimenta, nam concupiscentia, & passiones mentem ita perturbant, ut, quamvis non ignoremus, quid temperantia, humilitas, & aliæ virtutes in genere præscribant, in praxi ratio sibi dimissa videre non possit potentiâ morali, quid hîc & nunc sit faciendum, aut fugiendum; in usu ciborum voluptas obrepit sub prætextu necessitatis; ira persuadet nos justè irasci; superbia hanc contumeliam non esse ferendam, &c.

Dices 1°. ex Apostolo 2. Cor. 3. 5. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis: Ergo.

Respondeo 1°. opponendo caput primum epistolæ ad Romanos, ubi docet Apostolus invisibilia Dei à creaturâ mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici. 2°. Ad conciliandum Apostoli verba, distinguo anteced. Non sumus sufficientes cogitare aliquid supernaturale & conducens ad vitam æternam, Concedo: aliquid naturale, & ad salutem non pertinens, Nego anteced.

Dices 2°. ex Concilio secundo Arausicano cap. 22. Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Et ex S. Augustino de gestis Pelagii capite 3. sufficit oculus ad non videndum: ad videndum verò lumine suo sibi non sufficit, nisi extrinsecùs auxilium clari luminis præbeatur: Ergo.

Distinguo anteced. ut suprà, nemo habet de suo nisi mendacium, nec sibi sufficit ad videndum in ordine ad vitam æternam, Concedo: nemo absolutè, Nego anteced. Eo itaque sensu laudata verba accipienda sunt, quòd apud

Summum Judicem ratio duntaxat habeatur operum, quæ à malâ voluntate exeunt, ut puniantur, nulla verò virtutum naturalium ut pro eis merces rependatur: & ita liberum arbitrium per se nihil valet nisi ad peccandum; cùm enim pro nihilo reputetur quidquid boni naturalibus viribus facere potest, nihil in hâc parte valere meritò dicitur.

Q. 3°. *Gratia actualis est-ne necessaria ad vincendas tentationes?*

R. 1°. Si agatur de victoriâ, quæ sit utilis ad salutem, certum est ex dictis, gratiam actualem esse absolutè necessariam. Sed cùm præcipuè quæstio moveatur de victoriâ, quæ sufficiat ad vitandum peccatum, ad quod tentatio impellit.

R. 2°. Homo naturaliter vincere potest aliquam levem tentationem potentiâ, tum physicâ, tum morali.

Probatur, quia ex mox dicendis, homo naturaliter potest facere aliquod opus moraliter bonum, si non occurrat nisi levis difficultas: Atqui tentatio levis non infert nisi levem difficultatem: Ergo naturaliter potest superare aliquam levem tentationem.

Dixi, *aliquam*, non omnem, *levem tentationem;* quia omnes vel etiam multæ leves tentationes, si collectivè sumantur, graves evadunt ob innatam voluntatis humanæ inconstantiam: aliquis, v. g. patienter audit verbum minùs gratum, quod sæpius repetitum intolerabile efficitur.

Dices 1°. Dei providentiæ & speciali ejus protectioni tribuendum est, quòd tentatio fuerit levis, nec permiserit Satanam ampliùs sævire: Ergo nulla tentatio, etiam levissima, superari potest sine gratiâ.

Nego conseq. tum quia illa exterior Dei protectio non est gratia supernaturalis, de quâ hîc agitur: tum quia nostra responsio est de tentatione secundùm se spectatâ, & in hypothesi quòd fuerit levis. Sic verè & propriè dicimus Claudium à sancto Petro sanatum, Act. 3. naturaliter ambulasse, quamvis ejus ambulatio supponeret præcedentem Dei gratiam.

Dices 2°. constans est sanctorum Patrum doctrina hominem naturalibus viribus nulli tentationi sine gratia resistere posse. Sanctus Chrysostomus hom. 24. in primam ad Corinthios, sic habet: *Ubi sunt tentationes, quas sufferre non possumus? Et quænam illæ? Omnes, ut ita dicam: possibilitas enim in divino nutu est, quam nostrâ alliciamus voluntate. Quare, ut certò cognoscas, non solùm illas, quæ nostram virtutem superant, non posse sine divino auxilio facilè sustinere, sed ne has quidem humanas*, &c. *neque enim mediocres illas, quod dixi propriâ virtute sufferremus: sed hîc quoque divino indigemus auxilio, ut eas vel effugiamus, vel certè perferamus.* Sanctus Augustinus lib. 2. Confess. 7. *Gratiæ tuæ*, inquit, *deputo quæcunque non feci mala.* Sanctus Gregorius in psalm. 3. pœnitentialem. *Necessariò sequitur, ut omni tentationi sit subditus, quicunque à Deo fuerit derelictus.* Ergo.

Nego conseq. namque laudati textus, & alii plures, quos congerunt Patroni oppositæ sententiæ intelliguntur, vel de victoria quæ conferat ad salutem, vel de gratuitâ Dei protectione, quâ non patitur nos tentari supra quod possumus, & ita videntur accipienda verba sanctorum Augustini & Gregorii, vel denique de levibus tentationibus collective sumptis: nam frequentiùs utimur propositionibus universalibus ad significandum quod fit

ferè ſemper. Hanc eſſe mentem ſancti Chryſoſtomi indicant particulæ diminutivæ; *Omnes, ut ita dicam*, quæ idem ſonant, quod propè omne.

R. 3°. Graves tentationes ſine gratia vinci poſſunt potentiâ phyſicâ, nullatenus potentiâ morali. Duæ ſunt reſponſionis partes.

Prima pars probatur 1°. quia dictis ex potentia phyſica eſt virtus activa proportionata operi faciendo, alioquin moraliter impoſſibili: Atqui in homine lapſo ineſt virtus naturalis proportionata vincendis tentationibus. Namque ex ſancto Thomâ in prænotatis laudato, nec concupiſcentia, nec tentationes imponunt neceſſitatem. *Diabolus,* inquit ſanctus Auguſtinus, *conſenſum non extorquet, ſed petit.* Ergo homo gravi tentatione pulſus, diſſentire poteſt, cùm remaneat liber à neceſſitate. Nunquam tamen ſine gratia diſſentient, quia cum potentiâ phyſicâ conjuncta eſt impotentia moralis. 2°. Si diſſentire non poſſet ne quidem potentiâ phyſicâ, ſequeretur in ſententiâ eorum, qui docent obduratos & nonnullos infideles omni gratiæ auxilio deſtitui, vel non peccare tranſgrediendo legem naturalem, quod dici nequit ſine ſcandalo, vel ad demerendum non requiri libertatem à neceſſitate, quod Summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. damnarunt in Janſenio tanquam Hæreticum. Ergo homo in hypotheſi quòd omni auxilio careret, gravi tentationi reſiſtere poſſet potentiâ phyſicâ.

Dices: Eſt error Pelagii, hominem naturalibus viribus vincere poſſe graves tentationes, & gratiam dari duntaxat ad faciliùs reſiſtendum: Ergo.

Diſtinguo anteced. poſſe vincere victoriâ

quæ sit utilis ad salutem, Concedo: posse vincere victoriâ quæ sufficiat ad peccatum vitandum, Subdistinguo: posse potentiâ morali quæ ad actum reducatur quamvis difficiliùs: Concedo. Posse potentiâ physicâ nunquam ad actum reducendâ, nisi Deus adjuvet, Nego anteced. Pelagius itaque in eo errabat quòd contenderet gratiam quidem esse utilem, sed minimè necessariam ad superandas graves tentationes, hominemque solis naturæ viribus non solùm posse, sed etiam actu victorem existere, atque eo titulo vitam æternam promereri: nos verò dicimus hominem vincere posse graves tentationes potentiâ duntaxat physicâ, & nunquam ad actum reducendâ, nisi gratia succurrat.

Confirmatur nostra sententia communis inter Theologos Catholicos, ex Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. qui proscripserunt hancce 30am Baii propositionem, quâ Catholicorum sententiam ad Pelagianismum revocabat: *Non solùm ii fures sunt & latrones qui Christum viam veritatis & vitæ negant; sed etiam quicumque aliunde quàm per Christum in viam justitiæ, hoc est, ad aliquam justitiam conscendi possè, aut tentationi ulli sine gratiæ ejus adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab eâ non superetur.*

Non ergo sequitur ex nostrâ sententiâ gratiam tantùm dari ad faciliùs, tum quia sine ejus adjutorio nulla victoria prodesse potest ad salutem; tum quia homo sibi soli relictus nunquam superabit gravem tentationem, sed ab ea infallibiliter dejicietur, quod nobis nunc probandum incumbit: Quare,

Secunda pars nostræ responsionis, quæ est

de morali impotentiâ resistendi viribus naturæ gravi tentationi, probatur adversùs Pelagium, primò ex Scripturâ Psalm. 17. *In te eripiar à tentatione*, Psal. 117. *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.* Matth. 6. jubemur petere à Deo auxilium contra tentationes; *Et ne nos inducas in tentationem.* In quem locum Sanctus Augustinus, libro de dono persev. cap. 23. sic scribit; *Si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à seipsâ sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet .... Quis enim veraciter gemat, desiderans accipere quod erat à Domino, si hoc à seipso sumere existimet, non ab illo?*

Probatur 2º. ex Conciliis & sanctis Patribus. Concilium Diospolitanum damnavit propositionem, quâ Pelagius asserebat tentationes naturalibus viribus superari posse. *Unde fit consequens*, (inquit S. Augustinus Epistolâ 186. aliàs 106.) *ut quisquis sequitur illius episcopalis auctoritatem judicii ... fateatur quando contra tentationes concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illâ, sed ex adjutorio Dei provenire nostram victoriam.* Concilium Milevitanum definitionem Concilii Diospolitani confirmavit, ut constat ex Epistolâ, quam scripsit ad Innocentium I. extatque inter Epistolas sancti Augustini, numero 276. aliàs 92.

Innocentius I. Epistolâ ad Episcopos Africæ, quæ etiam inter epistolas S. Augustini, numeratur 181. aliàs 91. *Necesse est*, inquit, *ut quo auxiliante vincimus, eodem rursus non adjuvante vincamur.*

Concilium Arausicanum II. Can. 9. sic definit, *Divini est muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitiâ continemus.*

Probatur 3°. ex Consensione omnium Theologorum, Bellarminus lib. 5. de libero arbitrio cap. 8. in responsione ad objectionem ex auctoritate sancti Thomæ deductam sic respondet: *Significat S. Thomas à passione non necessitari voluntatem necessitate physicâ; quasi voluntas determinetur ad unum, quomodò determinatur appetitus animantium brutorum; tamen non negat necessitari moraliter, id est,* INFALLIBILITER *moveri.*

Suaresius l. de necessitate grat. cap. 24. num. 33. *Gravis tentatio .... si instet infallibiliter hominem gratiâ non adjutum dejiciet.* Similia habent P. Martinon in suo Antijansenio disputatione. 16. sect. 8. P. Perrin. in suo Manuali. 1. p. 133.

Isambertus Professor Regius in scholis Sorbonicis disp. 5. a. 6. de impotentia morali sic habet, *juxta quam nunquam contingit; nec unquam continget, ut aliquis homo sibi soli, & viribus tantùm naturæ relictus vicerit, aut vincat gravem aliquam tentationem.* Scripsit ille Theologus ante Jansenium.

M. Grandin etiam Professor Regius in scholis Sorbonicis qu. 1. de necess. grat. p. 79. asserit hanc esse communem Theologorum sententiam adversùs Ruardum Tapperum, & pag. 80. ait, *sed & difficultas duplex, altera tanta non est, ut semper impediat actum: altera est tanta, ut semper impediat actum, quomodò hîc à nobis accipitur moralis impotentia.*

Denique Theodorus Eleutherius, qui scripsit Historiam de auxiliis pro Patribus Societatis Jesu, refert lib. 4. c. 14. Molinam à Patribus Dominicanis delatum fuisse ad Sedem Apostolicam, quasi docuisset hominem sine gratiâ graves tentationes vincere posse, atque ejusmodi

criminationem sic diluit *tametsi, ut dixi, moraliter necesse sit aliquo tentationis notabiliter durantis momento tentatum labi, nisi gratiæ succurrat auxilium ut Molina docet.... Unde apparet nihilominus velle Molinam quàm quòd simpliciter & absolutè possit absque gratiâ vehemens superari tentatio.*

Q. 4°. *Quomodò tentatio gravis inducit malè agendi moralem necessitatem?*

R. Id fit, quatenus sensibilia, utpote præsentiora, sensus & appetitum sensitivum magis movent & afficiunt, quàm spiritualia rationem. Deinde sensus & appetitus objectis sensibilibus deliniti, rationem tam violenter attrahunt, ut mens ad legem Dei vix attendat, aliudque appetendum aut fugiendum repræsentet quàm quod passiones suggerunt; nam ex Philosopho 3. Ethic. c. 5. *Qualis unusquisque est, talis illi finis videtur*; & ex vulgari axiomate, *unusquisque judicat, prout affectus est.* Non quòd ratio malitiam objecti nullatenus advertat; sed aliò abstracta per ardentem concupiscentiam infallibiliter decernit (nisi Deus periclitanti succurrat) satius esse hîc & nunc cupiditatibus indulgere. *Vigilate itaque & orate* (ait Magister noster Matt. 26.) *ne intretis in tentationem.* Nam ex Celestino summo Pontifice ad Episcopos Galliæ: *Nemo etiam baptismatis gratiâ renovatus, idoneus est ad superandas Diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum Dei adjutorium, perseverantiam bonæ conversationis acceperit.* Illam autem suppliciter emereri possumus; *novit enim Dominus pios de tentatione eripere.*

Ex his manifestè sequitur, hominem sine gratiâ legem naturalem posse quidem implere potentiâ Physicâ, quia lex naturalis est naturæ humanæ proportionata; nullatenus verò posse

posse potentiâ morali: tum propter tentationes quæ frequenter occurrunt: tum propter quædam mandata per se longè difficillima, quale est præceptum diligendi Deum super omnia. Quia amor Dei, super omnia sincerus non est, nisi totum hominem, & cetera ita ad Deum referat, ut vim habeat resecandi omnes cupiditates, & inordinatum sui ipsius amorem: quemadmodum aurum non est genuinum, nisi fornacem sustinere possit, quamvis actu eam non experiatur: Atqui talis actus homini lapso moraliter est impossibilis. Ita S. Thomas q. 109. art. 3. ubi sic habet: *Homo in statu naturæ integræ dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei sicut ad finem, & similiter dilectionem omnium aliarum rerum, & ita diligebat Deum plusquam seipsum, & super omnia; sed in statu naturæ corruptæ homo ab hoc deficit secundùm appetitum voluntatis rationalis, quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam Dei.*

Dices 1°. Homo naturaliter cognoscit Deum esse summum bonum, ac proinde super omnia amabile: Ergo potentiâ morali potest sic illum diligere.

Nego conseq. quia ex S. Thomâ natura humana per peccatum magis corrupta est in appetitu, quàm in intellectu. Deinde virtutes intellectuales, ut scientia & ars non pugnant contra cupiditates & passiones, sicut virtutes morales.

Dices 2°. Timor præsentissimæ mortis est gravissima tentatio: Atqui Romani, & plures alii Gentiles mortem acerbissimam, non solùm patienter, sed etiam alacriter sustinuêre. Ergo.

Distinguo min. & quidem ad mentem sancti Augustini lib. de patientia cap. 16. sustinuêre motivo superbiæ & cupiditatis, ad quod dæmon juvare potest, Concedo: motivo honestatis, Nego. *An verò*, inquit sanctus Doctor, *idonea est iniquorum voluntas, ut Deo non adjuvante.... inter atrocissima & longa tormenta in mendacio perseverent.... & non est idonea justorum voluntas, nisi eis vires desuper suggerantur, quaslibet pœnas, vel ipsius decore justitiæ, vel æternæ vitæ amore perferre? qui hæc dicunt non intelligunt, & quemque impiorum tantò esse ad quæcunque mala perferenda duriorem, quantò in eo est major mundi cupiditas; & quemque justorum tantò esse ad quæcunque mala perferenda fortiorem, quantò in eo est major charitas Dei.*

Cur autem homo in hoc statu non æquè motivo honestatis ac motivo cupiditatis mortem oppetere possit; ratio repetenda est ex dictis: nimirum, ubi læditur nominis fama vel spes rei familiaris amplificandæ affulget, commovetur appetitus, ardent passiones, solus timor amittendi quod malè concupiscitur, mentem exagitat, & imminens mortis periculum vix obvertitur. Contra verò, si agatur de tuendâ veritate & justitiâ cum capitis discrimine, sensus & passiones vehementer obsistunt, mentem perturbant, & quodammodo ligant, horror mortis totum hominem invadit, jam non lucet decor justitiæ, nec afficit gehennæ metus, nec ulla subest cura nisi evadendi mortis periculum. At superveniente gratiâ, uberior illustratio mentem veritati, quâ nihil est fortius, affixam tenet, & major delectatio justitiæ voluntatem infallibiliter determinat, non quidem absolutè, sed moraliter; liberum quippe

arbitrium, sive sub gratiâ efficaci, sive sub cupiditate constitutum, dissentire aut consentire potest, ut infrà demonstrabitur.

Dices 3°. ex Apostolo Rom. 1. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Ergo gratia actualis necessaria non est ad implendam legem naturalem.

Respondeo 1°. negando consequent. Mirum quippe esset Apostolo, qui afflante Spiritu sancto, totus est in hâc epistolâ ad probandum gratiam omnibus sive Judæis sive Gentilibus esse necessariam ut lex impleatur, hæc excidisse contra propositum. De Gentilibus ait cap. 1. *Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt ..... propter quod tradidit illos, Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam... repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ*, &c. De Judæis verò & Gentilibus simul cap. 3. *Causati enim sumus: Judæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est quia non est justus quisquam ... omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Cùm textus illi sicut luce meridianâ clariores, investigemus necesse est quo sensu Apostolus scripserit Gentiles naturaliter ea quæ legis sunt, facere. Quamobrem.

Respondeo 2°. cum sancto Augustino lib. de spiritu & lit. c. 26. & sequentibus, 1°. vox, *naturaliter*, sumitur hîc pro *sponte*, opponiturque coactioni quæ fit per legem extrinsecùs advenientem & minantem, adeo ut sensus sit, Gentes sine lege scriptâ (quam Judæi transgressi sunt: per eos enim nomen Dei blasphematur in Gentibus, Rom. 2. v. 24.) sponte & voluntariè ea, quæ legis sunt, faciunt, ac proinde Judæi adversùs Gentiles gloriari non

debent eo titulo, quòd soli legem acceperint, cùm transgressores existant ejusdem legis, cujus opera gentiles sine exteriori doctrinâ faciunt: Pharao Gen. 12. v. 18. Saram Abrahamo reddidit intactam, ut audivit esse ejus uxorem, cap. 26. v. 11. Abimelch præcepit omni populo sub pœnâ capitis, ne quis Rebeccam Isaaci conjugem impudicè tangeret. Plura etiam facta Romanorum & aliorum, nec Deum verum veraciter justèque colentium, vel legimus, vel novimus, *quæ secundùm justitiæ regulam* (inquit S. Augustinus cap. 27. citati lib. de spiritu) *non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus. Quanquam, si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionem ve mereantur.* 2°. Itaque Gentiles multa legis opera naturaliter faciunt, bona ex officio seu objecto, sed mala ex pravo fine, putà, superbiâ: vel si sunt simpliciter bona, tum ex officio, tum ex fine, & circunstantiis, vix illud fit sine gratiâ Christi, quam constat absque lege scriptâ concessam esse quibusdam Gentilibus, putà Cornelio, Jobo, Melchisedecho, ut docet S. Augustinus laudato cap. 27. *Non quòd per naturam* (hoc est per vocem *naturaliter*) *negatà sit gratia, sed potiùs per gratiam reparata natura.*

Gravis superest quæstio, utrùm Infideles sine gratia peccent in omnibus operibus suis, nec ullum simpliciter bonum, tum ex officio, tum ex fine elicere possint, quod expendemus sequenti Paragraho.



Paragraphus II.

Utrùm Infideles absque gratiâ possint velle & facere aliquod opus naturaliter bonum, tum ex objecto, tum ex fine & circunstantiis?

NEgavit Baïus his duabus Propositionibus, 1°. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* 2°. *Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Quas Propositiones damnarunt Summi Pontifex Pius V. & Gregorius XIII. damnatasque revocavit ipse Baïus. Quare ad mentem Summorum Pontificum,

Respondeo: Infideles absque gratiæ auxilio possunt potentiâ morali aliquod opus naturaliter bonum, etiam ex fine & circunstantiis, velle & facere, etsi vix tale in ipsis reperiatur.

Prima pars probatur 1°. ex Scripturâ, Exodi 1. Laudantur obstetrices Ægyptiorum, quòd masculis Hebræis pepercerint, ac propterea Deus ipsis benedixit, domosque ædificavit. Matth. 5. Ethnici amicos diligunt & salutant, quod non reprehendit Christus, licèt à Christianis plus exigat.

Probatur 2°. ex Bullis Summorum Pontificum, in quibus reprobantur Baii Propositiones tum ex sanctis Patribus. Ex S. Augustino c. 27. ad calcem præcedentis Paragraphi laudato, & serm. 349. aliàs 52. de tempore, ubi distinguit charitatem naturalem à supernaturali, his verbis: *Licitam charitatem habete, humana est? sed ut dixi, licita est. Non solùm autem ita licita est, ut concedatur: sed ita licita, ut si*

defuerit, reprehendatur. Liceat vobis humanâ charitate diligere conjuges, diligere filios, diligere amicos vestros, &c. *Sed videtis illam charitatem esse posse & impiorum, id est Paganorum.* Ex S. Chrysostomo hom. 67. ad populum. *Nemo est*, inquit, *adeo malus, qui non habeat aliquid boni, cujus ratione mereatur aliquod bonum temporale.* Ex S. Thomâ 2. 2. quest. 10. art. 4. ubi sic scribit: *Peccatum etiam infidelitatis naturam totaliter non corrumpit; alioquin peccator desineret esse homo. Unde non oportet quòd in omni opere suo peccent Infideles; sicut enim habens fidem, potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad finem fidei; ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo quod non refert ad finem infidelitatis.*

Probatur 3°. ratione: quia ex dictis ibi agnoscentia est potentia moralis, ubi objectum est proportionatum facultati activæ, nec occurrunt impedimenta, quæ reddant opus difficile: Atqui colere parentes charissimos, v. g. aliquod obsequium illis exhibere in re facili, & iisdem gratissima, est objectum naturæ rationali valde proportionatum, & admodum facile, cui interdum nulla saltem gravis resistit tentatio: Ergo.

Nec dicas opus, ut sit moraliter bonum, debere referri in ultimum finem, quod non potest Infidelis. Namque Infidelis moraliter potest aliquem actum ad Deum referre, cùm invincibiliter ignorare non possit illum esse cujusque ultimum finem.

Instabis 1°. hæc responsio satisfacere pro statu naturæ puræ, in quo ultimus finis esset Deus ut auctor naturæ, hoc est, ut possidendus per cognitionem perfectam ex creaturis abstractam, & per amorem illi cognitioni respondentem. At in hoc statu, ultimus finis non est

alius quàm Deus intuitivè videndus ad quem actus fidei informis ex naturâ suâ tendit nullatenus vero actus naturalis, quisquis ille sit, utpote inutilis, & à scopo aberrans, sic enim conficitur syllogismus: Ille actus moraliter bonus non est qui prorsus inutilis est, & ab ultimo fine aberrrans; quis enim dixerit bene agere eum, qui à rectâ viâ deflectit, & frustra ac inutiliter operatur? Atqui omnes infidelium actus sunt inutiles & devii: Ergo boni non sunt. Hinc Apostolus Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Tit. cap. 1. *Omnia munda mundis .... infidelibus nihil est mundum.* Et S. Augustinus lib. 4. contra Jul cap. 3. *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in Christo est vera, promittit; nihil prosunt homini virtutes, nullo modo veræ possunt esse virtutes.* Et infrà alloquens Julianum qui ejusmodi virtutes laudabat, sic pergit: *Dici non potest quantùm te fallat ista opinio, quâ dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos aut steriliter aut fructuosè boni simus. Fieri autem non potest, ut steriliter boni simus ... Arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, à quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas.* Ibidem sanctus Doctor solvit objectionem ex Philosophis petitam qui virtutem sic definiêre; *Virtus est animi habitus naturæ atque rationi consentaneus.* Quæ definitio optimè convenit quibusdam Infidelium virtutibus, per quas nonnulla facilia operantur juxta dictamen rectæ rationis, & modo consentaneo naturæ rationali. *Verum dixerunt*, inquit, *sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatificandæ naturæ mortalium nescierunt* Ergo ex Scripturâ & ex doctrinâ sancti Augustini, nulla potest esse vera virtus, nisi ordinetur ad

beatitudinem supernaturalem, quæ in hoc statu sola est ultimus finis, ac proinde omnia Infidelium opera sunt vera peccata.

Respondeo 1°. Hæc objectio ad summum pugnat contra Infidelium opera, qui positivè & contumaciter gratiam rejiciunt, & necessariam humilitatis viam, quam Christus nobis aperuit ad salutem, ingredi detrectant. Tales sunt Judæi, qui in lege confidunt; tales Philosophi Gentiles, qui de operibus in se, non in Domino gloriantur; tales hæretici, putà, Pelagiani & Semipelagiani, contra quos præsertim pugnabat sanctus Augustinus, tanquam in liberi arbitrii præsumptores & gratiæ destructores: opus enim quod fit ex hâc præsumptione, putà nudum operire, prorsus peccatum est; *Non quia*, inquit sanctus Augustinus cit. c. 3. *per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est; sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.*

Sed infidelis negativus, qui de Religione Christianâ nihil audire potuit, similis est famulo, qui, cùm in mandatis acceperit occurrere Domino, ex longâ peregrinatione redeunti iter aggreditur; sed ex ignorantiâ, & intempestæ noctis tenebris, nullatenus verò ex suâ culpâ à recto itinere deflectit, nec Dominum consequitur in condicto loco; quemadmodum enim famulus ille in suo conatu omnino laudandus est, nedum vituperandus; ita infidelis negativus, qui ex præcepto legis naturalis actum elicit, & ad Deum dirigit, sed non eo modo, quo ad Deum pervenire possit; quia invincibiliter ignorat Christum esse unicam viam, quâ itur ad Patrem.

Neque verò hujusmodi actus ex omni parte sterilis est & inanis; per illum quippe Infidelis

ſatisfacit præcepto legis naturalis, peccatum vitat, & pœnam illi debitam, minùs indignum ſe præbet miſericordiæ à Deo conſequendæ: denique promereri poteſt aliquod præmium temporale, habetur enim Exodi 1. Deum ædificaſſe domos obſtetricibus Ægyptiorum ob eorum humanitatem erga infantes Hebræos.

Unde in formâ diſtinguo majorem ſyllogiſmi in objectionis confirmationem confecti: actus ille bonus non eſt, qui ab ultimo fine inutiliter aberrat, ſi culpâ agentis aberrat, Concedo: ſi ſine ejus culpâ, ſed ex ignorantiâ prorſus invincibili, Nego majorem. Solutio patet ex dictis.

Reſpondeo 2°. ad textus Apoſtoli. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Infidelibus nihil eſt mundum.* 1°. Si ad litteram accipiantur, non ſunt ad propoſitum. Apoſtolus quippe loquitur de conſcientiâ, quam qui ſequitur, bonâ fide dicitur agere; malâ verò fide, qui eâ reluctante operatur. Ait ergo Apoſtolus eum peccare, qui non ex fide, hoc eſt, qui contra conſcientiam manducat de cibis olim in lege veteri prohibitis, nunc verò in novâ lege licitis; quia omne quod non eſt ex fide, id eſt, ex conſcientiâ peccatum eſt; etiamſi fiat ſecundùm legem. Unde in poſteriori textu Apoſtolus abſolutè pronuntiat ejuſmodi infidelibus nihil eſſe mundum, ſive abſtineant à cibis in lege vetitis, ſive iis utantur. Si enim ex ſuâ ſuperſtitione abſtinent, peccant, quia ſuperſtitiosè abſtinent: ſi manducant, etiam peccant, quia malâ fide, & contra conſcientiam manducant.

Verùm quia S. Auguſtinus citato capite 3. laudatos Apoſtoli textus de fide Chriſtianâ in-

telligit, quamvis allatam à nobis expositionem non rejiciat: alia solutio iisdem textibus in sensu sancti Doctoris acceptis abhibenda est: 1°. Infideli nihil est mundum, & omne quod agit peccatum est quando agit ut infidelis, hoc est, ex infidelitate; quo sensu dicitur 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit*, scilicet quando agit ut filius Dei, & secundùm gratiam adoptionis. Sed sicut Justus quandoque titillanti concupiscentiæ consentit, & eatenus peccat; sic infidelis potest ex infidelitate non agere, & sequi lumen rationis, adeoque non peccare. Ita S. Thomas 2. 2. qu. 10. art. 4. ad primum. 2°. Infidelis, etiamsi ex infidelitate non operetur, nihilominus omne quod agit, moraliter loquendo peccatum est; quia vix actum elicit, qui non procedat, vel ex superbiâ vel ex cupiditate; quemadmodum enim universalis hæc propositio, omnis Æthiops totus est niger, moraliter accepta vera est, licèt Æthiops sit albus in minimâ sui corporis parte, nimirum in oculis; eodem sensu verum est dicere, omne quod agit infidelis, peccatum est, quamvis extraordinariè contingat aliquem ejus actum non esse peccatum.

Respondeo 3°. Sigillatim ad ea, quæ opponuntur ex S. Augustino.

Ad primum. Effatum illud sancti Doctoris: *Si ad consequendam veram beatitudinem, nihil prosunt homini virtutes, nullomodo veræ possunt esse virtutes*, vel extenditur ad fideles nondum justificatos: vel restringitur ad solos infideles.

Si primum; distinguo propositionem, nullomodo veræ possunt esse virtutes; id est, vivæ & perfectæ, quo sensu S. Thomas docet 2. 2. q. 4. art. 5. fidem in peccatore quam vocat informem, non pertingere ad perfectionem

virtutis, Concedo, nullomodo veræ possunt esse virtutes, hoc est, habitus boni, & principia actuum laudabilium, Nego propositionem. Solus enim Lutherus aut calvinus dixerit opera, quibus peccator ex fide ad justificationem sese disponit, non esse bona, sed vera peccata; à quâ hæresi patenter abest sanctus Augustinus, utpote qui doceat fide impetrari justificationem. Hîc ergo loquitur de virtute perfectâ, cujus actus sunt meritorii vitæ æternæ: ait enim: *Absit ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus.*

Quòd si verba S. Augustini restringantur ad solos infideles, aliâ distinctione opus est ad assequendam ejus mentem, nempe in infidelibus non possunt esse veræ virtutes etiam naturalis ordinis, si spectentur quoad habitum, Concedo: si spectentur quoad actum, subdistinguo, quæ disponant ad gratiam, Concedo: quæ sint rectæ rationi consentaneæ & moraliter bonæ, quamvis ad salutem inutiles, Nego propositionem.

Enimverò cùm habitus naturales nascantur ex actibus sæpius repetitis, & actus infidelium ferè semper sint vitiosi, saltem ex malo fine, sequitur in infidelibus non posse reperiri potentiâ morali, nisi habitus moraliter malos, unus quippe aut alter actus contra eorum agendi morem rectâ intentione elicitus habitum laudabilem producere nequit; ac proinde sicut Æthiops ex oculis albis denominandus non est albus; sic nec infideles, ex aliquo bono opere dici debent arbores bonæ.

Ad secundum locum, qui ex S. Augustino objicitur, *fieri non potest, ut steriliter boni simus*; distinguo: in hypothesi falsâ Juliani, Concedo: in nostrâ, de quâ non agit S. Augustinus, Nego.

Julianus itaque cum Pelagio docebat bene velle esse à nobis, bene autem operari tribuebat gratiæ, & in hoc posteriori à Pelagio recedebat. Sed cùm in opere bono duo spectanda sint, nempe officium seu objectum, & finis, contendebat ille Hæreticus contra omnium hominum etiam indoctorum opinionem officium sine recto fine, v. g. operire nudum ob vanam gloriam, esse bonum & laudabile quamvis sterile & infructuosum, ideoque gratiæ Christi non adscribendum, sed naturalibus liberi arbitrii viribus. Quæ absurdissima sententia incredibilis, præsertim in homine Christiano & Episcopo videretur, nisi S. Augustinus ejus verba referret in hunc modum: *Ne tibi videar calumniari* (inquit, Julianum alloquens) *ipsa tua verba ponam. Cunctarum, inquis, origo virtutum in rationali animo sita est, & affectus omnes, per quos aut fructuosè aut steriliter boni sumus. In subjecto sunt mentis nostræ prudentia, justitia, temperantia, fortitudo; horum igitur affectuum vis, cùm insint omnibus natutraliter, non tamen ad unum finem in omnibus properat, sed pro judicio voluntatis, cujus nutui serviunt, aut ad temporalia, aut ad æterna dirigitur. Quod cùm sit, non in eo quòd sunt, non in eo quòd agunt: sed in eo solo quòd variant, quòd merentur, nec nominis sui igitur, inquis, possunt, nec generis sustinere dispendium; sed solius quod appetiverint præmii aut amplitudine dicantur, aut exiguitate frustrantur.* Ex quibus verbis concludit S. Augustinus in sententiâ Juliani, veram virtutem esse avarorum prudentiam, veram Catilinæ fortitudinem, veram justitiam quæ dominam repetit avaritiam, cùm omnium judicio sint vera vitia, à quibus nemo denominari potest bonus, etiam steriliter.

Instabis 2°. ex S. Augustino Enchir. 17. regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas: Atqui in infidelibus non est charitas: Ergo omnia eorum opera procedunt ex carnali cupiditate, ac proinde mala sunt.

Distinguo majorem, regnat habitualis cupiditas, ubi non est charitas habitualis, Concedo: neque enim datur medium: regnat actualis cupiditas ubi non est charitas, Nego maj. tum quia homo non semper agit ex habitu; tum quia actus fidei & spei in peccatore, qui ad justitiam sese disponit, boni sunt, nec ex vitiosâ cupiditate procedunt tum denique quia summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt hanc Baii propositionem, quæ est numero 38a. *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, aut laudabilis illa charitas, quâ per Spiritum sanctum in corde diffusâ Deus amatur.*

Instabis 4°. S. Prosper responsione 8a. ad Capitula Gallorum scribit: *Dicamus gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per singulos actus adjuvare, ita ut sine illâ nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, elicere valeamus.* Eadem habent Concilium Cartaginense epist. ad Zosimum Summum Pontificem, Milevitanum II. can. 4. Arausicanum II. can. 9. Ergo sine gratiâ nullum potest esse bonum opus morale.

Distinguo consequens, bonum opus ad salutem æternam conferens seu disponens, Concedo: nullum absolutè, nego conseq. Hæc solutio petitur tum ex scopo sancti Prosperi, Conciliorum, & aliorum Patrum illius ætatis qui toti erant ad refellendum errorem Pelagianorum & Semipelagianorum, asserentium ini-

tium salutis repetendum, non ex gratiâ, sed ex libero arbitrio: tum ex verbis Concilii Arausicani can. 7. in quo sic habet: *Si quis per naturæ vigorem opus aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritûs-sancti, hæretico fallitur spiritu*, restrictio enim illa *quod ad salutem pertinet*; quâ etiam usi sunt Patres Tridentini sess. 6. can. 3. planè indicat sermonem non esse de actibus nihil ad salutem conferentibus.

Secunda pars nostræ responsionis, nempe vix in infidelibus reperiri opus bonum ex objecto, fine & circunstantiis, probatur tum ex sancto Augustino, qui laudato cap. 17. lib. de spiritu & lit. nostram doctrinam iisdem tradit verbis: tum ex dictis præcedenti Paragrapho, de necessitate gratiæ ad superandas tentationes, quæ in omni ferè opere nos impugnant.

De necessitate gratiæ ad perseverandum agimus tract. de attrib. c. de effectibus prædestinationis, ubi expendimus ea, quæ pertinent ad magnum perseverantiæ donum.

Paragraphus III.

Utrùm justus gratiæ auxilio possit vitare omnia & singula peccata venialia?

Constat ex dictis cap. 4. Parag. ultimo, gratiam sanctificantem esse necessariam, ut per diuturnum tempus peccata mortalia vitentur. Infrà dicemus gratiam saltem sufficientem non deesse justis, quâ possint mandata Dei implere, & lethaliter non peccare. Quæritur hîc duntaxat an justi cum gratiæ auxilio, quod ex dicendis supponimus ipsis non denegari,

possint vitare omnia & singula peccata venialia, quandiu in terris agunt.

Affirmarunt Pelagius & Celestius, ideo damnati in Concilio Milevitano secundo, can. 6. ubi dicitur anathema ei qui asserit propter humilitatem oportere dici, non quia veritas est, illud 1. Joan. c. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Concilium Tridentinum antiquorum Patrum vestigiis insistens sessione 6. c. 23. sic definit. *Si quis hominem semel justificatum dixerit .... posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de Beatâ Virgine tenet Ecclesia: anathema sit.* Juxta quam definitionem propositæ quæstionis,

R. Justus in hâc vitâ cum auxilis gratiæ ordinariis, non potest morali potentiâ per diuturnum tempus vitare omnia peccata venialia, etiam ea, quæ ex inadvertentiâ in infirmitate subrepunt: potest verò cum auxiliis extraordinariis. Duæ sunt partes.

Prima pars probatur, 1°. ex Scripturâ, 2. Paralip. 6. *Neque enim est homo qui non peccet.* Ps. 142. *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* Jac. 3. *In multis enim offendimus omnes.* 1. Joan. 1. *Si diximus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Probatur 2°. ex constanti Traditione Ecclesiæ. *Tria sunt*, inquit S. Augustinus lib. de dono persev. c. 2. *quæ maximè adversùs Pelagianos defendit Ecclesia, quorum est unum, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari. Alterum est, in quantâcunque justitiâ, sine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis.* Ad vindicandum autem secundum, librum inte-

grum scripsit de perfectione justitiæ. Idipsum passim refricat in aliis operibus, ut ep. 167. aliàs 29. *Nemo*, inquit, *hîc vivit absque peccato, & hoc alius magis, alius minùs: optimus autem est, qui mininùm.* Et l. de spir. & lit. c. 1. sic respondet ad Marcellinum: *Rescripsisti te moveri, eo quod in posteriori duorum librorum fieri posse dixi; ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit ope divinâ adjuvante, & tamen præter unum, in quo omnes vivificabuntur, neminem fuisse aut fore, in quo hîc vivente foret ista perfectio. Absurdum tibi videtur dici aliquid fieri posse, cujus ubi desit exemplum.* Tum nonnulla adducit exempla eorum, quæ fieri possunt, nec unquam fient. Cur autem justus non declinat ab omni peccato cùm declinare possit, explicat S. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, his verbis: *Quamdiu ille finis adveniat .... necesse est nos subjacere peccato, non naturæ & conditionis, ut tu calumniaris, vitio, sed fragilitate & commutatione voluntatis humanæ, quæ per momenta variatur, quia Deus solus est immutabilis.* Ex quibus colliges aliter dici circulum perfectè rotundum esse possibilem, quamvis nunquam existat perfectè rotundus, aliter possibile esse justo vitare omnia peccata venialia, etsi nunquam vitet. Quòd enim non conficiatur circulus perfectè rotundus, non provenit ex defectu voluntatis, quæ ad hoc totis viribus nititur, sed ex defectu aliarum potentiarum. Contra verò justus ideo non vitat omnia peccata venialia, quia voluntas ejus nunquam ad id totas vires exerit, ac proinde defectus in hoc posteriori exemplo peccatum est, quia voluntarius; in priori verò minimè, quia omnino involuntarius. Ita sanctus Thomas hîc qu. 109. art. 8. *Non potest*, in-

quit, *abstinere homo ab omni peccato veniali, propter corruptionem inferioris appetitûs sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, & ex hoc habent rationem peccati & voluntarii: non autem omnes, quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, & etiam quia ratio non potest esse semper pervigil.*

Dixi in responsione, 1°. *in hâc vitâ*; quia in statu beatitudinis justi erunt prorsus impeccabiles; nulla quippe in eis erit concupiscentia, nulla deordinatio, partes inferiores perfectè subditæ erunt superiori, & hæc per visionem intuitivam, & amorem beatificum Deo immobiliter adhærebit.

Dixi 2°. *morali potentiâ*; Verba enim sanctorum Hieronymi, Augustini, & Thomæ indicant inesse injustis aliquam potentiam vitandi omnia peccata venialia, quæ, cùm non sit moralis, dici debet physica, alioquin sine suâ culpâ caderent.

Dixi 3°. *ad diuturnum tempus*; Nam ad breve potest justus etiam potentiâ morali cum gratiis ordinariis vitare omnia peccata venialia, ex S. Hieronymo lib. 3. contra Pelagianos, ubi postquam dixit impeccantiam esse Dei propriam, subdit: *Nec quia ad breve tempus possum, coges me, ut possim jugiter: Possum jejunare, vigilare, psallere, nunquid in perpetuum?* Nunquam tamen nisi temerè dicere potest, purus sum à peccato; quia nescit homo utrùm amore an odio dignus sit. Unde S. Hieronymus citato lib. 3. ait: *Potest quisque, etiam qui mox baptizatus est, dicere, Dimitte nobis, non humilitatis mendacio, sed pavore fragilitatis humanæ suam conscientiam formidantis.*

Quandiu autem justus possit esse sine veniali, definiri non potest. Certè oratio Domini-

ca singulis diebus recitanda, usus loquendi sanctorum Patrum & Concilii Tridentini sess. 6. can. 11. qui peccata venialia vocant quotidiana, innuunt justum moraliter non posse per integrum diem ita vigilare, ut nullum peccatum subrepat. *Si unius saltem diei vellemus peccata numerare*, inquit S. Chrysostomus hom. 20. in Mat. *tunc optimè disceremus, quantùm rei essemus malorum.*

Dixi 4°. *omnia venialia*; quia non pauci puri sunt ab omnibus levioribus quæ ex proposito & ex plenâ deliberatione contingunt. Hæc quippe morali potentiâ vitari possunt, non verò quæ ex inadvertentiâ & fragilitate subrepunt. Quare Theologi docent votum vitandi omnia venialia primi generis esse validum; quia est de re bonâ & possibili: invalidum verò respectu venialum secundi generis; quia est de re moraliter impossibili. Sed justus nihil hîc præsumat, nisi priùs computaverit cum viro sapiente, an habeat sumptus necessarios ad perficiendum; ne, sub prætextu majoris perfectionis: incautè incidat in laqueos diaboli.

Dices 1°. Scriptura Jobum laudat, quòd abstinuerit ab omni opere malo, Job. cap. 1. Zachariam & Elizabeth, Luc. 1. quòd incederent in omnibus mandatis: Ergo.

Nego consequent. Nam ex Augustino lib. de perfectione justitiæ: *Ingredi sine maculâ non absurdè etiam ille dicitur, non qui jam perfectus est: sed qui ad illam ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa venialia non negligens mundare eleemosynis.* Et lib. 4. ad Bonifac. cap. 5. expendens illa verba Apostoli Phil. 3. *Non quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem si quomodò comprehendam ... quæ quidem retrò sunt obliviscens .... quicunque*

perfecti sumus, hoc sentiamus. Hæc ab Apostolo dicta ait, *ut ostenderet secundùm illius vitæ modum esse quamdam perfectionem, eique perfectioni hoc quoque deputari, si se quisque noverit imperfectum.*

Dices 2°. S. Ambrosius lib. 1. in Luc. damnat eos qui dicunt hominem sine peccato frequentiùs esse non posse.

Respondet S. Augustinus lib. de gratiâ Christi c. 48. & 49. S. Ambrosium loqui vel de peccato mortali, quo qui caret, in criminationis querelam vocari non potest: vel si de veniali, eum suam sententiam minutiùs excutiendo correxisse; nam explicans Isaïam dicit; neminem in hoc mundo esse posse sine peccato.

Secunda pars nostræ responsionis, scilicet justum extraordinariis gratiæ auxiliis, posse vitare omnia peccata venialia, probatur: quia ab actu ad posse valet consequentia: atqui beata Virgo actu & de facto vitavit omnia peccata & mortalia, & venalia: Ergo.

Minor probatur 1°. ex Concilio Tridentino cit. can. 23. sess. 6. ubi docet Ecclesiam tenere beatæ Virgini fuisse concessum, ut nunquam peccaverit. 2°. Ex S. Augustino qui agens de peccatis lib. de nat. & gr. cap. 36. sic loquitur: *Exceptâ solâ Virgine Mariâ, de quâ, propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum.* 3°. Ex S. Ambrosio in Psal. 118. capite ultimo. *Est integra ab omni labe peccati* 4°. Ex sancto Bernardo epist. 114. copiosior sanctificationis benedictio in eam descendit, *quæ ipsius non solùm sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem.* Mitto

alios, ut SS. Damascenum, Anselmum, Thomam, &c.

Dices: S. Chrysostomus hom. 25. in Joan. ait beatam Virginem in nuptiis Canâ petiisse miraculum ex ostentatione, ob idque à Christo fuisse reprehensam.

Respondet sanctus Thomas 3. p. q. 27. art. 4. excessum esse in verbis sancti Chrysostomi, qui in hâc parte contrarius est aliis Patribus, ut sanctis Cyrillo Alexandrino, & Bernardo, qui ex ipso Evangelii contextu colligunt, beatam Virginem ex providâ charitate, & firmâ fide Filium monuisse, sponsum jamjam pudore suffundendum ob vini defectum, nisi ipse in hujusmodi angustiis succurreret; nec veram fuisse reprehensionem, in hâc Christi responsione, *Quid mihi & tibi mulier?* sed necessariam nobis doctrinam, scilicet in operationibus hierarchicis & divinis carnem, quæ plerumque per parentes se explicat, non esse auscultandam.

Paragraphus IV.

De Gratiæ actualis divisione.

Q. *Quomodò dividitur Gratia actualis?*

R. Dividitur 1°. in excitantem, seu prævenientem & operantem: in cooperantem sive adjuvantem & concomitantem: & in subsequentem: cujus divisionis singula membra explicuimus c. 2.

Dividitur 2°. in gratiam efficacem & sufficientem. Efficax vocatur à S. Augustino lib. de cor. & gr. cap. 12. auxilium *quo*, sufficiens verò auxilium *sine quo*, quæ nomina scholæ retinent. Per auxilium *quo* significatur gratia,

quâ actu fit opus; per auxilium autem *sine quo* gratia sine quâ non potest opus fieri, & cum quâ potest. Unde auxilium *sine quo*, dat posse, non verò dat actu operari: auxilium autem *quo*, dat actu operari, ac consequenter & posse; qui enim operatur, habet certè potentiam operandi, cùm actus supponat potentiam. Sed audiendus est sanctus Doctor de utroque auxilio sic differens ut velit auxilium *quo* concessum non fuisse Angelis viatoribus, & primo homini in statu innocentiæ; sed auxilium duntaxat *sine quo*: post peccatum verò collatum esse meritis Christi auxilium *quo*. *Ipsa adjutoria*, inquit, *distinguenda sunt. Aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit; & aliud est adjutorium, quo aliquid fit.*

Secundum adjutorium comparat cum alimentis, sine quibus homo vivere non potest, licèt iisdem non fiat ut vivat, & Mortem effugiat. Primum verò cum beatitudine seu visione beatificâ, quâ fit ut homo non tantùm possit, sed actu fiat beatus; sic enim pergit Sanctus Doctor. *Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori noluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus: adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur.* Tum docet sanctus Augustinus adjutorium *quo* datum non fuisse homini innocenti, sed lapso duntaxat? quia ille erat sanus, & ab omni concupiscentiâ immunis, hic verò infirmus & moribus concupiscentiæ obnoxius, ac proinde majori dono indigens. *Primo itaque homini*, inquit, *qui in eo bono quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare, datum*

est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset ... tales vires habebat ejus voluntas quæ sine ullo fuerat instituta peccato; & nihil illi ex seipso concupiscentialiter resistebat, ut dignè tantæ bonitati, & bene vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium. Nunc verò posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas .... Nam si in tantâ infirmitate vitæ hujus, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ, voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent; quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.

Verba S. Auugstini latiùs exposuimus: tum quia Jansenii Defensores jactare solent illa esse veluti clavem, quâ scripta sancti Doctoris aperiantur; cùm tamen mirum videatur, si clausa voluerit usque ad senectutem in quâ librum de cor. & gr. exaravit: tum quia non desunt, qui ex illo capite 12. insinuare velint sanctum Augustinum nullam aliam gratiam per se efficacem agnovisse, quàm donum perseverantiæ quo datur homini sive adulto sivo parvulo ut in statu gratiæ decedat, nullatenus, inquiunt, ut rectè vivat, cùm tamen S. Doctor disertè & luculenter doceat homini infirmo concessum esse majus donum, ne inter tot & tantas tentationes voluntas ejus ex infirmitate deficeret, aut non ita vellet, ut eas superare posset. Quæ

manifestè spectant victoriam, quam voluntas gratiâ per se efficaci adjuta, ex tentationibus indeclinabiliter & inseparabiliter reportat. *Infirmis*, inquit ibidem, *servavit Deus, ut ipso donante, invictissimè quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent*. Alia ex bene multis testimonia ejusdem sancti Doctoris in eandem rem proferemus c. vi. Parag. 1. & 7. Non enim æquè pro gratiâ sufficiente, ac pro efficaci asserendâ laboravit. Et ratio est; quia cùm Pelagiani virus sui erroris velarent isto vocabulo *posse*, quod dicebant esse à Deo quatenus est auctor naturæ, cui indidit naturalem agendi potentiam; S. Augustinus, ut æquivocationem & omne subterfugium auferat, ferè semper de ipso *velle & perficere* loquitur, multisque probat esse Dei dona, non innatæ possibilitatis effectus. *Non ait* (Apostolus,) *Deus est qui operatur in vobis posse; tanquam ipsi jam & velle & operari per se ipsos habeant .... sed ait, Deus enim est qui operatur in vobis & velle & perficere*, lib. de Gratia Christi, cap. 5.

Ergo duplex est gratia efficax: alia quâ quis bene operatur; alia quâ in bono perseverat usque in finem, & hæc est prædestinatorum propria, de quâ ubi de prædestinatione.

Q. 2°. *Quomodò definitur gratia efficax priori modo spectata*.

R. Definitur, actuale Dei auxilium, quo voluntas actu vult & operatur bonum infallibiliter & insuperabiliter, liberè tamen & minimè necessariò. Hæc descriptio eruitur ex laudatis verbis sancti Augustini, c. 12. lib. de correptione & Gratiâ. *Subventum est infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur; & ideo, quamvis infir-*

ma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.

Dicitur 1°. *actuale Dei auxilium*, in quo conveniunt gratia efficax & sufficiens: utraque enim est species auxilii & gratiæ actualis.

Dicitur 2°. *quo voluntas actu vult & operatur*. Quibus verbis exprimitur differentia gratiæ efficacis à gratiâ sufficienti; hæc potentiam solùm complet, ut possit velle & agere, illa verò ponit potentiam in actu, & efficit ut agat.

Dicitur 3°. *infallibiliter, & insuperabiliter*, ut significetur modus operandi gratiæ efficacis, distinguaturque à gratiâ concessâ Adamo innocenti; hæc quippe erat versatilis ad nutum voluntatis ejus, adeo ut quandoque haberet suum effectum nempe cùm recèns conditus, motu amoris ad Deum se convertit; quandoque verò non haberet, ut contigit in esu pomi vetiti. At gratia efficax infallibiliter & insuperabiliter ponit voluntatem in actu, habet effectum ex se, non verò ex consensu voluntatis redditur efficax, ut definit Molina.

Dicitur 4°. *liberè tamen & minimè necessariò*: quia gratia efficax est principium meriti; nullum autem potest esse meritum in eo, qui necessariò agit, nec ita dominus est sui actûs, ut de eo non possit disponere, hoc est, divinæ motioni dissentire. Sed quæ summatim hîc exponuntur, accuratiùs demonstrabuntur sequentibus Paragraphis.

Q. 3°. *Velle & operari infallibiliter & insuperabiliter, nonne idem est ac operari necessariò?*

R. Minimè, ut videre est in exemplo mendici, cui si dives offerat satis largam eleemosynam, putà nummum, vel etiam nummi quadrantem, certò & infallibiliter curret ad eam recipiendam

piendam, quamvis absolutè respuere possit, præferens quietem, in quâ fortè quibusdam frustulis jam quæsitis delectabiliter vescebatur. Ergo liberè & infallibiliter operari non sunt duo opposita.

Efficaciter quoque demonstrat nostræ responsionis veritatem, exemplum petitum ex inclinatione cuique inditâ ad tuendam propriam vitam. Enimverò innatus vitæ amor hominem illæsâ libertate, quam indifferentiæ vocant, infallibiliter & insuperabiliter determinat ad præstandum id, sine quo mors præsentissima vitari nequit. Latro, v. g. exerto gladio minitatur mortem viatori, si obsistat, vel tantisper moveatur: in hâc hypothesi in quâ nulla spes affulget declinandi ictum mortis, timor viatorem immotum tenet, firmiùsque ligat quàm compedes & catenæ ferreæ, etiamsi nemo ex seipso non intelligat liberum esse viatori movere se & resistere.

Porrò si amor vitæ præsentis impressus à Deo, & timor mortis temporalis tam efficaciter & insuperabiliter determinant absque præjudicio libertatis quam vocant indifferentiæ; quis non intelliget quomodò Deus inspirans dilectionem efficacem vitæ æternæ, & similem timorem damnationis perpetuæ, infallibiliter & insuperabiliter flectat ad quod voluerit, voluntates humanas, salvâ semper earum libertate?

Vox ergo *insuperabiliter* in mente sancti Augustini & ejus discipulorum, non significat voluntatem efficaciter motam non posse resistendo superare divinam motionem, ut vult Jansenius, sed denotat solùm nec concupiscentiam, nec cordis duritiam, nec dæmonum conatus prævalere posse adversùs efficacem Dei motionem

eo ferè modo quo dicimus arcem inexpugnabilem, quia hostes nullâ vi eam expugnare possunt, quamvis liberum sit gubernatori portas hostibus aperire, & ultrò eis se tradere. Sic voluntas efficaci Dei præsidio munita, carnalibus desideriis, quæ militant adversùs animam, superari non potest: sed ipsa pro suâ innatâ libertate simpliciter & absolutè recedere potest à divino præsidio, & ad oppositum se convertere, quod fusiùs disputabimus cap. seq. in responsione ad objectiones.

Q. 4°. *Quomodò definitur gratia sufficiens?*

R. Describi potest, actuale Dei auxilium, quo voluntas redditur potens sive ad operandum, sive ad obtinendum id, sine quo operari non posset, quamvis contingat eam resistere.

Dicitur 1°. *actuale Dei auxilium;* quia gratia sufficiens est species gratiæ actualis, ut jam diximus. Unde gratia habitualis seu sanctificans dici nequit gratia sufficiens.

Dicitur 2°. *quo voluntas redditur potens;* ut significetur eam gratiam sufficientem non esse, sed absolutè insufficientem, si inchoatas duntaxat vires ad agendum tribuat, ut gratia habitualis, fides, illustratio intellectûs; quis enim dixerit pusionem posse vincere gigantem, quia inchoatas habet vires, ad eum vincendum?

Dicitur 3°. *sive ad operandum, sive ad obtinendum*, &c. quia sicut finis simpliciter possibilis est, si adsunt media, quibus acquiri potest, pusio, v. g. gigantem vincere potest in hypothesi, quòd paratos habeat amicos, quorum ope, si eos advocaverit, victoriam reportare potest: similiter qui habet gratiam orandi, verè & absolutè tentationem superare, & præceptum implere potest, quamvis sine oratione tanquam medio necessario id præstare nequeat.

Ita ferè S. Thomas qu. 109. art. 4. ad secundum, ubi ad objectionem sic respondet : *Dicendum quòd illud quod possumus cum auxilio divino, non est omnino nobis impossibile, secundùm illud Philosophi in 3. Ethic. quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus.*

Ergo duplex est gratia sufficiens, alia proxima, per quam proximè & immediatè possumus, v. g. tentationem superare : alia remota, per quam nonnisi mediantibus mediis putà oratione, cujus gratia non deesse supponitur, tentatio vinci potest.

Sed ad tollendam omnem æquivocationem, refricare non piget gratiam non esse remotè sufficientem: nisi ex intentione Dei ordinetur ad ulteriora auxilia concedenda, per quæ immediata finis, v. g. victoria ex tentatione acquiri possit; neque enim infimus scalæ gradus est medium remotè sufficiens ad summum attingendum, si desint intermedii.

Dicitur 4°. *quamvis contingat eam* (voluntatem) *resistere.* Quibus verbis exprimitur differentia essentialis inter gratiam sufficientem, & gratiam efficacem : omnes enim quæ præcesserunt definitionis particulæ, continent genus utrique gratiæ commune ; gratia quippe efficax non minùs quàm sufficiens est auxilium actuale, quo voluntas redditur potens. In eo itaque sufficiens differt ab efficaci, quòd voluntatem non determinet, nec infallibiliter ponat actum sicut efficax, sed ei resisti contingat. Dico, *contingat*, ut significetur illam voluntatis inobedientiam esse accidentalem gratiæ sufficienti, & contra ejus inclinationem, ac Dei intentionem ; absit enim impia hæc cogitatio, quòd sicut gratia efficax datur, ut ei insuperabiliter obediatur ; ita & gratia

sufficiens, ut ei resistatur. Expendemus autem suo loco utrùm semper contingat resisti gratiæ sufficienti.

Dices : Si ponere actum, seu voluntatis consensum sit essentiale gratiæ efficaci, sequitur gratiæ efficaci non posse resisti ; cùm enim actus includatur in ejus definitione, tanquam essentialis ejus differentia ; non minùs implicat actum posse separari à gratiâ efficaci, quàm rationalitatem ab homine : atqui hæreticum est dicere gratiæ efficaci non posse resisti, repugnatque ejus definitioni suprà allatæ & explicatæ. Ergo.

Distinguo maj. si necessariò ponere actum sit essentiale gratiæ efficaci, non potest ei resisti, Concedo : si modo libertati congruo, quemadmodum suprà explicuimus, Nego majorem.

Distinguo quoque ejus confirmationem, actus includitur in definitione gratiæ efficacis indirectè & tanquam aliquid extrinsecùs connotatum, infallibiliter quidem ponendum, non verò necessariò, Concedo : includitur directè, & veluti differentia essentialis quemadmodum rationale in definitione hominis, Nego. Itaque sicut in communi Philosophorum sententiâ non ipse terminus, sed ordo ad terminum est de essentiâ relationis, qui ordo explicari non potest, nisi indirectè & per modum alicujus connotati exprimatur terminus : ita pariter non actus seu consensus voluntatis, sed ordo ad actum liberè & infallibiliter ponendum, est de essentiâ gratiæ efficacis ; ac proinde actus in ejus definitione ponitur indirectè duntaxat veluti aliquid extrinsecùs connotatum.

Instas : Sublato termino, tollitur relatio : Ergo à pari, non posito actu, non erit gratia efficax.

Admitto paritatem; sed quid inde? nam licèt actus possit non poni, nunquam tamen non ponetur.

Ais: Posito possibili in actu, nullum sequitur absurdum: atqui possibile est actum non poni: ergo supponere licet non poni.

Distinguo maj. posito possibili in actu, eo modo quo possibile est, Concedo: alio modo, Nego maj.

Distinguo similiter minorem, possibile est non poni actum, ad quem gratia efficax movet: possibile, inquam, physicè, Concedo: possibile moraliter, Nego minorem & consequentiam: ita Isambertus quæst. 3. & Grandin pag. 239. & 240.

Hæc solutio, quæ non est mea, sed Theologorum mox laudatorum, notâ censoriâ inusta est à quodam Scriptore ignoto, & temerè; constat enim tum ex Scripturâ, tum ex Conciliis, tum ex Sanctis Patribus, tum ex consensione Theologorum, exceptâ Molinæ scholâ, quæ sic dicuntur moraliter impossibilia, nunquam extitura.

Ac primò quidem è Scripturâ, namque Joan. 6. ait Christus, *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Absolutè tamen & physicè potest non venire, sed nunquam non veniet, quia ex sancto Thomâ 1. 2 qu. 10. art. 4 ad tertium, *Si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quòd voluntas ad illud non moveatur: non tamen impossibile est simpliciter. Unde non sequitur quòd voluntas à Deo ex necessitate moveatur.*

Secundò Justus cum auxiliis ordinariis omnia peccata venialia absolutè & physicè vitare potest, & in justitiâ perseverare; Concilium tamen Tridentinum sess. 6. Can. 22. & 23. de-

finit eum absque singulari dono, nec sine peccato saltem veniali victurum, nec in bono usque ad finem perseveraturum propter infirmitatem scilicet & moralem impotentiam. Eodem Canone 23. declarat eam esse Ecclesiæ Catholicæ sententiam, quòd beata Virgo nunquam peccaverit etiam venialiter, cùm tamen physicam haberet peccandi potentiam, ut observat M. Grandin, pag. 240. ubi sic habet: *Beata Virgo cum speciali suo privilegio retinuit quidem physicam potentiam ad peccandum, moralem tamen non habuit, ut licèt ob physicam potentiam, si sola fuisset, potuisset poni actus peccandi, tamen ob moralem impotentiam, quæ conjuncta erat, idem peccandi actus poni non potuerit.*


Tertiò. S. Augustinus lib. de spiritu & litterâ ex professo probat multa esse absolutè possibilia, moraliter verò impossibilia, quæ nec extiterunt, nec extitura sunt. Et lib. de prædestinatione Sanctorum c. 8. de gratiâ efficaci sic scribit: *Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur.* Hæc propositio, utpote universaliter negans, nullam exceptionem admittit, nullus resistit gratiæ efficaci; quia etsi absolutè & physicè id possit, moraliter tamen non potest.

Quartò. Ex dictis pag. 478. omnes Theologi conveniunt hominem, nisi divina gratia succurrat, infallibiliter dejiciendum à gravi tentatione; quia cum potentiâ physicâ quam habet ad illam superandam, concurrit impotentia moralis. Nec desunt in civilibus exempla ejusmodi impotentiæ moralis, cum quâ nunquam ponitur actus. Mendicus, v. g. nunquam respuet oblatam sibi eleemosynam, quamvis simpliciter absolutè illam respuere possit.

Quis sanâ & tranquillâ mente præcipitem se dabit è superiori cubiculo? Mercator contemnet ne unquam occasionem magnum quæstum faciendi absque difficultate & periculo? Liceat addere aliud exemplum, quod S. Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 3. profert ex quodam Mimo, *qui*, ait sanctus Doctor, *cùm se promisisset in Theatro quid in animo haberent, & quid vellent omnes, esse dicturum ... suspensis & silentibus omnibus, dixisse perhibetur: Vili vultis emere, & caro vendere. In quo dicto levissimi scenici, omnes tamen conscientias invenerunt suas, eisque vera ante oculos omnium constituta, & tamen improvisa dicenti admirabili favore plauserunt.*

Nec obstant quæ in oppositum adduci possent exempla, v. g. Oratoris, cujus facundiæ moraliter non potest resisti, quia ut plurimùm id contingit, quamvis nonnullos aliquando non trahat in suam sententiam; quia in hujusmodi exemplis, non est impotentia moralis nisi secundùm quid, cum quâ aliquando conjungitur actus, ut docet M. Grandin quæst. 1. de necessitate Grat. pag. 88. *Difficultas duplex*, inquit, *altera tanta non est, ut semper impediat actum; altera est tanta, ut semper impediat actum. De utrâque potest intelligi sanctus Anselmus, & dici posset non priorem solùm, sed etiam posteriorem opponere impossibilitati physicæ, quamvis utraque concurrat cum impotentiâ morali, sive quæ talis est secundùm quid, quando fieri potest aliquid moraliter, sed rarò; sive absolutè quando nunquam, quomodò hic à nobis accipitur moralis impotentia.* Sed absolutè negare malim in exemplis, de quibus est sermo, semper concurrere aliquam impotentiam moralem cum potentiâ physicâ; identidem enim occurrunt circumstantiæ quæ omnem

difficultatem tollunt, efficiuntque ut quod aliàs censetur moraliter impossibile, evadat moraliter possibile; sic commiseratio aliquando vincit affectum moraliter determinantem ad emendum viliùs & vendendum cariùs, efficitque, quemadmodum observat S. Augustinus citato loco, ut vir misericors absque difficultate & ullâ morali impotentiâ viliori pretio vendat pauperi, & ab eo emat cariori. Similiter disertissimus Orator, qui auditores vulgò in suam sententiam adducit, quosdam licèt rarò, dissentientes experitur. Quid ita? Quia nullatenùs, aut leviter eos movit, ideo absque difficultatis & impotentiâ morali ipsi resistunt. At nulla tentatio aut quævis alia ratio vincit unquam efficacem Dei motionem; *Cùm voluntas divina sit efficacissima*, inquit S. Thomas 1. p. qu. 13. art. 8. *non solùm sequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed & quòd eodem modo fiant, quo Deus fieri vult.* Scilicet vel modo necessario, si causæ sint necessariæ, vel modo libero, si causæ sint liberæ, ut ibidem explicat Angelicus Doctor. Et quæst. 10. suprà laudatâ 2. p. *Si Deus* inquit, *movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quòd voluntas ad illud non moveatur, non tamen impossibile est simpliciter*, sed moraliter tantùm & secundùm quid.



De Gratiâ efficaci.

Paragraphus I.

Utrùm detur in hoc statu ?

R. Certum est dari.

Probatur 1°. ex Scripturâ, Ezech. 36. v. 26. & 27. *Auferam cor lapideum de carne vestrâ, & dabo vobis cor carneum, spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Joan. 6. v. 37. *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet.* & v. 45. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Phil. 2. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis, & velle & perficere.*

Probatur 2°. ex Patribus. Tertullianus libro de animâ cap. 21. *Erit*, inquit, *vis divinæ gratiæ potentior utique naturâ, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem.* Sanctus Augustinus lib. de Gratiâ Christi cap. 14. sic scribit: *De isto docendi modo etiam Dominus ait. Omnis qui audivit à Patre meo & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit: non de illo rectè dicitur, audivit quidem, & didicit sibi esse veniendum; sed facere non vult quod didicit.* & lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 8. *Hæc itaque gratiâ, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Huc referri debent, quæ Paragrapho præcedenti tradidimus de naturâ & essentiâ gratiæ efficacis; & infrà Paragrapho 7.

Paragraphus II.

In quo consistat efficacia Gratiæ efficacis;

R. CIrca propositam quæstionem variæ sunt sententiæ.

Prima, eaque hæretica, est Lutheri, qui in assertione articuli 36. scribit liberum arbitrium esse figmentum in rebus, & titulum sine re; quia nulli est in manu quidquam cogitare boni vel mali; sed omnia necessitate absolutâ evenire, quemadmodum docuit Wiclefus in Concilio Constantiensi damnatus. *In ceteris*, inquit, *de Papatu, de Conciliis & Indulgentiis, aliisque nefariis magis, ferenda est levitas & stultitia Papæ, & suorum; sed in hoc articulo de servitute arbitrii, qui omnium optimus est, & rerum omnium summa, dolendum ac flendum est miseros sic insanire.*

Temperavit tamen Lutherus suam sententiam in libro de Visitatione Saxonicâ, ubi restringit quod priùs docuerat, ad actiones, quæ spectant vitam æternam; sic enim scribit: *Multi de libero arbitrio indiscretè loquuntur; idcirco hanc brevem informationem adscripsimus. Homo habet ex propriâ virtute liberi arbitrii ad faciendum, vel omittendum opera externa per legem; quapropter potest secularem probitatem, & bona opera facere ex propriâ virtute ... quòd autem hæc libertas non se extendat ad actiones supernaturales, declarat liber, cui titulus est*, Operationes in Psalmos. *Error est, quòd liberum arbitrium habet aliquam activitatem in bonas actiones, quando de interno opere loquimur.*

Kemnitius in examine Concilii Tridentini ad sess. 6. ait dandam esse veniam Luthero, nec ibi aliud significare voluisse scribendo volun-

tatem se passivè habere, quàm non liberè concurrere; quia in libro de servitute arbitrii solam libertatem indifferentiæ excludit, ubi sic habet: *Nec erat in manu Judæ aliter facere, aut voluntatem mutare, licèt fecerit id volendo non coactus.*

Calvinus posteriorem Lutheri sententiam amplexus est; sic enim scribit in Antidoto ad Can. 5. sess. 6. Concilii Tridentini: *De verbo ne moveas rixam; sed quia per liberum arbitrium intelligunt Episcopi Tridentini, eligendi facultatem in utramque partem liberam & solutam: titulum sine re esse qui affirmant, Christum habent auctorem.* & lib. 2. Institut. cap. 2. *Voluntatem gratia movet, non qualiter multis seculis traditum est & creditum, ut nostræ posteà sit electionis motioni obtemperare aut refregari.* Atque juxta hanc Calvini doctrinam scribit ejus discipulus Joannes Scarpius libro 2. cap. 2. de misero hominis statu: *Status primæ controversiæ est: an ad liberum arbitrium constituendum requiratur libertas à necessitate, an verò sufficiat illa quæ est ab coactione; Papistæ negant, nos affirmamus.*

Jansenius adhæsit huic Calvinistarum sententiæ, ut constat ex iis, quæ de ipso retulimus cap. 3.

Secunda sententia, quæ vulgò tribuitur Ludovico Molinæ, reponit efficaciam gratiæ in consensu voluntatis, adeo ut non gratia voluntatem, sed voluntas gratiam determinet, efficiatque per consensum, ut gratia sit efficax; per dissensum verò, ut sit inefficax & merè sufficiens. Sic enim scribit Molina lib. de concordiâ disp. 12. sect. 14. art. 13. *De duobus eo modo affectis, æqualiterque à Deo ad fidem vocatis, pro solâ eorum libertate potest evenire, ut unus amplectatur fidem, alter verò contemnat.* & disp.

40 *Divisio*, inquit, *sufficientis gratiæ in efficacem & inefficacem nostrâ sententiâ ab effectu, qui simul ab arbitrii libertate pendet, sumitur.*

Ergo in hâc sententiâ gratia Christi non distinguitur à gratiâ Angelis & primo parenti ante lapsum concessâ. Ista, secundùm Molinam, fuit efficax in Angelis qui steterunt, & in Adamo, quando recèns conditus ad Deum se convertit: sufficiens verò tum in Angelis, qui ceciderunt, tum in Adamo cùm præceptum transgressus est, quod è diametro pugnat contra doctrinam S. Augustini, Paragrapho 4. præcedentis capitis.

Sed Molinam non moratur auctoritas sancti Augustini & antiquorum; namque ultro fatetur qu. 23. art. 4. disp. 1. suam sententiam esse novam, & Patribus incognitam, confiditque ei adhæsuros, si fuisset ipsis proposita: *Neque verò*, inquit, *dubito, quin ab Augustino & ceteris Patribus unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divinâ gratiâ.* Quo autem fundamento tam confidenter loquatur, ibidem exponit his verbis: *Quæ si data explanataque semper fuissent, fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, obtendentes cum divinâ gratiâ, præscientiâ & prædestinatione cohærere non posse, neque ex Augustini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles fuissent turbati.* Verùm iste conciliandi modus ab Augustino fuit cognitus & rejectus, ut patet ex libro de Gratiâ Christi cap. 47. ubi expendens quod Pelagius scripserat, posse velle & posse agere esse à Deo, qui naturam contulit; velle autem & agere esse à nobis & ex libero arbitrio, sic exponit sanctus

Doctor: *Si consenserit nobis* (*Pelagius*) *ipsam etiam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus .... nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Ex quibus verbis colligitur quidem Molinam non esse Pelagianum & hæreticum in mente sancti Augustini, cum Pelagium ab hæresi absolvat, modò saltem admittat, quod reverâ admittit Molina, nos actu neque bene velle, neque bene agere absque auxilio *sine quo*, seu gratiâ sufficienti. Sed sanctus Doctor hunc modum conciliandæ gratiæ cùm libero arbitrio nunquam amplexus est, utpote Scripturæ sacræ minùs conformem.

Nova Molinæ doctrina plurium animos statim offendit, ac primò proscripta in Academiis Lovaniensi & Duacensi, tandem ad Sedem Apostolicam delata est. Hinc celebres Congregationes *de auxiliis* sub Clemente VIII. & Paulo V. quarum acta à diversis identidem evulgata Molinæ doctrinam reprobatam, nedum approbatam perhibent; sed judicium Summi Pontificis hactenus non exiit; ac proinde hæc sententia ab Ecclesiâ expresè damnata dici nequit.

Nihilominus Suaresius, celebris è Societate Jesu Theologus, sententiam Molinæ temperandam censuit, existimavitque gratiam efficacem, quamvis entitate non semper differat à sufficienti, non esse tamen efficacem ab eventu, seu à consensu voluntatis; sed à circunstantiis in quibus datur. Hinc nova extitit opinio.

Tertia itaque sententia efficaciam gratiæ repetit à circunstantiis, quas Deus prævidit ita congruas, ut gratia ab ipso misericorditer

præparata in iisdem infallibiliter sortitura sit effectum, ut videre est in exemplo Tyriorum, apud quos, si factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt apud Betsaïdas, illi pœnitentiam egissent. Atque patroni hujus sententiæ, ut mentem suam explicent, docent 1°. Deum aliquos præ aliis velle efficaciter vocare & justificare: sed ne bona illa voluntas libertati noceat; Statuunt 2°. Deum per scientiam mediam explorare, quid voluntas humana esset actura, si in his aut illis circumstantiis daretur gratia; & cùm prævidit eam sub hâc conditione consensuram, dum demum decernere gratiam, quæ ideo dicitur congrua; quia à Deo exit tempore opportuno, & in talibus circumstantiis voluntatem prævenit, ut quamvis ex entitate suâ sit solùm sufficiens, tamen prout dirigitur à Deo per scientiam mediam infallibiliter habitura sit effectum. Hinc fit, ut qui consentit, non possit sese discernere ab alio, qui non consentit; non enim propriæ voluntatis est, quòd præ alio gratiæ consenserit, sed singularis Dei beneficii, quòd gratiâ opportuniori tempore eum prævenerit. Et hanc sententiam amplexi sunt non solùm Patres Societatis Jesu, ex Decreto præpositi Generalis Aquaviva, quo cavit anno 1613. nè in Societate propugnaretur sententia Molinæ sine hoc temperamento; sed etiam plures alii graves Theologi, ex quibus olim magistros habuimus in Academiâ Parisiensi, cùm scholas discipuli frequentaremus.

Quarta sententia est Thomistarum, qui, ut in Philosophicis docent ad actus naturales non sufficere Dei concursum, ut verè & propriè dicatur primus omnium rerum motor, sed requiri præmotionem physicam; sic in Theolo-

gicis docent ad actus supernaturales necessariam similem esse præmotionem, in quâ contendunt consistere efficaciam gratiæ.

Quinta denique sententia efficaciam gratiæ reponit in delectatione victrice, non qualis cernitur in mendico, dum ipsi porrigitur ampla eleemosyna; ad hanc quippe delectationem eleemosyna objectivè & moraliter duntaxat concurrit: Deus verò per supernaturalem delectationem, de quâ sermo est, physicè movet, & operatur eo ferè modo, quo unicuique indidit inclinationem tuendæ propriæ vitæ.

Expositis omnibus sententiis circa gratiæ efficaciam, operæ pretium est, ut deinceps sigillatim expendamus, quid de unâquâque sentiendum, quæve ceteris videatur præferenda: quod præstabimus, Deo juvante, absque cujusdam invidiâ aut contemptu, sed illæso vinculo charitatis & pacis, quod cùm illibatum esse debeat inter eos, quos mater Ecclesia in sinu suo complectitur, nonnunquam tamen labefactari contingit nimio contentionis ardore circa propositam quæstionem, hâc nostrâ ætate multùm agitatam.

Paragraphus III.

Utrùm gratia efficax necessitet?

R. De fide est non necessitare, ita enim definit Concilium Tridentinum sess. 6. Can. 4. his verbis: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti .... neque posse dissentire si velit; sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè*

se habere, anathema sit. Ibi Concilium duos errores confodit, primum Lutheri, quo priùs docuerat liberum arbitrium ad motiones gratiæ passivè se habere, & velut instrumentum inanime: declaratque ipsum agere, & gratiæ cooperari assentiendo. Secundum, quo postea Lutherus cum Calvino, ac deinceps Jansenius asseruerunt liberum arbitrium sic motum necessariò, quamvis non coactè, gratiæ assentiri & cooperari, definitque Concilium dissentire posse quod denotat libertatem à necessitate. Hoc sensit Calvinus in suo Antidoto, ut Parag. præcedenti retulimus.

Fatendum tamen est Jansenium & Sectatores ejus in modo loquendi à Calvino differre: illi quippe liberum vocant necessarium, modò voluntarium sit & minimè coactum, & hoc sensu confitentur liberum arbitrium remanere sub gratiâ efficaci, posseque dissentire in sensu diviso; hoc est, si voluntas secundùm se spectetur, & non quatenus movetur per gratiam; quia, inquiunt, gratia non destruit naturam, nec naturalem potestatem dissentiendi, *si* major concupiscentiæ vis urgeret. Calvinus verò retinet communem Catholicorum loquendi morem, scilicet liberum arbitrium esse facultatem in utramque partem liberam & solutam; unde cùm in ejus sententiâ voluntas sub gratiâ efficaci, quam solam in hoc statu agnoscit, non sit ita libera, & soluta consequenter negat liberum arbitrium remanere sub motione gratiæ, & voluntatem posse dissentire, quamvis in sensu diviso non dissentire posset. Porrò Concilium non modum loquendi, qui verus & legitimus est in Calvino damnavit: sed rem ipsam, in quâ Calvinus & Jansenius consentiunt.

Concilii definitionem confirmarunt Innocentius X. & Alexander VII. suis Constitutionibus ab Ecclesia receptis, in quibus hæreticam declarant hanc tertiam propositionem ex libro Jansenii excerptam, *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Qui enim docet gratiam & concupiscentiam necessitatem inferre, is procul dubio docet ad merendum & demerendum sufficere libertatem à coactione, nec requiri libertatem à necessitate; cùm non mereamur nec demereamur, nisi consentiendo gratiæ vel concupiscentiæ: Atqui Jansenius utrumque docet, ut patet ex dictis cap. 3. Ergo. Non potest clariùs exponi Doctrina Catholica, & error Jansenii ipsi oppositus.

Probatur nostra responsio, ac simul Ecclesiæ definitio: 1°. ex Scriptura, Eccli. cap. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te ... apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* & cap. 31. dicitur justùs mereri laudem & gloriam, qui *potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.*

Probatur 2°. ex S. Augustino, cujus potissimum auctoritate gloriari nituntur adversarii. Sic autem scribit lib. de spiritu & lit. c. 31. *Cùm potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Cap. 34. *Agit Deus ut velimus & credamus ... sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Lib. 2. contra Faustum cap. 5. *Sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel malè vivitur, propter Dei judicium*

ab omni necessitatis vinculo vindicemus. & lib. 5. de civit. c. 9. docet frustra objurgationes, vituperationes, exhortationes adhiberi, neque ullâ justitiâ bonis præmia & malis supplicia esse constituta, si Dei præscentia necessitatem imponat.

Dices 1°. Christus meruit implendo præcepta Patris: Atqui necessariò implevit, alioquin peccasset, quod erat ipsi impossibile: Ergo.

Distinguo min. necessariò implevit necessitate specificationis, Concedo: necessitate exercitii, Nego min. Consule quæ in hanc rem fusè tradidimus, ubi de merito Christi pag. 156. & sequentibus.

Dices 2°. ex S. Augustino passim, Homo per peccatum amisit libertatem: Ergo.

Distinguo antec. amisit libertatem à peccato & à miseriâ, Concedo: libertatem à necessitate, Nego anteced. Ita S. Bernardus lib. de gr. & lib. arb.

Instabis 1°. Atqui homo per peccatum amisit libertatem à necessitate, S. enim Augustinus sic alloquitur Julianum: *Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi .... cùm peccatis de ignorantiæ, vel affectionum necessitate venientibus.... plenum sit genus humanum*: lib. 1. operis imperfecti num. 105. & lib. 8. Confess. *dum consuetudini non resistitur, fit necessitas*: Ergo.

Distinguo antec. amisit libertatem à necessitate morali, quam S. Thomas vocat coactionem insufficientem, Concedo: à necessitate absolutâ & physicâ, Nego antec. *Dicendum*, inquit S. Thomas qu. 6. de malo, *quòd consuetudo facit necessitatem; non simpliciter; nam ex deliberatione quantumcunque consuetus potest contra consuetudinem agere.* Porrò necessitas moralis liberum

arbitrium non perimit, nec indifferentiam omnino tollit, nec proinde excusat à peccato, juxta ea quæ diximus de necessitate gratiæ ad implendam legem & vincendas tentationes. Quòd autem S. Augustinus de istâ necessitate intelligendus sit, patet ex ejus textibus allatis ad probandam nostram responsionem.

Instabis 2o. Atqui necessitas absoluta non officit libertati, ex S. Augustino; sic enim scribit lib. 5. de Civ. c. 10. *Si... illa definitur esse necessitas secundùm quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat; nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis; neque enim vitam Dei & præscientiam ejus sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vivere, & cuncta præscire.* Unde S. Thomas qu. 10. de potentiâ part. 2. ad 5. *Dicendum*, inquit, *quòd naturalis necessitas, secundùm quòd voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Augustinus docet in lib. 5. de civit.* Ergo.

Distinguo anteced. necessitas physica & absoluta non officit libertati naturæ, Concedo: libertati arbitrii, subdistinguo; necessitas consequens & hypothetica, Concedo: antecedens, Nego antec.

Duplex itaque est libertas, alia naturæ, quâ natura seu voluntas naturali instinctu, ut loquitur S. Thomas, sine impedimento tendit in suum finem, & ultimam perfectionem, quemadmodum dicimus aquam liberè fluere, si contra proprium pondus non retineatur. Alia arbitrii, quâ voluntas unum præ alio eligit. Hanc libertatis distinctionem sanctus Thomas expressis verbis tradit. 1. p. qu. 19. art. 10. *Dicendum, inquit, quòd liberum arbitrium habemus, respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali in-*

stinctu, non enim ad liberum arbitrium pertinet; quòd volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum. Cùm igitur Deus ex necessitate suam bonitatem velit, alia verò non ex necessitate, respectu illorum, quæ non ex necessitate vult, liberum arbitrium habet.

Contra libertatem naturæ absolutè pugnat necessitas moriendi, ex sancto Augustino, loco in objectione citato; quia sic est contra naturæ inclinationem, ut vitare mortem nullatenus sit in nostra potestate, sed ex eodem sancto Doctore voluntas bene vel malè agendi nunquam sub hac necessitate constituta est. *Si*, inquit, *necessitas nostra illa dicenda est quæ non est in nostra potestate .... sicut est necessitas mortis, manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse; multa enim facimus, quæ si nollemus, non utique faceremus.*

Motus quoque concupiscentiæ & tentationes libertati naturæ repugnant, quatenus sunt impedimenta quædam consequendi suum ultimum finem, in quo est felicitas & summa ejus perfectio. Hinc Beati, secundùm sanctum Doctorem, Deum amant liberè, licèt necessariò, liberè, inquam, libertate naturæ; quia toto naturæ pondere in Deum feruntur, nulla concupiscentiæ titillatio ejus impetum cohibet, aut retardat. Non modò igitur naturæ libertati non nocet ista necessitas, quin illam perficit. Cùm autem in Deo summa sit necessitas vivendi, bonitatem suam amandi, concipitur quoque maxima divinæ ejus naturæ libertas.

Duplicem iterum sanctus Augustinus distinguit necessitatem, alia est antecedens, quæ causaliter ita antecedit consensum voluntatis,

ut absolutè dissentire non possit, qualem Manichæi fingebant esse influxum siderum; quem errorem sanctus Doctor suprà dicebat se rejicere tanquam noxium libertati, *ut liberum arbitrium voluntatis*, inquit, *ab omni necessitatis vinculo vindicemus*. Alia est hypothetica & consequens, cujus duo exempla profert loco in objectione citato. Primum petit ex præscientiâ Dei, quam dicit esse liberam, quamvis necessariam; ex hypothesi enim, quòd Deus decreverit aliquid futurum, illud consequenter necessariò præscit, quod non impedit, quin & decretum & præscientia sint actus absolutè liberi; quia Deus absolutè potuit non decernere, ac proinde non præscire. Alterum exemplum repetit ex actuali voluntatis determinatione, quâ positâ necessariò sequitur actus, v. g. ex hypothesi quòd Petrus currat, consequenter Petrus currit necessariò, & nihilominus liberè libertate absolutâ; quia absolutè potuit non currere. Sed ne videamur detorquere locum sat difficilem, proferenda sunt verba sancti Doctoris. *Quocirca*, inquit, *nullo modo cogimur, aut retentâ præscientiâ Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum (quod nefas est) negare præscium futurorum; sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur .... Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit: imò ideo non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat; qui ille; cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præscivit. Quòd si nolit, utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam ille hoc præscivit.* Ubi præscientia Dei in mente sancti Augustini supponit peccati futuritionem ac proinde necessitas, quæ oritur ex præscien-

tia, non tollit libertatem indifferentiæ, utpote quæ sit consequens. Idipsum confirmat alio exemplo, nempe hominis, qui agit ex liberâ determinatione. Sic enim pergit: *Cùm dicimus, necesse est, ut, cùm volumus, libro velimus arbitrio, & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem.*

Dices 3°. in mente S. Augustini, Actio humana tum est perfectè libera, cùm est maximè voluntaria; sic enim scribit lib. de corr. & grat. cap. 8. *Quando rogavit Christus pro Petro, ne deficeret fides ejus; quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, invictissimam, perseverantissimamque voluntatem?* Ubi voluntas liberrima non est voluntas indifferens, sed ardentissimè voluntaria; absurdum quippe est dicere Christum rogasse, ut Petrus in fide haberet voluntatem maximè indifferentem. Ergo.

Confirmatur. Gratia, utpote naturæ humanæ perfectiva non destruit, nec minuit ejus perfectiones naturales, quale est liberum arbitrium: Atqui gratia quò major est aut minor, magis aut minùs minuit indifferentiam, quin & illam destruit cùm consummata fuerit. Ergo indifferentia non pertinet ad rationem liberi arbitrii.

Respondeo 1°. distinguendo antecedens in mente sancti Augustini, Actio maximè voluntaria est liberrima libertate inadæquatè sumptâ, Concedo; adæquatè sumptâ, Nego ant. Itaque cùm arbitrii libertas duo essentialiter includat, scilicet voluntarium & indifferentiam activam, seu vim se determinandi, sanctus Augustinus tractans de gratia, libertatem quam sæpissimè sumit inadæquatè pro voluntario. Et ratio est, quia activa voluntatis indiffe-

rentia infallibiliter determinatur per id, quod ampliùs delectat, & est pleniùs voluntarium. Unde cùm sanctus Augustinus contra Pelagianos totus esset in asserendâ necessitate gratiæ, quæ ex nolentibus nos faciat volentes voluntatemque liberet à servitute carnis & peccati; mirum non est, quòd sanctus Doctor visus sit primò Pelagianis, deinde Lutheranis & Calvinistis, ac demum Jansenio, liberum arbitrium in voluntario duntaxat reponere, & retractare quæ ad vindicandas à fatali necessitate voluntates humanas priùs scripserat contra Manichæos. Nam, ut ipse scribit lib. de gratiâ Christi cap. 47. *ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratiâ disputatur; ita est ad discernendum difficile, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

Respondeo 2°. ad confirmationem distinguendo min. gratia minuit indifferentiam contrarietatis, quæ est ad benè & malè agendum, Concedo: contradictionis tam specificationis, quàm exercitii, ut diximus ubi de merito Christi pag. 156. Nego min. Porro libertas contrarietatis, quâ quis potest bonum & malum velle, v. g. mentiri, alium finem ultimum, quàm Deum sibi proponere, media necessaria ad Deum consequendum negligere, non est hominis perfectio, sed defectus, quem gratia eò magis minuit, quò ampliùs crescit, & prorsus tollit in patria cœlesti, ubi perfecta & consummata beatos efficit impeccabiles; sed essentia libertatis arbitrii in iis non consistit. Nam ex sancto Thomâ liberum arbitrium spectat solummodo electionem mediorum, quæ cum fine ultimo non habent necessariam con-

nexionem, ita ut absque peccato & ullo defectu unum præ alio elegi possit. Et hæc libertas indifferentiæ pertinet ad perfectionem creaturæ intellectualis, quæ ut est ad imaginem Dei, non agitur brutorum more, sed domina est suorum actuum, & de iis ita liberè disponit, ut possit illos non ponere, quemadmodum Deus potuit mundum non creare, Incarnationis mysterium non implere: & multa beneficia creaturis non conferre, cùm horum omissio non pugnet contra ejus sapientiam, bonitatem & justitiam. Gratia autem Christi ejusmodi libertatem indifferentiæ nedum minuit, quin eam perficit, quatenùs voluntatem liberat à necessitate morali serviendi carnis vitiis & concupiscentiis, juxta illud Joan. 8. v. 36. *Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis.*

Paragraphus IV.

Utrùm efficacia Gratiæ repetatur à consensu, sive ab eventu?

R. Minimè: probaturque 1°. ex Scripturâ, quæ efficaciam tribuit gratiæ antecèdenter ad consensum voluntatis, Phil. cap. 2, *Deus est .... qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Non ait Apostolus, Deus operatur in vobis posse velle, quod est proprium gratiæ sufficientis; sed ipsum velle, ipsum consensum efficaciter operatur, Rom. 8. *Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei;* in quem locum sanctus Augustinus sic scribit lib. de gestis Pelagii cap. 3. *Procul dubio plus est agi quàm regi, qui enim regitur, aliquid agit, & à Deo regitur ut rectè agat; qui autem agitur, agere aliquid vix intelligitur, & tamen tantùm præstat voluntatibus*

voluntatibus nostris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere; quotquot Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii. 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit; Quid autem habes quod non accepisti; si autem accepisti; quid gloriaris, quasi non acceperis?* Atqui si gratia dat solum posse, voluntas verò consensum, per quem gratia fit efficax: qui consentit, habet quo se discernat à non consentiente simili gratiâ adjuto, nempe consensum quem dedit: habet aliquid quod non accepit, unde gloriari potest. Rom. 9. *Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quod expendens S. Augustinus lib. ad Simplicianum qu. 2. hæc habet: *Si propterea solùm dictum est, neque currentis, neque volentis; sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit ut justè rectèque vivamus, nisi adjuvemur misericordiâ Dei, potest & hoc modo dici, igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Tum rejectâ hujusmodi paritate, sic concludit. *Non igitur ideo dictum putandum est*, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei; *quia sine ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus; sed ideo potius, quia nisi ejus vocatione volumus.* Huc revocanda sunt quæ suprà diximus de existentiâ gratiæ efficacis.

Frustra hîc proferremus testimonia ex Traditione & consensu sanctorum Patrum petita, cùm patroni sententiæ, quam impugnamus, ultrò fateantur suam doctrinam esse novam, & antiquis incognitam.

Probatur itaque 2°. ratione. Illa doctrina vel eo solo titulo, in Religione non est admittenda, quòd sit nova, & Scripturam detorqueat ad sensus sanctis Patribus ignotos, ne dicam contrariòs: Atqui talis est doctrina, quæ ef-

ficaciam gratiæ repetit ab eventu & consensu voluntatis. Ergo. Minor constat ex dictis. Major probatur ex Tertul. lib. de præscriptionibus cap. 31. *Ex ipso ordine*, inquit, *manifestatur id esse dominicum & verum, quod sit priùs traditum: id autem extraneum & falsum, quod sit posterius immissum.* Ex Vincentio Lirin. in Commonitorio, *falsum, quod recèns inventum.* Ex Conc Trident. sess. 4. *Ad coërcenda petulantia ingenia decernit* (sancta Synodus) *ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ... sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia.. aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam sacram Scripturam interpretari audeat.*

Porrò patroni hujus sententiæ textus Scripturæ à nobis laudatos contorquent ad sensus alienos ab interpretatione sanctorum Patrum, præsertim sancti Augustini, quem in controversiis de gratiâ consulendum docuerunt unanimi consensu summi Pontifices. Ergo.

Eadem major probatur 2°. ratione. Quia illud est discrimen inter Philosophiam & sacram doctrinam, quòd Philosophi eruant suas conclusiones ex ipsis naturæ visceribus, ubi cùm identidem nova detegantur, posteriores possunt addere iis, quæ priores docuerunt, & evadere periores. At doctrina sacra solâ nititur revelatione, quam plenissimè factam Apostolis constat, Joan. 16. v. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et Luc. 24. v. 45. *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Quod autem Apostoli immediatè acceperunt, illud Ecclesiæ commendarunt, quæ sacrum depositum hactenus illibatum custodivit, & usque in finem custodiet juxta promissionem sibi divinitus factam, ut

dicitur suo loco. Ergo veræ scripturæ sensus petendus est ab Apostolicâ traditione, nec in rebus fidei & morum posteriores possunt esse antiquioribus peritiores; ac proinde præ se fert falsi speciem, quicquid in iis rebus est recèns inventum.

Dices 1°. Gratia Angelis viatoribus non dedit velle, sed posse duntaxat, habuitque effectum ex libero arbitrio & ex solâ determinatione voluntatis: Atqui nemo dixerit Angelos bonos propterea se discrevisse à malis, & quidquam habuisse, quo in se gloriari possent. Ergo in hypothesi, quòd efficacia gratiæ repetatur ab eventu, habeatque effectum ex determinatione voluntatis, non sequitur eum qui consentit, se discernere ab eo qui dissentit, & habere quo in se glorietur.

Confirmatur: generalis est isthæc Apostoli sententia, *in solo Deo gloriandum*, extenditurque ad omnes dotes etiam naturales, ingenium, industriam, eloquentiam, quâ Corinthiorum Pseudo-magistri inflabantur: eorum autem superbiam frangit Apostolus his verbis: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quæ objurgatio sanè est æquissima, quamvis ex libero arbitrio pendeat uti vel non uti hisce dotibus.

Distinguo majorem: habuit effectum ex libero arbitrio & determinatione volutatis omnino sanæ, in bonum propensæ, & nullâ concupiscentiâ repugnante, Concedo: ex determinatione voluntatis infirmæ, tentationibus & contrariis concupiscentiæ motibus agitatæ, Nego majorem.

Concessâ min. absolutè negari debet consequentia; argumentum enim non est in formâ, cùm in consequentiâ fiat transitus à statu na-

turæ integræ, de quo est sermo in præmissis, ad statum naturæ corruptæ. Sed explicationis gratiâ,

Distinguo consequens, non sequitur eum, qui consentit, se discernere, si sit sermo de statu naturæ integræ, Concedo: si de statu naturæ coruptæ sit sermo; Nego conseq.

Itaque cùm in Angelis viatoribus, sicut in primo homine innocente, nulla esset difficultas, nullave molestia obediendi justitiæ, sed mera suavitas & omnimoda propensio; qui steterunt, minus se discreverunt ab iis qui ceciderunt, quàm isti ab illis nec habuerunt quo in se gloriaretur, sed in Deo qui eos condidit in illâ integritate & rectitudine. Sic nemo inflagitur adversùs furentem qui sibi violentas manus infert, abhorrente naturâ, sed gratias Deo aget quod eum in illam rabiem non tradiderit, quâ pauci furentes se ab aliis discernunt. At verò in hoc statu naturæ corruptæ cum *posse*, quod habetur per gratiam sufficientem, manet caro rebellis concupiscens adversùs spiritum, manet infirmitas ex peccato relicta, manent tentationes. Quapropter si Deus det solum posse per gratiam sufficientem & hominis sit velle & operari, habet unde se discernat & in se glorietur, nempe bonam voluntatem.

Nec dicas bonam voluntatem esse à Deo à quo habet ut vincere possit per gratiam sufficientem; illud enim effugium est Pelagianorum, quod sanctus Augustinus invictissimè refellit lib. 2. de pec. mer. à cap 17. ad 19. verba illius sunt: *Illud Apostoli quod commemoravi; quis te discernit, sic defendere quidem* (Pelagiani) *voluerunt, ut dicerent, ideo quidquid etiam bonæ voluntatis habet homo, Deo tribuendum esse,*

quia & hoc in illo esse non posset, si homo ipse non esset : cùm verò ut homo sit, non habeat nisi à Deo, cur non authori Deo tribuitur etiam quod in illo est bonæ voluntatis ? sed hoc modo etiam illud dici potest malam quoque voluntatem Deo authori esse tribuendam, quia nec ipsa esse posset in homine, nisi homo esset. Quapropter nisi obtineamus non solùm voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc flectitur .... sed etiam bonam voluntatem, nisi ex Deo nobis esse non posse ; nescio quemadmodum defendamus quod dictum est, quid enim habes quod non accepisti ; Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est quæ adhuc potest esse vel bona vel mala ; bona verò voluntas ex nobis est, melius est id quod à nobis, quàm quod ab illo est. Quod cùm sit longè absurdissimum, idem sanctus Doctor testatur lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 4. *hoc Apostolico præcipuè testimonio*, quis te discernit, *se fuisse convictum, cùm de hâc realiter saperet.*

At, inquiet Molinæ Discipulus, Pelagius reponebat *posse* in naturâ, nos verò in gratiâ sufficiente. Verùm est ; sed quid inde ? nisi quòd illi à Pelagio dissentiant in hâc parte, de quâ nullà est inter nos controversia ; sed sicut Pelagius contendebat præter illam possibilitatem à Deo naturæ nostræ gratuitò inditam non requiri aliam gratiam ut liberum arbitrium convertat se in bonum naturalis ordinis, illudque perficiat cum concursu Dei generali qui deest nemini ; ita in sententiâ quam impugnamus, præter possibilitatem supernaturalem quæ habetur per gratiam sufficientem, liberum arbitrium alio auxilio non indiget, ut bonum supernaturalis ordinis velit, perficiatque cum Dei concursu supernaturali : quam opinionem S. Augustinus totis viribus impugnat, utpote quæ

ſit contraria gloriæ victricis gratiæ Chriſti, & foveat hominis ſuperbiam quâ nimis in ſe confidit cum morali periculo damnationis æternæ. *Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus*, inquit lib. de cor. & grat. c. 12. *ipſis relinqueretur voluntas ſua .... nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ipſa ſuccumberet.*

Ad confirmationem dico nec ſapientem conſiliarium uti ad ſalutem ſuâ ſapientiâ, nec artificem ſuâ induſtriâ, nec quemvis ſuo ingenio, niſi Deus ipſis dederit non ſolùm poſſe per gratiam ſufficientem, ſed etiam velle & perficere per gratiam efficacem, *& hoc ab illo eſſe deprecandum, ejus gratia didicimus, dum anteà lateret; ejus gratia dileximus, dum anteà non delectaret,* inquit S. Auguſtinus cit. lib. 2. de pec. mer. c. 19. ubi addit Deum optimum, *ideo etiam Sanctis ſuis alicujus operis juſtitiam aliquando non tribuere, vel certam ſcientiam vel victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo ſibi eſſe lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum, & ſuavitatem quâ det fructum ſuum terra eorum*, ut qui gloriatur, non in ſe, ſed in Domino glorietur, qui non ſolùm dat poſſe, ſed etiam velle operari. Verùm de his plura inferiùs.

Dices 2°. Theologorum eſt explanare quæ obſcuriùs fuerunt tradita, & iis fidem conciliare, excogitatis novis explicationibus ad captum fidelium magis accommodatis. Ergo novitas in rebus fidei & morum non eſt prorſus eliminanda.

Diſtinguo antecedens: Theologorum eſt explanare quæ obſcuriùs fuerunt tradita & iis fidem conciliare, retento dogmate & Scripturarum ſenſu, quem Patres tenuerunt, Concedo: mutato dogmate, & ſpreto Scripturarum,

sensu quem Patres posteris commendarunt, ut patet ex allatis testibus, Nego anteced.

Porrò novitas, quam impugnamus, immutat gratiæ dogma, Scripturam contorquet ad sensum sanctis Patribus ignotum, ut ipsemet Cardinalis Bellarminus agnoscit lib. 1. de gratiâ & lib. arb. cap. 12. *Opinio eorum*, inquit, *qui gratiam efficacem constituunt in assensu & cooperatione humanâ, ita ut ab eventu dicatur gratia efficax .... omnino aliena est à sententiâ Scripturarum ...., evertit omnino fundamentum prædestinationis divinæ. Omitto quod esset abuti vocabulis, vocare gratiam efficacem.* Esto reddat mysterium creditu facilius; sed quæ creditu sunt faciliora, non debent censeri veriora; alioquin verior esset sententia Socinianorum circa mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Sacramentariorum circa Sacramentum Eucharastiæ, utpote quæ solvat omnem difficultatem.

Instabis: Nova est, & à nullo ex sanctis Patribus tradita isthæc modernorem propositio, gratia est per se efficax: Ergo à Scholis quoque Catholicis est rejicienda.

Distinguo antecedens. Est nova quoad explicationem & sonum verborum, Concedo: quoad sensum & rem significatam, Nego antecedens. *Fas est autem*, inquit Vincentius Lyrinensis commonit. 1. cap. 3. *ut prisca illa cælestis Philosophiæ dogmata processu temporis limentur, poliantur: sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.* Et cap. 27. *intelligatur, te exponente, illustrius quod ante obscuriùs credebatur .... eadem tamen quæ didicisti; doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova* Sic Ecclesia, cum Ariani Filium Patri

similem æquivocè confiterentur, similem, inquam, propter divinas quasdam proprietates, non propter identitatem substantiæ, excogitavit vocem *Consubstantialis*, quâ distinctiùs exprimitur antiquum fidei dogma, & secernitur ab errore recèns inducto. Sic adversùs Sacramentarios commenta est nomen *Transsubstantiatio*, quo dispelluntur quæ de Sacramento Eucharistiæ ambiguè docent. Eodem planè modo, cùm Molinæ Schola retineret nomen gratiæ efficacis, necessum fuit, ut aliæ Scholæ exponerent, quo sensu Scriptura & Sancti Patres docerent gratiam esse efficacem, adderentque voces *per se*, quæ nihil immutant circa antiquum dogma, novèque dicerent, sed non nova.

PARAGRAPHUS V.

Utrùm efficacia Gratiæ reponenda sit in circunstantiis magis congruis.

R. REponenda non est.

Probatur 1°. ex Scripturâ, quæ in textibus jam laudatis Paragrapho præcedenti, efficaciam gratiæ clarè repetit ex absoluto Dei dominio in voluntates humanas, docetque Deum pro libito eas immutare etiam in circunstantiis minùs congruis. *Auferam*, ait Dominus Ezech. 11. *cor lapideum de carne vestrâ, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Quid est autem cor lapideum, nisi cor durum, malè affectum, & pessimè dispositum? Illud tamen Deus subitò immutat, & in carneum convertit, non expectatis congruis dispositionibus, nec captato tempore

opportuniori, sed potenter efficit, ut operetur. Sic Esther cap. 15. convertit cor Regis Assueri in mansuetudinem. Luc. cap. 7. Peccatricem immutavit in circumstantiis minimè consentaneis, & capite 23. Latronem nequissimum, & in Cruce blasphemantem, Matth. 27. Qui congruum in circumstantiis, in quibus efficaciter vocati sunt Jacobus, Joannes reficientes retia, Matthæus sedens in telonio, Saulus spirans minarum & cædis in discipulos, de quo sic scribit Sanctus Augustinus lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. *Quid volebat Paulus, nisi ut invaderet & traderet, vinciret & necaret Christianos? quàm rabida voluntas, quàm furiosa, quàm cæca! qui tamen unâ desuper voce prostratus, occurrente utique tali viso, quo mens illa & voluntas refractâ servitiâ retorqueretur, & corrigeretur ad fidem.*

Nec dicant Patroni hujus sententiæ in hujusmodi vocationibus extraordinariis, gratiam efficacem alio operari modo, quàm in ordinariis, namque omnibus efficaciter vocatis dicitur: *Auferam cor lapideum de carne vestrâ .... & faciam, ut in præceptis meis ambuletis*, Ezech. 11. vers. 19. & cap. 36. vers. 36. Ad omnes Dei filios extenditur illud Apostoli: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*, Rom. 8. vers. 14. *Deus est enim qui operatur in vobis & velle & perficere*, Philipp. 2. v. 13. *Dabit spiritum bonum petentibus se*, Luc. 11. v. 13. quàm autem dogma, quod hîc impugnamus, alienum sit ab obvio & genuino sensu horum textuum, vel inde patet quòd dici nequeat nisi impropriè & metaphoricè illum dare velle & operari, tribuere cor novum & spiritum bonum, qui alium trahit in suam sententiam explorando ejus animi propensionem, & captando tem-

pus locum veopportunum; quis enim impietate ejusmodi orationem dirigeret ad consiliorum aut studiorum moderatorem, da mihi spiritum bonum, aufer à me cor lapideum, & cor novum crea in visceribus meis?

Probatur 2°. ratione, tum quia scientia media, quâ tanquam fundamento nititur hæc opinio, communiter rejicitur, ex dictis tract. de Attributis: tum quia prædestinatio, etiam ad gratiam in hâc sententiâ præsupponit, si non merita, saltem dispositiones & prævisum consensum voluntatis, si gratia concederetur; ex quo sequitur efficaciam gratiæ esse ex consensu prævisio: tum denique quia is occasiones captandi modus ad alliciendas voluntates liberas, est indignus Deo, competitque solis creaturis. Enim verò cùm Principes terreni non possint directè agere in subditorum voluntates, coguntur explorare eorum genia & mores, & extrinsecùs adhibere pollicitationes & minas idoneas ad flectendas eorum cervices. Contra verò Deus tam immediatè dominatur voluntatibus nostris quàm corporibus; & sicut dat illis esse liberum, ita & velle & operari similiter liberum. *Cor Regis*, inquit Sapiens Prov. 21. *in manu Domini, quòcunque voluerit, inclinabit illud*; illæsâ tamen ejus libertate. Si enim anima nullo mediante potentias suas efficaciter determinat & applicat ad actum modo ipsis competenti, nempe intellectum necessariò, voluntatem verò liberè; quantò magis Deus, qui est ipsis intimior quàm anima, & àquo magis pendent in esse & operari?

Porrò sententia, quam impugnamus, Deo denegat ejusmodi imperium in voluntates humanas, exhibetque liberum arbitrium veluti speciem quandam divinitatis quæ ita est inde-

pendens & domina suorum actuum ut Deus ipse, nisi eam spoliet juribus concessis, hoc est necessitatem ipsi inferat, teneatur fingere se ad ejus nutum, & observare quæ foret ejus propensio in prævisis circunstantiis, ut ab illâ obtineat quod intendit: an non de Deo sentit indignè, qui ita sapit?

Dices: Scriptura & sancti Patres efficaciam gratiæ reponunt in congruitate: Ergo.

Probatur antec. 1°. ex cap. 11. Matth. ubi Christus sic exprobat incredulis: *Væ tibi Corozaïn, væ tibi Bethsaïda; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Quæ verba intelligi debent de æquali gratiâ non solùm exteriori, sed etiam interiori, aliàs non magis æqua videretur exprobratio, quàm si dux de milite victo quereretur, ejusque probrum augeret ex alterius militis victoriâ, qui melioribus armis fuisset munitus. 2°. Ex S. Augustino lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. sic scribente. *Verum est ergo, multi vocati, pauci verò electi: illi enim electi, qui congruentur vocati: illi autem qui non congruebant & cooperabantur vocationi, non electi: quia non secuti.* Ubi sanctus Doctor totam efficaciam gratiæ reponit in congruitate, quam habet ad voluntatem humanam: hæc autem congruitas petitur ex scientiâ mediâ Dei moventis, eo modo quo scit aptum esse ut voluntas obtemperet. *Igitur miserentis est Dei,* inquit, *qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem.*

Distinguo anteced. in congruitate ad infallibiliter determinandam voluntatem, petitâ & ipsiusmet gratiæ entitate, Concedo: in congruitate petitâ ex circunstantiis temporis & loci per scientiam mediam exploratis, Nego

antec. Itaque non negamus, gratiam ex entitate efficacem, esse aptam & congruam voluntati flectendæ. Congruâ illâ gratiâ caruerant habitatores Corozaïn duplici ex capite, 1°. quia erant indurati; 2°. quia non erant prædestinati, & secundùm propositum vocati. Ita S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ c. 14. *Tyrii relicti sunt*, inquit, *& Sydonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent; sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum .... non ergo erant sic excæcati sicut Judæi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sydoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderant isti, signa vidissent. Sed nec illis profuit quòd poterant credere; quia prædestinati non erant: nec illis obfuisset; quòd non poterant, si ita prædestinati essent, ut eos cæcos Deus illuminaret & induratis cor lapideum auferret. Verùm quod dixit Dominus de Tyriis & Sydoniis, aliquo alio modo potest fortassis intelligi.* Eo scilicet modo, quo sanctus Doctor seipsum explicat citatâ quæst. 2â. lib. 1. ad Simplicianum, his verbis: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit; quia si vellet eorum misereri, posset ita vocare, quomodo aptum esset, ut moverentur, & sequerentur.*

Ex his duo colliges,

Primum. Gratia, quâ Tyrii & Sydonii pœnitentiam egissent, si eam signa vidissent quæ Coroïtæ, in mente sancti Augustini non foret auxilium, sine quo illi credere non potuissent, & cum quo credere potuissent, si voluissent; sed auxilium, quo infallibiliter credidissent. Quid enim aliud innuunt laudata verba, lib. de dono perseverantiæ, *Verùm quòd dixit Dominus de Tyriis & Sydoniis, aliquo alio modo potest fortassis intelligi*, nisi quòd de Tyriis ac

Corozaïtis, non eodem modo dicendum utrosque potuisse credere; nam isti, cùm possent, non tamen crediderunt propter malitiam & duritiam cordis. Illi verò sic potuissent, ut actu infallibiliter credidissent, non quia sic indurati non erant; sed quia prædestinati alio modo moti fuissent.

Secundum. Justa fuit objurgatio Corozaïtis facta, quia quòd non crediderint, imputandum est propriæ eorum cæcitati & malitiæ, cui obnoxii non erant Tyrii & Sydonii, quemadmodum in allato militis exemplo, dux justè exaggerat militis ignaviam, ex quâ victus est cùm in altero nulla fuerit.

Instabis: S. Augustinus lib. 12. de Civ. Dei cap.6.admittit eamdem gratiam in duobus æqualiter affectis, in altero habere effectum, in altero verò non habere: Ergo efficacia gratiæ repeti potest, vel ex eventu, vel ex congruis circunstantiis; sic enim scribit: *Si aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, eâdem tentatione agitati, videant unius corporis pulchritudinem, quâ visâ unus eorum ad illicitè fruendum moveatur, alter in voluntate pudicâ stabilis perseveret: quid putamus esse causæ, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?* Ergo.

Nego conseq. Nam S. Augustinus eo loci non agit de gratiâ, sed de causâ peccati duntaxat, probatque exemplo allato, Deum non esse illius auctorem, neque naturam ab ipso conditam, cùm illi ambo homines sint æquè affecti animo & corpore: quod ergo alter eorum malè concupiscat, oriri non potest nisi ex malâ voluntate. Nec ulteriùs perpendit S. Doctor, unde alter maneat in proposito castitatis, an propriis viribus, an Dei auxilio? quia ad ejus institutum non pertinet.

Paragraphus VI.

Utrùm efficacia gratiæ sita sit in præmotione Physicâ.

R. Sita non eſt.

Probant nonnulli: quia oppoſita Thomiſtarum ſententia libertatem deſtruit, Deumque fecit peccati auctorem. Sed abſit, ut impius ille error impingatur Scholæ tot titulis de Eccleſiâ bene meritæ, & ob integritatem doctrinæ pluribus in Provinciis orbis Chriſtiani à Summis Pontificibus, velut in ſpeculâ poſitæ, ut contra graſſantes profanas novitates invigilet.

Enimverò ejuſmodi criminatio vel uno animæ rationalis exemplo facilè diluitur. Certum quippe eſt quòd anima ſuas potentias (à quibus realiter diſtinctam ſupponunt Thomiſtæ) phyſicè præmoveat & applicet ad operandum, ſed modo cuilibet earum attemperato, nempe ita movet, v. g. intellectum, ut neceſſariò cogitet; voluntatem verò, ut liberè velit ſicque tantùm abeſt, ut anima ſuâ præmotione tollat libertatem, cùm illam aſtruat, & in actu ponat. Hoc ſentimus & experimur in nobis, adeo ut opus non ſit aliâ probatione. Similiter Deus intimior creaturis, quàm anima ſuis potentiis, illas præmovet modo ipſis conſentaneo, aliis operandi neceſſitatem imponit, aliis actualem libertatem tribuit.

Neque verò propter præmotionem Deus magis eſt auctor peccati, quàm propter concurſum, quem omnes aliæ Scholæ coguntur admittere, quia nihil objicitur contra præmotionem, quòd non facilè retorqueatur contra

Dei concursum, ad actiones malas absolutè necessarium, nec quidquam reponere possunt propugnatores concursûs simultanei, quod non militet pro assertoribus præmotionis. Etenim quærenti quo modo Deus suo concursu non est auctor peccati, cùm voluntas priùs non sit actu determinata ad peccandum, quàm Deus concurrat, actualis quippe determinatio est actio, quæ non potest esse sine Dei concursu. Respondent Thomistarum adversarii, Deum concurrere ad actiones malas, ut causam universalem, ubi id exigunt causæ secundæ, non verò ut causam particularem, quæ ad malas actiones incitet roboretque, quemadmodum impiè docet Calvinus. Deus enim, ut causa particularis, retrahit malos tum extrinsecè per legem prohibentem: tum intrinsecè per pias motiones. Sed cùm voluntas pro suâ libertate non acquiescit divinis suasionibus, necesse est vel Deus deneget creaturæ usum suæ libertatis suspendendo influxum primi motoris & causæ universalis; vel eam permittat, ut par est, suæ libertati, hoc est, præbeat concursum, sinatque illam deficere. In quâ hypothesi (inquiunt & quidem veraciter) defectus in Deum non est refundendus, sed in ipsam creaturam, quæ suâ abutitur libertate, & Deum facit servire iniquitatibus suis, ut ipse conqueritur per Isaïam Prophetam, cap. 43. Atqui Thomistæ eâdem planè responsione satisfaciunt iis quæ ipsis objiciuntur; nam in eorum sententiâ Deus præmovet ad actiones malas, ut causa universalis duntaxat, & ad exigentiam causarum secundarum; ac proinde illis imputandum, si alicubi peccent. His ergo omissis,

Probatur nostra responsio. In eo sita non est

efficacia gratiæ, quod eſt commune omni ſtatui. Atqui præmotio phyſica ex Thomiſtis eſt communis omni ſtatui. Angeli in ſtatu viæ, & primus parens in ſtatu innocentiæ phyſicè præmoventur ad bonum; cùm in illâ ſententiâ creaturæ non poſſint agere, niſi phyſicè præmotæ: Ergo efficacia gratiæ ſita non eſt in præmotione phyſicâ.

Major eſt ſancti Auguſtini, tum cap. 12. lib. de cor. & grat. ſuprà laudato Paragrapho 4°. tum cap. 10. *Iſtam gratiam,* inquit, *non habuit homo primus, quâ nunquam vellet eſſe malus: ſed ſanè habuit, in quâ ſi permanere vellet, numquam malus eſſet, & ſine quâ etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet; ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet .... Tale quippe erat adjutorium, quòd deſereret cùm vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam, ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, quâ fit ut habeat homo juſtitiam, ſi velit, Secunda ergo plus poteſt, quâ etiam fit, ut velit.* Et paucis interjectis, ſubdit de Angelis bonis; *cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.*

Paragraphus VII.

Utrùm efficacia gratiæ conſiſtat in dilectione victrici?

Iſta eſt ultima quæſtio circa efficaciam gratiæ, in quâ quidem quæſtione Chatholicæ Scholæ omnes conveniunt, ſed diverſo modo. Namque 1°. celeberrimi in ſcholâ Molinæ blandam motionem moraliter determinantem admitti poſſe, imò aliquando admittendam ſcri-

bunt. 2°. Tota Thomistarum Schola eam admittit, sed ei necessariò adjungendam præmotionem physicam contendit. 3°. Augustianorum Schola uno ore docet efficaciam gratiæ reponendam esse in ejusmodi suaviori motione, nec ad eam requiri Physicam Thomistarum præmotionem. Hanc sententiam communem, præsertim in Academiâ Parisiensi, & testimonium habentem ab omnibus Scholis Catholicis, ut ex discendis mox patebit, in primâ editione operis nostri breviter tradidimus, utpote qui viâ tutâ nullis hostibus obsessâ incederemus.

Sed in hâc posteri Editione quæstio proposita eò accuratiùs est tractanda, quò impotentiùs nonnulli adversùs delectationem victricē nunc debacchantur ut eam, non solùm ad Jansenianorum, sed etiam ad Epicureorum Scholam ablegare non vereantur.

Tam insignis temeritas & impietas, quamvis Censurâ Ecclesiæ potiùs opprimi debeat, quàm oratione Theologi, assentatores tamen reperit, qui ut res dant sese ita sunt, aut loquuntur; & ex ejusmodi effrenatâ scribendi libidine occasionem arripiunt alii ut novam Molinæ doctrinam in Catholicum dogma erigant, alii ut suis privatis affectibus indulgeant: alii ut suscitent extinctum errorem, quo Quietistæ docent gratiam in statu perfectionis, quem passivum vocat, omnem animæ motum comprimere, adeo ut nequidem reluctari debeat obscenis carnis voluptatibus. Hinc est quòd in controversiâ Scholæ non versemur jam, sicut priùs, sed in controversiâ fidei, quemadmodum Adversarii autumant; novumque nos animum assumere oporteat, ut Clerici adversùs ejusmodi vaniloquos muniantur, sciant quid credere

debeant, quidve docere; simplices enim & muliercula trahuntur in illam controversiam, fluctuantesque redduntur per libellos vernaculo idiomate in eorum gratiam seu potiùs subversionem editos. Atque ut ratione & vi procedat disputatio, quædam priùs elucidanda sunt circa delectationes quàm quidquam definiamus.

Nonnulla elucidantur circa delectationem universim spectatam.

Q. 1°. *Quotuplex est delectatio?*

R. Duplex, scilicet carnis & spiritûs. Adversùs delectationem carnis extat lex divina, Exodi. 20. *Non concupisces*: & Eccli. 18. *post concupiscentias tuas non eas: & à voluntate tuâ* (S. Augustinus legit *à voluptate tuâ*) *avertere*; quia, ut scribit S. Doctor lib. 10. Confess. cap. 35. servientes voluptatibus sensuum depereunt. Sed cùm nemo possit esse continens, nisi Deus det, Sap. 8. Justi continuò invocant Dei dexteram, ne capiantùr carnis illecebris, adversùs quas quotidianum bellum gerunt divinâ gratiâ adjuti & roborati.

Quæ cùm ita sint, quis ita desipiet, ut efficaciam gratiæ reponat in carnis delectationibus, cùm ad hoc detur, vel ut comprimantur omnino, si turpes sint, vel ad sanum modum redigantur, si utiles ad vitæ humanæ officia. Restat ergo, ut quæramus num efficacia gratiæ reponi possit in aliquâ spiritûs delectatione.

Q. 2°. *Quotuplex est delectatio spiritûs?*

R. Duplex, scilicet præveniens, & consequens.

Præveniens, nihil est aliud, quàm complacentia in bono, quod intellectus apprehendit &

voluntati proponit, ut ipsi consentaneum & ab ipsâ appetibile; inde enim voluntas suaviter illecta excitatur, & pondere amoris inclinatur ad bonum illud prosequendum.

Delectatio consequens est quies in bono obtento & possesso, diciturque fruitio. In eo autem differt à delectatione præveniente, quòd ista præcedat omnem motum liberi arbitrii, illudque excitet tum ad consensum, tum ad opus, ac propterea constituitur à Philosophis primus finis effectus: illa verò sit fructus bonorum operum, ex quibus eò major efflorescit, quò opera fuerint perfectiora, ut invictissimè probavimus tractatu de actibus humanis, capite secundo, & capite sexto, paragrapho quinto & paragrapho 9. Perspicuum autem est efficaciam gratiæ non posse reponi in delectatione consequente, utpote quæ sit gratiæ efficacis effectus, & proprius Justitiæ fructus, juxta illud Apostoli Galat 5. v. 22. *Fructus autem Spiritûs est charitas, gaudium, pax.* Utraque isthæc spiritualis delectatio nonnunquam ex animâ in corpus effluit ut habetur Psalm. 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*; & hâc suavitate cœlesti solet Deus eos recreare, quos recèns ad se convertit, donec virtus in eis radices miserit, quia, ut observat S. Gregorius, teneriores arbusculæ frequentiori irrigatione indigent, quæ grandioribus subtrahitur. Sed multò minùs efficacia gratiæ constitui potest in ejusmodi derivatâ suavitate.

Tota igitur controversia versari potest circa delectationem antecedentem, utrùm scilicet efficacia gratiæ in eâ sit constituenda. Itaque

Q. 3°. *Delectatio præveniens est-ne causa omnium actuum humanorum?*

R. Affirmant omnes; *Omnis actio*, inquit S. Thomas 1. 2. q. 28. art. 6. ad 2. *procedit ex amore, sicut ex primâ causâ*, laudatque illud Auctoris divinis nominibus cap. 4. *propter amorem boni omnia agunt, quæcunque agunt.* & S. Augustinus lib. 14. de Civ. Dei cap. 7. *Recta voluntas*, inquit, *est bonus amor, & voluntas perversa malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est: id autem habens, eoque fruens, lætitia: fugiens quod ei adversatur, timor est: idque, si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus est amor; bona, si bonus.* Porrò amor ille nihil aliud est, quàm complacentia; ex S. Thomâ 1. 2. totâ ferè quæst. 26. sic enim habet art. 1. *Appetitio appetitûs sensitivi, vel voluntatis ad aliquod bonum, id est, ipsa complacentia boni, dicitur amor sensitivus, vel intellectivus.* & art. 2. *Prima ergo immutatio appetitûs ab appetibili vocatur amor, qui nihil est aliud, quàm complacentia appetibilis, & ex hâc complacentiâ sequitur motus in appetibile, qui est desiderium: & ultimo quies, quæ est gaudium.* Et quæst 27. art. 1. *Amor*, inquit, *importat quamdam connaturalitatem vel complacentiam amantis ad amatum.* Hinc secundùm communem usum loquendi promiscuè dicimus, *volo, amo, mihi placet, me delectat; nolo, mihi displicet.* Ergo si Deus operatur in nobis velle, quemadmodum asserit Apostolus ad Philip. 1. operatur amorem, complacentiam, delectationem, cùm ista sint termini Synonymi. Sed præter auctoritatem, invictissima nobis suppetunt argumenta, delectationem prævenientem esse causam omnium actuum humanorum.

Primum. Quia voluntas est facultas essentialiter boni appetitiva, sicut intellectus est facultas veri cognoscitiva, adeo ut, quemad-

modum nulla potest esse operatio intellectûs, nisi cognitio, sive affirmet, sive neget; ita nulla fit actio voluntatis, nisi volitio, seu amor boni, sive oderit, sive tristetur, sive timeat, &c. atqui voluntas nec velle, nec amare potest bonum, nisi ipsi placeat, eique proponatur ut conveniens; contradictorium enim est, voluntatem velle aut amare, quod ipsi actu displicet: quia si displiceat, illud adversatur & fugit: si velit & amet, in illud inclinatur & fertur: porrò contradictorium est in bonum simul ferri, & ab eo retrahi: Ergo ut voluntas bonum velit & appetat, necesse est, ut ipsi placeat: *Amor*, inquit S. Thomas cit. art. 2. ad 3. *nominat motum appetitûs, quo immutatur ab appetibili, ut ei appetibile complaceat*, alioquin illud actu non appeteret, nec amaret. Notum est Poëtæ effatum, *Video meliora proboque, deteriora sequor.* Quid ita? Nimirum voluntati deterioribus præoccupatæ ac veluti inescatæ meliora placere nequeunt. Solus Deus habet, quæ omnibus placeant, utpote qui sit omne bonum; attamen nemo tam habet, quæ infidelibus displiceant, ut observat S. Augustinus, ideoque, pantomimus, horreo dicere, inquit Sanctus Doctor, potiùs ab iis diligitur, quàm Deus. Ait Christus Mat. 11. *Jugum meum suave est*; sed nisi suavitas illa voluntatem afficiat, abjicitur ut intolerabile. Unde S. Augustinus serm. 17. in hæc verba Psalmi 118. *Bonitatem fecisti cum servo tuo*, secundùm editionem vulgatam; & secundùm Syriacam *saporem fecisti*; secundùm verò codicem, quo utebatur, *suavitatem fecisti*, sic habet, *nihil hîc aliud dictum existimo, nisi fecisti ut me delectaret bonum; quando enim delectat bonum, magnum est Dei donum.* Et expendens versiculum sequentem,

suavitatem & eruditionem , & scientiam doce me, ait, *cum quo ergo facit Deus suavitatem, id est, cui propitius inspirat boni delectationem .... profectò instanter orare debet , quo tantùm sibi augeatur hoc donum.* Ex quibus plenissimè demonstrantur voluntatem nunquam ferri in bonum sive verum, sive apparens, nisi ipsi placeat, & ad illud suaviter afficiatur.

Secundum argumentum, Ex omnium consensione finis est prima causa, bonitate suâ ceteras excitans : causalitas verò ejus, ut aiunt, hoc est, ratio quâ tendit in effectum, est metaphorica voluntatis motio, quemadmodum causalitas virtutis calefactivæ est calefactio, virtutis illuminativæ illuminatio, quæ concipiuntur veluti via & medium quid inter causam & effectum, inter ignem calefacientem & calefactum, inter solem illuminantem & aërem illuminatum.

Quæro jam quam motionem primariò in voluntate efficiat bonitas finis. An displicentiam, an fastidium & odium, an timorem aut tristitiam? atqui repugnat bonitatem præcisè & sub ratione bonitatis apprehensam displicere, fastidium creare, metum injicere, aut tristitiam, sicut repugnat intellectum dissentire veritati lucenti, alioquin ejusmodi facultates ferrentur extra latitudinem sui objecti, quod est impossibile & contradictorium. Ergo fatendum est finem bonitate suâ voluntatem primariò movere motu complacentiæ & delectationis ; secundariò verò motu vel timoris, ne auferatur bonum concupitum, vel tristitiæ & doloris, si eo privetur.

Tertium argumentum. Extra controversiam est omnes homines semper agere ex amore finis ultimi seu habitudinis, saltem universim spe-

ſtatæ, *beatitudinis causâ omnes operatur omnia*, inquit Ariſtoteles 1. Eth. c. 22. S. etiam Auguſtinus l. 10. de Civ. Dei cap. 1. *Omnium certè ſententia eſt, qui ratione uti poſſunt, beatos eſſe omnes homines velle.* Et Conc. 1. in Pſalm. 118. *beatum eſſe tam magnum eſt bonum, ut hoc & boni velint, & mali. Nec mirum eſt quòd boni proptereà ſunt boni: ſed illud eſt mirum, quòd etiàm mali proptereà ſunt mali, ut ſint beati.* Idem confirmat ſanctus Thomas 1. 2. q. 1. a. 6. tum quia beatitudo eſt expletio naturalis appetitûs: atqui nihil facit homo niſi ut expleat naturalem appetitum: tum quia ultimus finis ſe habet ad motum appetitûs; ſicut ſe habet in aliis motibus primum movens, *Manifeſtum eſt*, inquit, *quòd cauſæ ſecundæ moventes, non movent, niſi ſecundùm quod moventur à primo movente. Unde ſecunda appetibilia non movent appetitum, niſi in ordine ad primum appetibile, quod eſt ultimus finis.* Ergo conſtat omnem animi motum ex amore & complacentiâ boni ſurgere, inde iram in eos qui nos interturbant, in poſſeſſione vel proſecutione rei amatæ: inde timorem, ne auferatur: inde odium eorum, qui rapere volunt: inde triſtitiam & dolorem, ſi fuerit amiſſa, & eò majorem, quò ampliùs placebat. Sed in iis probandis lucem ad ſolem meridianum afferre videmur.

At, inquies, Deus innumeris rationibus movet corda hominum longè diverſis à delectatione, de quâ eſt ſermo, alios ad ſe revocat faſtidio rerum, quas turpiter deperibant, alios metu gehennæ, alios dolore cruciante.

Quòd autem non ſemper operemur ſecundùm quod amplius delectat, adduci poteſt teſtimonium S. Auguſtini ex lib. 8. Conf. c. 8. in quo ſic habet, *Non faciebam quod & incomparabili affectu magis placebat, & mox, ut vellem, poſſem:* Ergo.

Nego conſ. Ad ſingula autem antecedentis momenta reſpondeo.

Ad primum. Ideo voluntas ea faſtidit, quæ priùs delectabant, quia in iis quietem, quam quærebat, non invenit; atque uno & eodem motu amoris ab iis ad alia, quæ placent ampliùs, ſe convertit; odium enim ſeu faſtidium in amore fundatur, *beatitudinis causâ omnes operantur omnia*, inquiebat ſuprà Philoſophus. Sed audiendus eſt S. Auguſtinus lib. 9. Conf. c. 1. ubi non minùs piè quàm verè de ſe ſcribit, quomodò ſatietas rerum terrenarum ipſum ceperit, *quàm ſuave mihi ſubitò factum eſt carere ſuavitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat; ejiciebas enim eas à me, vera & tu ſumma ſuavitas, ejiciebas, & intrabas pro eis, omni voluptate dulcior.*

Igitur ſicut clavus clavum trudit, & affulgens lumen veritatis fugat ab intellectu tenebras erroris; ita boni majoris appetitus, eorum movet faſtidium, quæ hactenus placuerant; faſtidium enim eſt veluti receſſus à termino à quo, qui nec eſſe nec concipi poteſt ſine acceſſu ad terminum ad quem, ſcilicet ad aliud appetibile.

Ad ſecundum & tertium. Qui metu pœnarum & doloris cruciatibus acquieſcit minitanti & vim inferenti, vult liberari à malo, & vitam ſervare incolumem, quæ voluntatem ejus magis allicit ac delectat, quàm ea, quæ dimittere cogitur; ſic mercator, v. g. in evidenti periculo naufragii merces projicit amore propriæ ſalutis, qui mavult conſulere; ſic qui timore mortis pejerat, aut vi tormentorum Religionem chriſtianam abjurat; corpus plus amat quàm juſtitiam: peccat, non peccati illecebrâ, ſed vivendi delectatione: In illis etiam, qui

qui ab omni ſpe dejecti violentas manus ſibi inferunt, vincit boni ſuavitas; carere enim malis bonum eſt, quod dulcius ipſis videtur quàm triſtem vitam trahere. Iſthæc omnia diſcunt, qui prima tyrocinia ponunt in rebus philoſophicis.

Ad quartum. S. Auguſtinus laudato libro 8. Conf. a capite ſeptimo ad finem libri deſcribit acerrimam pugnam oppoſitarum voluntatum, quibus cor ejus diſcerpebatur quodammodo, & dilaniabatur: *Hinc pulchritudo, caſtitatis delectabat ſuperiùs; inde temporalis peccati voluptas retentabat inferiùs, obverſabatur mentis occulis caſta dignitas continentiæ, ſerena & non diſſolutè hilaris honeſtè blandiens; & omnia oſſa mea clamabant eundum ad eam, quæ incomparabili affectu ampliùs mihi placebat. Sed retinebant nugæ nugarum, vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, quas ſordes ſuggerebant, quâ dedecora! Audiebam eas, & retardebant; pluſque in me valebant deterius inolitum, quàm melius inſolitum.* Itaque continentia ſpeculativè & in ſe ſpectata ampliùs Auguſtino placebat, ſed practicè & abſolutè minus quàm carnalis voluptas: ad illam ex parte aſſurgebat, *ſemiſauciâ voluntate*, ut ipſe loquitur, ad iſtam totus relabebatur plenâ voluntate. Sic ſe habent omnes peccatores; cùm audiunt Pſalm. 33. *Quis eſt homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos?* Quilibet eorum ſtatim reſpondet: Ego volo; vita quippe beata mirum in modum placet omnibus, ſed cùm iſta ponitur conditio: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum.* Nolo, dicit homo miſer, beata vita diſplicet ſub hâc conditione. Unde me paſco, inquit; Non poteſt ars ſine impoſturâ eſſe, non poteſt negotium eſſe ſine fraude; ſi timuero Deum, non habebo unde vi-

vam. Et ita fit ut practicè ampliùs placeat perversa vita, quàm vita immaculata dies bonos sola efficiens.

Ex dictis evidenter sequitur, 1°. velle, amare, delectari esse verba synonyma; 2°. omnem voluntatis motum, quocunque vocetur nomine esse volitionem seu complacentiam, quemadmodum omnis operatio intellectûs est cognitio, adeo ut voluntas, sive ex odio agat, sive ex irâ, sive ex timore aut ex tristitiâ, ea omnia absolutè & simpliciter velit & amet, quamvis secundùm quid nollet, & quodammodo invita ad sic agendum se determinet; 3°. voluntatem non posse velle aut amare nisi bonum saltem apparens; 4°. repugnare voluntatem velle aut amare bonum, nisi ipsi placeat, sapiat, eam alliciat & suaviter moveat. Cùm autem ex hoc sapore & complacentiâ boni ut mali universa morum pendeat disciplina, quotidianumque fit periculum, ne malum sub falsâ boni specie decipiat, aut quod verè bonum est & appetendum, non alliciat, vel etiam fastidium creet, quis non intelligit hanc Dei esse gratiam, quam cum matre Ecclesiâ continuò efflagitare debemus, *da mihi intellectum, & vivam. Inclina cor meum in testimonia tua. Averte oculos meos, ne videant vanitatem*, scilicet rerum mundanarum, quæ tenebras menti offundunt, & ementitâ boni imagine corda nostra seducunt. *Da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.* Figuntur autem corda amoris pondere, sicut lapis gravitate suâ centro firmiùs adhærescit.

Q. 4°. *Cùm voluntas nihil sit aliud quàm boni appetitus, nonne eò ipso satis juvatur, quò Deus per*

gratiam suam ipsi clarè & congruè revelat bonum, quo beata sit: mercator enim inhians ad lucrum, est-ne movendus & urgendus, ut oblatam lucrandi occasionem arripiat?

Sic docebat Pelagius, & ideo hæreticus ex sancto Augustino lib. de Gratiâ Christi c. 8. *Hinc itaque*, inquit, *apparet hanc eum gratiam confiteri, quâ demonstrat & revelat Deus quid agere debeamus, non quâ donat & adjuvat ut agamus.* & c. 10. *sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur & speratur, nec solùm revelatur sapientia, verùm & amatur ... hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus.*

R. De fide est Doctrinam & interiorem mentis illustrationem non sufficere, ut quis velle & operari possit in ordine ad vitam æternam; sed insuper requiri supernaturalem voluntatis motionem, quæ appellari solet volitio, complacentia, amor, delectatio, suavitas, pia affectio. Patet tum ex laudatis S. Augustini verbis adversùs Pelagium: tum ex dictis de necessitate gratiæ ad bonam voluntatem concipiendam, & ad tentationes superandas c. 5. Paragr. 1. pag. 470. 471. & 478. tum ex historiâ Semipelagianorum, qui ideo damnati sunt, quòd docerent ex nobis esse affectum credendi ea quæ de Christo prædicantur Tract. de Incarn. c. 25. Paragr. 1. pag. 207. & 208 & Tract. de Grat. 3. Parag. 3. pag. 333.

Dices 1°. ait Christus Joan. 6. v. 45. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me:* Ergo ut velimus satis est ut, homine exteriùs docente, Deus interiùs nos illuminet.

Distinguo anteced. cum S. Augustino lib. de Gr. Chr. cap. 14. & lib. de prædest. Sanctorum

c. 8. omnis qui audivit secundùm gratiam, C. : secundùm litteram tantùm, N. antec. Interior igitur Patris doctrina non solùm mentem illuminat, sed etiam voluntatem inflammat, *ita ut*, inquit, S. Doctor lib. de Gratiâ Christi c.13. *non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem*. & cit. cap. 8. de prædest. Sanctorum, *Quando ergo Pater intus auditur, & docet ut veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum.*

Dices 2°. Non licet doctrinam Molinæ aspergere aliquâ hæreseos notâ; id enim prohibuit Paulus V. referente Theodore Eleutherio lib. 6. c. 28. hist. Congr. *De auxiliis* : atqui sententiâ Molinæ Deus solummodò movet hominum voluntates visorum suasionibus, quæ vim habent eas alliciendi : ergo fide divinâ credendum non est gratiam aliter movere voluntatem quàm objectivè per congruam veritatis revelationem, quâ Deus interiùs eo modo & in iis circunstantiis docet, in quibus prævidit voluntatem alliciendam & consensuram.

Nego minorem : Accusatores quidem Molinæ in famosis Congregationibus *de auxiliis* ejus doctrinam pelagianæ hæreseos insimulaverunt, sed ejus Defensores criminationem constanter repulerunt, agnoveruntque præter mentis illustrationem necessarium esse Dei auxilium, quo voluntas supernaturaliter moveretur, simulque roboraretur adversùs rebellem concupiscentiam, aliàs quomodo Summus Pontifex prohibuisset inurere censoriam notam doctrinæ olim à Conciliis & Patribus proscriptæ, Malè ergo merentur de Scholâ Molinæ, & invidiam ejus doctrinæ conflant, qui eam, dum supra modum, & contra Pauli V. interdictum erigere student, Pelagianismo commaculant.

Meliùs quidem de Molinæ doctrinâ sperabimus, donec suum de eâ judicium Romana Sedes promulget, pacem cum ejus discipulis retinebimus: quamdiu ipsi se Pauli V. decreto religiosè submittent, nec doctrinam multò antiquorem, & in Catholicis scholis longè communiorem hæreseos aut erroris accusabunt: & si quæ duriora ac acerbiora verba nobis alicubi excidant, non in eos contorquentur, sed in larvatos Molinistas, qui Pelagianismum instaurant: & ut multi suspicantur, Quietismum, sic dictum; quia in illâ Fanaticorum scholâ eò tendit gratia, ut quiescat, seu potius extinguatur innatus ad beatitudinem appetitus, & omnis in statu perfecto voluntatis nisus & conatus, sive ad prosequendum bonum, sive ad resistendum carnis desideriis. In hoc quippe totum Quietismi virus continetur, quòd prætextu summæ perfectionis, sublato mercedis omnis intuitu, virtutis amor & usus paulatim intereat, & prohibitâ cum vitiis pugnâ, libido deinceps dominetur. Ceterùm quidquid sit de illâ suspicione, non desunt multa aliunde argumenta insanum illum Quietistarum errorem ab Ecclesiâ solemniter contritum reviviscere ac disseminari sub obtenu colligendi zizania Janseniana. Sed elucidatis jam quæ delectationem spectant, veniamus ad propositam quæstionem, utrùm in eâ reponenda sit efficacia gratiæ.

Resolvitur quæstio.

Dico: efficacia gratiæ consistit in præveniente delectatione, eâque victrici & moraliter determinante. Duæ sunt partes.

Prima pars negari non potest, cùm ex di-

ctis gratia præveniens sit supernaturalis motio voluntatis: motio autem illa sit allectatio seu complacentia primus effectus finis, ex quo homo semper agit.

Nihilominus probatur 1°. ex Scripturâ Can. 1. *Oleum effusum nomen tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum.* Hic fidelis anima, Christi sponsa dicit sponsum suum voluntates suavitate suâ & fragrantiâ in sui amorem allicere. Hinc gratia 1. Joan. c. 2. simpliciter dicitur unctio. Psalm. 20. *Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Psalm. 50 *Redde mihi lætitiam salutaris tui.* Rogat æger, cui ex morbo, scilicet peccati, panis erat pœna, ut cum pristinâ delectatione illum degustet. Psalm. 85. *Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.* Psalm. 118. v. 66. ubi legimus, *Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me*, S. Augustinus legit, *suavitatem, & eruditionem, & scientiam doce me*, scribitque, *qui jam dixerat suavitatem fecisti cum servo tuo, quomodo dicit, Suavitatem doce me, nisi ut ei gratia Dei magis magisque innotescat dulcedine bonitatis?* Matth. 11. Christus gravi cupiditatum jugo oppressos vocat & allicit suavitate mandatorum suorum, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos .... jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Ex quibus clarè elucet insigni impietate & blasphemiâ non posse dici doctrinam esse Epicuream, & à magistratu puniendam, bonum honestum non movere voluntatem, nisi ei placeat, eamque suavitate suâ delectet.

Probatur 2°. ex S. Augustino, qui in hæc verba, 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*, sic scribit Tractatu 26. Joan. *Noli cogitare te invitum trahi;*

trahitur animus & amore. Si Poëtæ dicere licuit, Trahit sua quemque voluptas; *non necessitas, sed voluptas: non obligatio, sed delectatio; quantò magis fortiùs nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitiâ, delectatur sempiternâ vitâ quod totum Christus est?* lib. 2. ad Bonifacium cap. 9 *Tunc bonum concupisci incipit, cùm delectare incipit in quâ dulcedinis gratiâ si nos non prævenit Deus, non solùm non perficitur bonum, sed nec inchoatur ex nobis.* Lib. de Gratia Christi cap. 13. *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solùm per eos, qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus.* Et nonnullis interjectis sic pergit sanctus Doctor, *Justitia ex Deo dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, ut non sit terribile, sed suave mandatum, sicut oratur in Psalmo:* Suavis es, Domine, & in tuâ suavitate doce me justitiam tuam, *id est, ut non formidine pœnæ serviliter cogar esse sub lege; sed liberâ charitate delecter esse cum lege... & hoc modo quisquis discit, agit omnino quidquid agendum didicerit.* & cap. 24. *legant ergo & intelligant, intueantur atque fateantur non lege atque doctrinâ insonante forinsecùs, sed internâ & occultâ, morabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.* Lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. circa finem, *restat ergo, ut voluntates eligantur; sed voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet, atque invitet animum*, MOVERI NULLO MODO POTEST. *Hoc autem ut occurat, non est in hominis potestate.* & lib. de spiritu & litteri c. 3. *necesse est ad bene vivendum, ut homo accipiat Spiritum-sanctum, quo fiat in animo delectatio, dilectioque*

summi illius atque incommutabilis boni. Sine hâc delectatione frustra veritas innotescit, *quando*, inquit ibidem, *veritas cœperit non latere, nisi etiam delectet, non suscipitur.*

Tria igitur certa sunt apud S. Augustinum. 1°. Deum operari in cordibus hominum, non solâ veritatis revelatione; non scientiâ mediâ captante opportunas occasiones; sed internâ & occultâ, mirabili ac ineffabili potestate. 2°. Deum sic operando allicere & trahere voluntatem suavitate ac delectatione. 3°. Voluntatem moveri non posse, nisi occurrat, quod eam delectet, *quado veritas cœperit non latere, nisi etiam delectet, non suscipitur.*

Probatur 3°. ex communi hominum sensu; omnes enim docti & indocti, sapientes & insipientes gratiam Dei mente apprehendunt, ut suavitatem quamdam, quâ Deus inclinat corda nostra ad ipsum diligendum, & mandata ejus observanda. Enimverò, cùm ex dictis à naturâ sic comparati simus, ut bonum nec velle nec amare possimus, nisi placeat, quid virulenti excogitari potest in dono, quo nobis suavis sit Dominus & mandata ejus desiderabilia super aurum & topazion? Certè nullus ita malè sentit, nisi qui naturam damnat tanquam à malo principio conditam. Sed fortè communis sententia non carpitur ex eo capite quòd juxta eam gratia sit præveniens boni complacentia, suavitas, illectatio & delectatio; insanus enim esset, nedum impius hujusmodi error; sed ex eo quòd illa delectatio asseratur victrix & infallibiliter (non tamen necessariò, ut volunt Calvinus & Jansenius) voluntatem determinans. Non audent quidem nonnulli delectationis victricis hostes gratiam per se efficacem palàm apertè impugnare, sed dissimu-

lanter sub nomine delectationis & blandæ motionis, quasi sub eo lateat virus Janseniani erroris; timent enim ne adversùm se concitent integras Augustinianorum & Thomistarum Scholas, videaturque in ipsis impletum, quod prædixit Sapiens Eccli. 11. v. 36. *Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & alienabis à tuis propriis.* Quid enim Scholæ Catholicæ nisi antiqua Augustianorum & Thomistarum possessio? Novam Molinæ Scholam admiserunt, cum eâ pacificè hactenus egimus, & agemus quandiu Sedes Apostolica ejus dogma non damnaverit. Sed novi insurgunt pacis inimici, bellum indicunt antiquis scholis, & in turbine seu fidelium commotione eas à propriis abalienare conantur, fingentes delectationis nomen aliquid virulenti continere, ut solum Molinæ dogma iis dominetur. Hinc est quòd in prævenientis delectationis nomen, usum & necessitatem curiosiùs inquisierimus, demonstraverimusque hujusmodi nomine, aliud non significari quàm voluntatis motionem, complacentiam, propensionem, illectationem, piam affectationem; quam omnes admittunt necessariò præviam omnibus actibus deliberatis, ut jam controversia esse non possit, nisi circa secundam nostræ responsionis partem, quæ est de efficaciâ victrici & moraliter determinante. Itaque.

Secunda pars probatur 1°. ex omnibus Scripturæ & Patrum testimoniis, quibus suprà cap. 6. parag. 1. demonstravimus in hoc statu existere gratiam efficacem; expendenti enim ejusmodi testimonia, quæ frustra hîc exscriberemus, evidens fiet dari in hoc statu gratiam per se efficacem. Quid clarius verbis S. Augustini mox laudatis ex cap. 24. lib. de Gratiâ Christi, *intueantur atque fateantur non lege atque doctrinâ in-*

sonante forinsecùs, sed internâ & occultâ, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solùm veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.

Probatur 2°. ratione triplici.

Prima in hunc modum urgetur à M. Grandin qu. 2. de divisione gratiæ art. 3. sect. 3. conclusione secundâ tantum tribuendum est gratiæ efficaci quoad determinationem ad bonum, quantum tentationi gravi quoad determinationem moralem ad malum; nullus enim negaverit Deum per gratiam suam plus posse in cordibus hominum, quam Dæmonem per concupiscentiam, *Si* (Deus) *potens est*, inquit S. Augustinus lib. de Grat. & lib. arbit. cap. 21. *sive per Angelos, vel bonos vel malos, sive quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum quorum malitiam non ipse fecit .... quid mirum est, si per Spiritum-sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona?* Atqui Dæmon nonnunquam determinat moraliter: cùm Dæmonem dico, concupiscentiam dico: nec tamen deest libertas; verba sunt ejusdem Theologi, qui sic concludit: *Ergo Deus salvâ libertate moraliter determinare potest. .. Quòd eò fortiùs intelligitur à Deo fieri posse, quòd non exteriùs solùm, sed etiam interiùs docere potest, ac dirigere intellectum, quòd imprimere voluntati affectiones supernaturales, &* SUAVITATEM *attrahentem moraliter, directè & immediatè influendo in facultates spirituales animæ:* Ex quibus Theologi verbis sic argumentari licet: Deus per gratiam suam eo modo operatur in cordibus, voluntatesque moraliter determinat ad bonum, quo Dæmon per concupiscentiam moraliter determinat ad malum: atqui Dæmon per concupiscentiam moraliter determinat ad malum suaviter alliciendo: Ergo Deus mora-

liter determinat ad bonum per gratiam blandè ac suaviter attrahentem. Hæc doctrina laudatur à Patribus Societatis Jesu in Diario Trevoltiensi, doceturque in Seminariis S. Lazari & Sulpitii.

Secunda ratio, eaque efficacissima, & ad captum etiam muliercularum & idiotarum, in formâ sic proponitur. Deus omnipotentissimâ suâ voluntate idem potest in ordine supernaturali, quod efficit in ordine naturali; quid enim obstaret? Atqui Deus in ordine naturali eum timorem mortis temporalis, & amorem vitæ corporeæ in naturâ impressit, qui illæsâ libertate, nos moraliter & invincibiliter determinat ad rejicienda quæ certò & evidenter mortem inferrent; & ad ea usurpanda, in quibus vitam positam esse constat: docti & indocti, omnes ita se affectos esse sentiunt; nullus sanâ mente ultrò se projiciet in fornacem ardentem aut è superiori domo se præcipitem dabit; illud tamen cuique liberum est; alioquin à peccato excusandi essent, qui metu mortis pejerant, aut veram religionem abjurant. Ergo vel ipsi idiotæ intelligunt optimè conciliari liberum arbitrium cum determinatione morali: ergo nihil repugnat, quominus Deus infundat in cordibus nostris hinc efficacem gehennæ metum, inde victricem amorem seu suavitatem suorum mandatorum. Quis enim affirmare audeat Deum sapientissimum plus dedisse homini quo salutem corporis conservet quàm electis suis, quo peccatum mortale infallibiliter vitent, & in justitiâ quæ est supernaturalis vita animæ, insuperabiliter perseverent? Præter generalem concursum, indidit naturæ fragili horrorem mortis, & impotentem vivendi appetitum, quibus

urgemur determinamurque, salvâ libertate, ut omnes experiuntur, ad depellenda, vel declinanda quæ noxia sunt saluti corporis: secundùm autem Molinam qu. 14. art. 14. disput. 10. æternam nostram salutem ita posuit in manu liberi arbitrii, ut infirmis nonnisi generale gratiæ sufficientis auxilium præbeat. Absit *Fortissimo* (Adamo) *dimisit, atqui permisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante, invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Sanctus Augustinus lib. de cor. & grat. c. 12.

Tertia ratio. Illa doctrina est ceteris præferenda, in quâ omnes Scholæ Catholicæ conveniunt: hæc propositio absque temeritate negari non potest. Atqui omnes Scholæ Catholicæ, solâ Molinæ recèns natâ dissentiente, conveniunt efficaciam gratiæ consistere in suavitate, seu delectatione victrici, salvâ libertate, quam indifferentiæ vocant. Ergo.

Minor, cùm tota versetur circa factum, testibus probari debet. Ex innumeris autem gravissimus & locupletissimus proferetur.

R. P. Massoulierus Thomista celeberrimus ob singularem tum pietatem, tum eruditionem, qui in libro, cui titulus est, *S. Thomas, sui Interpres*, tit. 1. disp. 1. quæst. 7. art. 4. pro scholâ suâ sic testatur, *quæstio est, de quâ modò non agitur, utrùm major illa motio physica requiratur vel blandior moralis sufficiat, vel quòd utraque*, UT NOS VOLUMUS, *requiratur; physica, ut fortiter; moralis, ut suaviter voluntas moveatur.* & dissert. 1. *de motione divinâ* quæ. 7. art. 4. *præter motionem moralem*, QUAM NEMO NEGAT, *majorem alteram, & diversæ omnino rationis, id est, physicam admissam fuisse à S. Thomâ, & reverâ admitti debere,*

&c. Omnes ergo Thomistæ conveniunt cum aliis Theologis circa delectationem seu blandiorem motionem; & in eo solo ab iis discrepant, quòd præter suavem illam motionem, physicam requirant.

Ergo doctrina de blandâ motione non est recèns invecta in Scholam Thomistarum, sed in eâ semper obtinuit: tum quia Thomistæ docent necessariam esse præmotionem physicam, sicut aliæ Scholæ concursum simultaneum, ad omnes actiones sive bonas, sive malas: unde si à præmotione physicâ separanda sit suavis motio, proditio Judæ æquè erit opus Dei, ac confessio sancti Petri; ad utramque enim Deus æquè præmovit: atqui hæc est insignis blasphemia Lutheri & Calvini. In eo ergo distat præmotio physica ad opera mala, à præmotione physicâ ad opera supernaturaliter bona; quòd illa non faciat voluntatem malam, sed supponat eam ex propriâ malitiâ paratam, & quasi in procinctu ad malè agendum, si Deus præbeat concursum aut præmotionem physicam, quæ exigentibus causis secundis non denegat absque miraculo, utpote causa universalis. Contrà præmotio physica ad opera supernaturaliter bona, voluntati majores tribuit vires; dat ipsum velle liberum, tumque agit Deus non modò ut causa universalis, sed etiam ut particularis, tribuens bonam voluntatem, eamque blandè ac suaviter convertens, si priùs fuerat aversa movensque ad boni dilectionem aliàs quid absurdius dici potest, quàm voluntatem peccatoris à Deo invitam & renitentem physicè trahi ac præmoveri ad bonum supernaturale?

Sed quid virulentius habet blanda motio pe-

se efficax, quàm phæsica præmotio? illud scilicet, inquies, quòd prior se teneat ex parte potentiæ, illamque compleat; ex quo sequitur nullam dari gratiam verè sufficientem, qualem prædicant Catholici; cùm nulla gratia absque blandâ motione victrici completas vires tribuat voluntati: posterior verò se teneat ex parte actûs, voluntatemque jam satis validam solummodo applicet ad opus.

Qui ita differeret, videtur ignorare prima elementa, quæ huic Tractatui præmitti solent in Scholis Catholicis, & nos præmisimus, nimirùm commune esse gratiæ tum sufficienti, tum efficaci, conferre vires operi faciendo accommodatas; proprium autem esse gratiæ efficacis infallibiliter applicare ad opus, eo ferè modo, quo gravis & vehemens oratio patris ad filium à naturâ ad litterarum studia apprimè institutum, aut heri ad famulum viribus & industriâ valentem, sed utrumque pigrum & otio torpentem movet ac determinat ad ea quæ sunt sui officii, strenuè præstanda; sicut enim ejusmodi oratio animos sive filii, sive famuli ita ad laborandum incendit, ut absque ejusmodi incitamento desides remanerent, licèt sufficientibus viribus instructi: similiter gratia efficax superveniens homini gratiâ sufficienti adjuto indormientem excitat, & ad actum infallibiliter determinat; gratia enim sufficiens, ut suprà dicebamus, est actuale Dei auxilium, quo voluntas redditur potens ad implendum præceptum; alioquin si inchoatas duntaxat vires tribueret, verè sufficiens non foret, sed prorsus insufficiens. Ita omnes Catholici adversùs Jansenium. Sed voluntas sic instructa & roborata, præ infirmitate hujus statûs, vires divinitùs acceptas non exeret,

ut poteſt & debet; niſi Deus efficaciori modo excitet, & ad agendum determinet. Quàm autem hæc doctrina Scripturæ Sacræ ſit conſentanea, vel ex eo patet, quòd animis noſtris ſine ullâ intermiſſione inculcet ſemper orandum, quia gratiam efficacem, etſi non cadat ſub meritum de condigno, ut communiter docent Theologi, aſſiduis tamen precibus impetrare poſſumus; Deus enim petentibus, quærentibus, & pulſantibus miſericorditer concedit, quod eorum meritis retribuere non tenetur.

Hinc eſt, quòd Propheta, qui pſalmo 118. confeſſus eſt Domino, *Bonitatem*, ſeu *ſuavitatem feciſti cum ſervo tuo*, ſtatim ſubjungat, *Bonitatem*, ſeu *ſuavitatem*, *& diſciplinam*, *& ſcientiam doce me*, quem locum expendens S. Auguſtinus ſerm. 17. in eumdem pſalmum, ſic habet, *qui jam dixerat*, Suavitatem feciſti cum ſervo tuo, *quomodo dicit*, Suavitatem doce me? *niſi ut ei gratia Dei magis magiſque innoteſcat dulcedine bonitatis. Habebant enim fidem, qui dixerunt: Domine, auge nobis fidem Et quandiu vivitur in hoc mundo, proficientium eſt iſta cantatio .... Cum quo ergo Deus facit ſuavitatem, id eſt, qui propitius inſpirat boni delectationem .... profectò inſtanter orare debet, quò tantum ſibi augeatur hoc donum.* Doctrina adeo Chriſtiana, pietatem aut humilitatem tota ſpirans, cohæret-ne cum quorumdam auctorum dogmate? Duo enim complectitur hujuſmodi dogma; primum, quòd gratia ſit verſatilis ad nutum voluntatis, dicaturque efficax vel ſufficiens ab eventu: efficax quidem, ſi voluntas conſentiat; ſufficiens verò, ſi diſſentiat. Alterum, quòd gratia ſufficiens ſemper præſto ſit in ordine ſupernaturali: ſicut concurſus generalis in ordine naturali; ut vo-

luntas velit aut nolit, prout placuerit; & eâ ratione semper in manibus liberi arbitrii posita sit salus nostra. Verba sunt Molinæ quæst. 14. art. 13. disp. 10. Quæ si ita sunt, quæ major necessitas gratiam à Deo instanter petendi, quàm concursum generalem? Annon potiùs geminandæ sunt preces pro concursu generali, qui impediri potest à causis secundis, quàm pro gratiâ actuali, quam Deus ubique diffundit independenter à concursu causarum secundarum? Quare meritò ejusmodi dogma excluditur à Scholis Patrum Societatis Jesu, ex Decreto Generalis eorum Præpositi Aquaviva anno 1613. nec hactenus irrepsit in Scholas Academiæ Parisiensis. Sed agimus hîc causam Thomistarum, non nostram; satisque nobis est, quòd demonstraverimus efficaciam gratiæ in mente S. Thomæ & ejus Scholæ esse non posse sine victrici delectatione.

Quæ verò sit aliarum Scholarum sententia circa efficaciam gratiæ, exponit Eminentissimus Cardinalis de Bissy Meldensium Episcopus in suo mandato ad Clerum anno 1710. pag. 175. *Il y a d'autres Theologiens Catholiques que les Thomistes, qui croient que la grace efficace détermine par elle-même la volonté au bien; mais ils font consister son efficacité dans un plaisir victorieux de celui de la cupidité; & ils soûtiennent communement que la détermination de cette grace n'est que morale. Selon les mêmes Theologiens les graces des deux états sont differentes; celles de l'état d'innocence ne donnoient que le pouvoir de faire le bien; au lieu que dans l'état present il y a deux sortes de graces interieures; les unes donnent le pouvoir de faire de bonnes œuvres, & les autres les font pratiquer. Les mêmes Theologiens ajoûtent que sans ces dernieres, on ne les fera jamais.* Similia habentur in Manda-

to Illustrissimi Episcopi Noviomensis, nunc autem Archipræsulis Rothomagensis, an. 1708. *Si la Théologie en question se renferme uniquement à dire, que la nature de la grace efficace consiste dans une delectation victorieuse, on ne lui en feroit aucun reproche: puisqu'il y a des Théologiens Catholiques, qui sont dans le même sentiment.*

Quinam, inquies, sunt illi Theologi? R. Omnes ita sentiunt, iis duntaxat exceptis, qui Molinæ dogma absque Suaresii temperamento amplexi sunt; qui enim Congruistæ vocantur, efficaciam gratiæ in delectatione victrici vel reponunt, vel reponi posse agnoscunt. Probatur responsio ex celeberrimis cujusque ScholæTheologis, qui ante & post Jansenium scripserunt.

Cardinalis Toletus è Societate Jesu fato functus anno 1596. expendens illud Apostoli Galat. 1. *Cùm ei placuit .... vocavit per gratiam suam* sic scribit annotat. 54. in cap. 5. Lucæ, *Non dicit Paulus, quando novit me obediturum, sed quando illi placuit; quoniam per gratiam me vocavit. Non expectat Deus semper arbitrium nostrum; quia suâ gratiâ ipsum excitat, ipsique dat velle & perficere, & qui etiam rebelles convertit & compellit voluntates. Tunc ergo vocavit, quando illi placuit; & si antè vocasset, utique respondisset & obtemperasset .... Potest autem intelligi Chrysostomus* (qui Homil 31. in Matth. ait Christum vocasse Discipulos, quando obtemperaturos sciebat) *nimirum per ipsius gratiam; sciebat enim quando ipse operaturus erat in eis .... Existimo nimirum tunc vocasse discipulos multos, & præsertim Matthæum, quando plus erant impediti, magisque detinebantur, ut venient .... Sic Paulum vocavit quando in viâ erat, nec prævenit profectionem ejus, priusquam accepisset litteras à Summo Sacerdote, & vocavit dum opus fervebat, minùsque ad obsequendum paratus erat.* & in

cap. 11. ad Romanos annot. 4. *Augustinus existimat totum esse gratiæ; quia Deus facit hominem cooperari,& determinat liberum arbitrium hominis, quia dat, ut velle possit; & facit velle.*

Cardinalis Bellarminus etiam è Societate Jesu, pro quâ militavit in famosis Congregationibus de Auxiliis lib. 4. de Gratiâ & libero arbitrio cap. 16. hæc habet: *Altera ratio conciliandi libertatem humanam cum operatione divinâ, & fortasse etiam probabilior est juxta sententiam sancti Thomæ, qui docet cooperationem divinam ita concurrere cum secundis causis, etiam liberis, ut non solum eis dederit & conservet virtutes operatrices, sed etiam eas moveat & applicet ad opus ... quæ sententia videtur valde consentanea tum Scripturæ ... tum etiam rationi & ordini, quem habet prima causa cum secundis.*

Martinès de Ripalda ex eâdem Societate, Theologiæ Professor in Academiâ Salmanticensi, cujus opera Lugduni typis mandata sunt anno 1666 lib. 5. de Auxiliis supernaturalibus gratiæ disp. 109. sect. 2 sic scribit: *Supponimus dari quoad actus liberos impossibilitatem moralem conjunctam cum possibilitate physicâ .. .. quærimus autem, an ea impossibilitas moralis intercedat ex vi impulsûs gratiæ quoad dissensum ipsius.* Ad quam quæstionem sic respondet: *Communis Theologorum sententia affirmat; quin nec noverim unum, qui negat. Quod stabilire promptum est ex sacris litteris, Ecclesiæ Patribus, Theologicisque rationibus.* 1°. *Quia ad moralem Dei providentiam & potentiam spectat, ita subdere sibi arbitrium creatum ut possit ab eo certò certitudine objectivâ tenente se ex parte gratiæ obtinere consensum, quando & quomodo Deus voluerit: ad id Deus non posset, si motio gratiæ non posset reddere dissensum moraliter impossibilem.* Tum refellens Congruitas, sic pergit, *Satis disertè*

exprimunt Patres, eam potestatem in virtutem intrinsecam divinæ gratiæ referendam, item eam esse omnino antecedentem necessarium consensum: sicut est alia quævis potestas, quæ in commendationem divinæ potentiæ à Patribus prædicatur ... 2°. Possunt cogitationes & affectiones boni delectabilis reddere dissensum nostræ voluntatis moraliter impossibilem, ut concors est omnium Theologorum sententia. Ergo etiam cogitationes & affectiones boni honesti; tum quia non est minùs potens in bonum impulsus Dei, quàm impulsus dæmonis, & naturæ in malum: tum quia bonum honestum secundùm se non est minùs amabile à voluntate rationali, quàm bonum delectabile. Ac tandem sectionem sic concludit. *Porrò vis intrinseca gratiæ reddens moraliter impossibilem dissensum, potest in multa capita referri,* & pluribus enumeratis sic pergit, *Denique, quod maximi momenti est,* IN VEHEMENTEM ET INGENTEM AFFECTIONEM ET DELECTATIONEM VOLUNTATIS *in objectum & consensum honestum, quam Deus sine fine potest augere.* Notum est omnibus opus de ordine, seu de priori & posteriori Remis cusum anno 1640. in quo Claudius Tiphaine, insignis Societatis Jesu Theologus, Parisiis Theologiæ Professor in Collegio Claromontano, deinde variorum Collegiorum Rector, Cancellarius in Academia Massi pontana, ac demum Provinciæ Campanæ Præfectus, ex professo confutat Molinæ & Suaris dogma, stabilitque gratiam per se efficacem, cùm nondum editus fuisset famosus Jansenii liber. Sed priusquam ad alias Scholas transeamus, pergam referre aliquos è celeberrimis Societatis Jesu Theologis, qui ante & post Jansenium floruerunt, agnoveruntque gratiam per se efficacem & moraliter determinantem non pertinere liberum

arbitrium, licitèque posse propugnari, quamvis Molinæ dogmati adhæserint.

Quin ante aliquot annos P. Garnier in eodem Collegio eamdem doctrinam publicè profitebatur, & novissimè, hoc est anno 1703. P. Tournemine in eodem Collegio, hanc thesim propugnandam proposuit, *hujus* (gratiæ) *efficacia in eo consistit, quod si illecebra major, adeoque causa consensùs, non necessariò quidem, sed tamen certò futuri ... gratiæ efficaci resisti potest, quia non est summi boni præsentiâ; nunquam resistitur quia est majoris boni illecebra.* & in appendice septimâ de gratiâ sufficienti sic habet, *Gratia inefficax sufficientis & rem & nomen habet, quod ad bonitatem boni operis sufficiat; liberum enim arbitrium, etiamsi majorem illecebram sequatur perpetuò minorem nunquam non sequi potest.*

Suaresius lib. 3. de Auxiliis cap. 10. hæc habet: *Difficultas magna superest; an possit hæc determinatio* (gratiæ) *pervenire ad summum quemdam gradum, in quo sit exacta certitudo, & infallibilis conuexio talis effectus cum tali causâ, scilicet consensûs liberi voluntis cum excitatione divinâ, ex solâ efficaciâ morali talis excitationis .... Dicendum senseo posse pervenire in hâc determinatione ad moralem infallibilitatem, quæ simpliciter dici possit numquam deficere, non tamen ad metaphysicam, ut sic dicam infallibilitatem, id est, ita exactum, ut repugnet deficere .... Morale est, ut voluntas se sinat ferri à vehementi propensione, maximè si ex parte intellectûs objectum aptè proponitur, & avertuntur ea, quæ impedire possunt quod facilè potest efficere divina gratia ... sicut ex parte alterius extremi; scilicet quando excitatio est minima, & indispotio, seu obduratio nimis magna, licèt moraliter sit infallibile talem hominem induratum non converti, non tamen simpliciter, seu metaphysicè.*

Tannerus ex eâdem Societate magni nominis Theologus de Gratiâ sic scripsit ante Jansenium dub. 4. qu. 2. disput 6. *Dici potest gratia vocans voluntatem efficaciter determinare ad consensum ob ipsam per se intrinsecam vim & efficacitatem .... sive quia ob ipsam magnitudinem & vehementiam , etiam in ratione entis adeo potens est ut quamvis absolutè & physicè ei resisti possit , moraliter tamen impossibile sit eidem resistere. Atque hæc sententia est , quam hoc secundo loco commemoravimus , & quam etiam (absque tamen Auctoris nomine) referunt* Suarès *lib. 3. de Auxiliis , cap. 10. num. 5. &* Mascarenas *disput. 3. num. 6. At verò quamvis hæc sententia libertatem arbitrii ipsiusque consensûs in præviam Dei vocationem utcumque tueatur , & verè satis propriè asserat per gratiam efficacem hoc modo explicatam moraliter determinari voluntatem ad consensum , si quidem verè ac propriè dicitur aliquis moraliter determinare alterum ad peccandum , qui seu vehementer urgendo , & opportunè suadendo , vel etiam blanditiis lenociniis , quibus resistere difficile fuerit , alterum ad peccandum traxit : ob alias tamen causas meritò refellitur à citatis Suarès & Mascarenas.*

Meratius in eâdem Societate Theologiæ Professor , qui opus Theologicum , ut ipse testatur , edidit rogantibus sibi addictis Theologis Parisiensibus , disputatione 6. sectione 15. de gratiâ ad calcem admittit ut probabilem sententiam de gratiâ per se efficaci moraliter determinante. Sic P. Daniel in suo opusculo de efficaciâ gratiæ : sic P. Perrin in suo Manuali 1. p. c. 5. de scientiâ media , ubi agnoscit juxta Theologos Parisienses Deum videre futura conditionata in suis decretis efficacibus , admittereque gratiam per se & ex naturâ suâ efficacem , non autem ex consensu voluntatis , aut

ex circumstantiis per scientiam mediam prævisis. & cap. 8. de gratiâ efficaci pag. 153. devictrici delectatione sic scribit : *Quando gratiam efficacem vocat* (S. Augustinus) *victricem delectationem, nihil aliud vult, quàm quod fatentur omnes Catholici, Deum scilicet suâ præveniente gratiâ efficere, ut, quamvis liberè infallibiliter tamen, & indeclinabiliter voluntas humana operetur bonum.* Quin ipse Molina excogitatum à se dogma ita proposuit, ut oppositum nusquam damnaverit.

Atque hæc testimonia ex Schola Molinæ sufficiant.

Ex Scotistarum Scholâ duo testes omni exceptione majores profero, scilicet Cardinalem Laurea & Franciscum Macedo.

Cardinalis igitur Laurea, quem singularis eruditio, & vitæ integritas ad eminentissimam illam dignitatem evexerunt, sic scribit in opusculo de gratiis actualibus cap. 7. parag. 339. *In sententiâ S. Augustini gratia quâ, seu auxilium quo, est illa gratia, quæ ita allicit aut delectat, atque trahit voluntatem ad opus bonum faciendum, ut non solùm det ei posse facere, sed faciat infallibiliter facere.* Similia habet cap. 8. 12. 13. & 14.

Franciscus Macedo Minorita, & Consultor in Inquisitione Romanâ anno 1668. hoc est, priusquam Jansenii opus de gratiâ prodiisset; tanto plausu Theologiam Romæ docuit, ut Serenissima Venetiarum Respublica nihil prætermiserit, ut Academia Patavina tanti viri præsentiâ & doctrinâ decoraretur : sic autem habet Thesi 46. *Gratia efficax in delectatione supernaturali consistit.* & Thesi 69. *Efficacia gratiæ in propriâ virtute intrinsecâ ipsius gratiæ victrici sita est, cujus victoria in delectatione & suavitate consistit.*

De Augustinianorum Scholâ nullum potest esse dubium, cùm dogma quod hîc propugnamus, sit ipsi veluti proprium; testimonium tamen Cardinalis Noris prætermittendum non est, cùm ejus doctrina calumniis obtrectatorum, velut aurum in fornace, adeo probata fuerit, ut propterea Innocentius XI. in sacrum Cardinalium Collegium cooptandum judicaverit. Hic autem Eminentissimus Cardinalis in opusculo, cui titulus est, *Calumnia Jansenismi sublata*, dissert. 5. cap 1. & in vindiciis Augustinianis cap. 6. impensè laudat citatum caput septimum & cap. 13. Cardinalis Laurea, eamque doctrinam confirmat auctoritate Consultorum in Congregationibus de Auxiliis, qui omnes, uno excepto, gratiam per se efficacem tuebantur, quod ipsi constituisse affirmat ex genuinis actis earumdem Congregationum, scriptis scilicet propriâ manu P. Coronelli ejusdem secum Ordinis S. Augustini, qui in Congregationibus de Auxiliis Scribæ officio fungebatur.

Ergo Romæ & in Italia communis est doctrina, efficaciam gratiæ in delectatione victrici consistere. Videamus jam quæ sit Gallorum sententia. Certò id colligemus ex Academiâ Parisiensi, utpote quæ conflatur ex omnibus Regni Provinciis: atqui P. Perrin suprà laudatus testatur Theologos Parisienses docere gratiam per se & ex natura sua esse efficacem, non autem ex consensu voluntatis, aut ex circunstantiis per scientiam mediam prævisis. Sed præter testimonia extrinseca, audiendi sunt ipsimet Theologi Parisienses, præsertim qui à centum annis in Scholis nostris Sorbonicis successivè docuerunt.

Isambertus noster, Professor Regius tracta-

tum de gratiâ in Scholis Sorbonicis legebat, priusquam prodiisset Jansenii liber. Sic autem ordinetur quæstionem de efficaciâ gratiæ disp. 6. art. 2. pag. 411. *& quia piæ memoriæ Summus Pontifex Clemens VIII. die 20. Martii anno 1602. declaravit Congregationi vulgò dictæ* de Auxiliis, *ut referunt qui hoc ipso die Congregationi aderant, mentem ejus esse restringere totam disputationem de gratiâ efficaci ad normam & regulam doctrinæ S. Augustini: tum quod ipsa Ecclesiæ acies ita per 20. annos dimicavit pro gratia contra Palagianos, ut illo duce vocerit . . . tum quòd S. Augustinus adeo fuit eruditus & versatus in iis, quæ spectant ad gratiam, ut nihil eorum videatur omisisse : tum denique quia alii omnes Summi Pontifices* (quos longâ serie refert) .... *acres fuerunt assertores & vindices doctrinæ S. Augustini de gratiâ tanquam verissimæ, ita & nos conabimur sinceram hujus gratiæ naturam exprimere juxta mentem S. Augustini.* His promissis celebris ille Theologus primo loco rejicit Molinæ sententiam, *Probatur*, inquit p. 417. *ex variis S. Augustini testimoniis, quibus docet ipsam efficaciam gratiæ esse quemdam effectum divinæ omnipotentiæ : at si hæc efficacia esset à consensu voluntatis, illa non esset referenda ad omnipotentiam Dei.* Pag. 420. adversùs præmotionem physicam hæc habet, *Efficacia gratiæ prævenientis non consistit in aliquâ qualitate, etiam per modum fluentis à Deo impressâ voluntati, illam prædeterminante physicè* : & adversùs Congruistas pag. 438. *gratia efficaciter excitans, præcisè propriè & formaliter loquendo est efficax in actu primo ex ipsâ ratione sibi intrinsecâ, & non ex aliquâ scientiâ*, pag. 414 statuit suam sententiam his verbis, *tandem gratia illa, quâ intellectus sic illuminatur, ut quod latebat, aperiatur* ; QUOD ANTEA NON DELECTABAT, ITA SIT SUAVE VOLUNTATI, UT HÆC PER IL-

LAM

LAM RE IPSA VINCAT *quidquid occurrit in oppositum, & quâ etiam omnia externa impedimenta tolluntur, vel de facto superantur, est entitativè major eâ gratiâ, quæ solùm illuminat intellectum, delectat quidem voluntatem, non tamen reddit illam reipsâ victricem eorum, quæ in contrarium ei opponuntur.* Pag. 334. docet ejusmodi gratiæ efficaciam non excludere libertatem, *Consensus*, inquit, *in gratiam vocantem, sic sequitur infallibiliter, ut tamem liberè, & absque necessitate exerceatur, etiam cùm potentiâ ad dissensum ponendum, qui nihilominus nunquam de facto ponetur.*

Ergo in mente Isamberti omnis gratia, sive sufficiens, sive efficax, consistit in suavitate, seu delectatione, cum hoc tamen discrimine, quòd voluntas per sufficientem, etsi possit, actu tamen non vincat difficultates: per efficacem verò insuperabiliter operetur, liberè tamen, & minimè necessariò.

Denique cùm Isambertus eamdem difficultatem sibi proposuisset, quam ego mihi p. 535. nimirum delectationem illam victricem esse ipsammet Thomistarum, præmotionem physicam, difficultatem sic solvit, *Respondetur in actuali gratiâ efficaci duo posse distingui: primum est ipsa tanta & tam perfecta entitas, sic illustrans intellectum, & movens affectum voluntatis: alterum est modus, quo hæc gratia agit in voluntatem, ut trahat illam ad assensum. Primum, quia est ita aliquid morale, ut tamen sit etiam aliquid physicum, reale, rectè potest attribui omnipotentiæ Dei .. At si consideremus modum illum, quo hæc gratia agit in voluntatem ejus, qui vocatur à Deo, ille est tantùm moralis, & non efficiens physicè.*

Gasto Chamillart, è Societate Sorbonicâ Professor Regius, quem omnes norunt fuisse orthodoxæ fidei adversùs Jansenii doctrinam vin-

dicem acerrimum, paulò post Isambertum sic docuit in nostris Scholis quæst. 2. sect. 11. *Hæc gratia ita apta est, ita attemperata potentiæ, ita eam suaviter allicit, ut, quamvis voluntates absolutè loquendo possit resistere, nunquam tamen resistat; sed gratia semper infallibiliter, insuperabiliter, indeclinabiliter, irrefragabiliter operetur suum effectum.*

M. Grandin aliàs Sacræ Facultatis Syndicus, ac tandem Decanus, & per quinquaginta circiter annos Theologiam in nostris Scholis professus, sic docet Tractatu de Gratiâ quæst. 1. sect. 3. conclusione 1°. *Ratio constituens gratiam efficacem non est consensus.* & conclusione 2ª. *posset in eo constitui ratio gratiæ efficacis, ut ex suâ entitate determinaret moraliter: & reipsâ nonnumquam talis conceditur: tamen ubique necessariò admittenda non est.* Tres sunt hujusce conclusionis partes. Tertiam, insignis ille Theologus probat, quia experiuntur justi se gratiæ interdum consentire; licèt non ita vehementer inclinentur in consensum, ut moraliter loquendo resistere non possint. Sed meo judicio, levioris est momenti ista ratio; quia gratia nonnunquam immotis, quin & reluctantibus sensibus, tam secretè & latenter operatur in cordibus justorum; ut ipsimet non advertant, doleantque vehementer, quasi pristinum virtutis studium remiserint, utpote qui fervidum illum dilectionis impetum, & sensibilem contritionis vehementiam, quibus initio conversionis incitabantur, minùs in se sentiant, cùm interim voluntas eorum toto suo pondere feratur in Deum, ingentium fluviorum instar, qui ad mare properant absque illo murmure ac sonitu quem edunt rivuli, sed lapsu ita silenti, ut vix labi ac fluere, imò & residere videantur, cùm tamen volvantur tantâ vi, tantoque pon-

dere, ut obvia quæque evertant, ac secum trahant. Sed quidquid sit, idem Auctor in primâ suæ conclusionis parte convenit cum omnibus Theologis, quos laudavimus; in secundâ nostram sententiam confirmat; & ad objectionem, quam sibi proponit adversùs primam partem conclusionis, his verbis respondet: *cum determinatione morali cohærere potest indifferentia physica.* Testimonium hujusce Theologi quis audeat elevare, cùm scripta ejus laudentur in litterariis diurnis Trevoltii, & legantur in celeberrimis Seminariis S. Lazari & Sulpitii Parisiorum.

Guillemus de Lestocq, professor Regius in Scholis Sorbonicis per annos 49. quæstione 5. de gratiâ efficaci artic. 2. assertione ultimâ hæc habet: *Virtus intrinseca, quæ reddit gratiam per se efficacem nihil aliud est, quàm magna quædam suavitas & dulcedo, seu victrix quædam delectatio, quæ reperitur in actibus indeliberatis voluntatis & intellectûs.*

Hos Theologiæ Professores laudavi præ aliis qui magis fuerunt addicti Thomistarum dogmati, ut M. M. Desperieres, Robert, & Pirot, ut magis constet dogma gratiæ per se efficacis hactenus obtinuisse in Scholis Sorbonicis, ex quibus tanquam ex fontibus hauserunt non solùm Baccalaurei, qui eamdem doctrinam in suis Thesibus solemniter propugnant, sed etiam celeberrimi nostri Magistri, qui ejusmodi Thesibus præsunt, iisque subscribunt cum Syndico, & studiorum Baccalaurei Moderatore.

Constat ergo ex nube testium quos jam laudavimus, dogma gratiæ per se victricis in omnibus Scholis Catholicis probari & propugnari.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1°. Libertas indifferentiæ est facultas sui determinativa : atqui sub motione gratiæ per se efficacis, seu sub delectatione victrici voluntas non se determinat ; cùm ex dictis voluntas determinetur per delectationem victricem: ergo voluntas sub illâ motione non habet libertatem indifferentiæ.

Nego minorem, ad cujus confirmationem alii aliter respondent, Thomistæ quidem juxta suum dogma prædeterminationis physicæ : nos verò, & ceteri Theologi cum distinctione sæpius allatâ, voluntas per delectationem victricem determinatur moraliter, Conc. physicè, Neg. sic homo fluctuans vel repugnans dicitur determinari alterius consiliis & suasionibus; quo usu loquendi omnes intelligunt hominem illum in sententiam consiliari ita fuisse pertractum, ut eam liberè etiam libertate contradictionis & exercitii amplexus fuerit. Consensit igitur determinatus tum à Consiliario, tum à seipso : Consiliario quidem moraliter, & secundùm quid tantùm : à seipso autem simpliciter tanquam dominus sui consensûs, quem absolutè in iis circunstantiis denegare potuit. Similiter gratia, quantumcunque efficax, nonnisi moraliter determinat per modum suasionis & illectationis, ita ut penes voluntatem sit ponere vel non ponere actum, ad quem efficaciter movetur. *Cùm voluntas divina sit efficacissima*, inquit sanctus Thomas 1. part. quæst. 18. art. 8. *non solùm sequitur, quòd fiant ea, quæ Deus vult fieri ; sed & quòd eo modo fiant, quo Deus vult ea fieri. Vult autem quædam fieri Deus necessariò, quædam contingenter* (id est, liberè) *ut sit ordo in re-*

bus ad complementum universi. Et ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniant: quibusdam autem aptavit causas contingentes, defectiles, ex quibus effectus contingenter (hoc est, liberè) *eveniant*. Consule Tractatum de Attributis cap 15. Parag. 2. ubi ex professo veritas illa stabilitur.

Instabis : Victrix illa delectatio oritur tum ex dispositionibus voluntatis, tum ex objecto extrinsecùs proposito, & aliis circunstantiis, ut innuit sanctus Augustinus citato Tractatu 26. in Joan. exemplo pueri, qui nucibus, & ovis, quæ ramo viridi trahitur: ergo nostra sententia non differt à sententiâ Congruistarum.

Nego antecedens; in nostrâ quippe sententiâ, quæ est sancti Augustini, & Theologorum, quos laudavimus, delectatio, de quâ agitur, venit ex potentissimâ Dei voluntate immediatè & intimè humanam voluntatem suaviter inclinantis, *Legant ergo & intelligant, intueantur atque fateantur*, inquit sanctus Augustinus lib de Gratiâ Christi cap. 24. *non lege atque doctrinâ insonante forinsecùs; sed internâ & occultâ, mirabili ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.*

Ergo, inquies, delectatio illa victrix est ipsissimet Thomistarum præmotio physica; cùm ex præcedenti responsione Deus voluntatem physicè moveat.

Nego sequelam; alioquin idem concludi posset ex quâlibet aliâ Catholicorum sententiâ; omnes quippe uno ore docent interiorem gratiam actualem, sicut & Dei concursum, si secundùm entitatem spectentur, esse quid physicum; solusque Pelagianus dixerit gratiam

tantùm movere objectivè & intrinsecè, quemadmodum larga eleemosyna movet mendicum, nuces puerum, ramus viridis ovem, doctrina auditores.

Circa causalitatem duntaxat & modum operandi divinæ motionis dissentiunt Catholici, alii, ut Molina, volunt effectum ejus determinari à voluntate; alii, ut Suaresius, à congerie circunstantiarum: alii ab ipsâ motione, & hi rursus in duas abeunt sententias; nam Thomistæ contendunt physicam motionem physicè etiam determinare, alii moraliter tantùm. Itaque juxta hanc ultimam sententiam, quæ est nostra, in gratiâ efficaci est aliquid physicum, & aliquid morale. Ipsa motio est entitas physica divinitùs immissa: causalitas verò ejus est moralis; quia gratia interior delectando seu alliciendo operatur; sicut innatus amor vitæ determinat ad fugiendam mortem, & vehemens concupiscentia ad peccandum, nisi auxilium gratiæ præveniat & adjuvet.

Hæc responsio excerpta est ex verbis suprà laudatorum Theologorum Ysambert, Pirot, Tournemine, quin & sancti Augustini Tract. 29. in Joan. *Trahit sua quemque voluptas, non necessitas*, inquit, *non obligatio, sed delectatio .... amando trahitur, cordis vinculo trahitur.* & ex sancto Doctore, Gasto Chamillart, olim Professor Regius in Scholis nostris quæst. 3. art. 5. sect. 11. *Jansenius*, inquit, *gratiæ efficaciam reponit in cælesti quâdam delectatione ... nos quoque in illâ delectatione efficaciam gratiæ sitam esse arbitramur. Verùm Jansenius contendit id fieri per modum prædeterminationis Physicæ, nos verò dicimus gratiam* DELECTANDO VINCERE, INCLINANDO, NON NECESSITANDO.

Objicies 2°. reponere efficaciam gratiæ in

delectatione victrici, nova est opinio à Jansenio excogitata; satis enim fuit sancto Augustino generatim dicere, gratiam operari miro & ineffabili modo; quis verò sit ille modus, definire ausus non est; & hanc scribendi rationem etiamnum retinent plures Theologi ex iis qui admittunt gratiam per se efficacem; nec ullus ex veteribus, qui eam vel asseruerunt, ut Toletus; vel possibilem confessi sunt, ut Suaresius, Tannerus, &c. meminit ejusmodi delectationis victricis: Ergo falsum est omnes Scholas Catholicas convenire in dogmate, quod propugnamus.

Nego antecedens, 1°. quia sanctus Augustinus in laudatis suprà textibus, & in aliis pluribus mirum & ineffabilem modum, quo voluntas trahitur ad Christum, in gratiæ suavitate & delectatione constituit, *Dicere debemus*, inquit Tract. 26. in Joan. *trahi hominem ad Christum, qui delectatur justitiâ.* & lib. de Gratiâ Christi cap. 13. *hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altius & interiùs eam Deus* CUM INEFFABILI SUAVITATE *credatur infundere.* 2°. Nondum editus erat liber Jansenii, cùm Ysambertus noster, & Franciscus Macedo scripserunt per gratiam fieri, ut quod priùs non delectabat, *ita fit suave voluntati*, inquit Ysambertus loco suprà citato, *ut hæc per illam reipsâ vincat quidquid occurrit in oppositum.* 3°. Quamlibet Theologiæ Candidatus amplectatur opinionem, sive Molinæ, sive Suaresii, quæ nunc est communior Patrum Societatis Jesu, velit, nolit, causalitatem gratiæ reponet in ejus suavitate, & allectatione voluntatis; quia ex S. Thomâ suprà laudato, & ex omnibus Philosophis, *Prima immutatio appetitûs ab appetibili vocatur amor, qui nihil est aliud, quàm complacentia appetibilis; & ex hâc complacentiâ se-*

quitur motus in appetibile, qui est desiderium, 1. 2. qu. 26. art. 2.

Objicies 3°. Admisso dogmate de delectatione infallibiliter & insuperabiliter victrici Janseniana hæresis evadit figmentum & evanida umbra. Namque Jansenius & ejus sectatores agnoscunt hominem motum victrici delectatione sive cœlesti, sive terrenâ physicè & absolutè resistere posse: non posse autem moraliter, seu quod idem est, pati necessitatem quamdam simplicem & voluntariam. *Respondetur*, inquit Jansenius lib 8. de Gratiâ Christi Salvatoris c. 20. *sive in infidelitate ante gratiam, sive jam sub gratiâ, indifferentiam ad contraria semper inesse libero arbitrio.* & iterum, *in nobis non solùm illa potentia voluntatis, quæ de se ad malum est pondus ad peccandum remanet, quod est peccandi potestas, perfectissima.* Jansenii patroni eamdem potentiam admittunt in libello de triplici sensu, quem Innocentio X. post latam constitutionem obtulêre. Ex quibus sic conficitur syllogismus. Jansenii Defensores docent hominem sub motione gratiæ vel concupiscentiæ constitutum physicè & absolutè resistere posse; non posse autem moraliter, seu, quod idem est, pati necessitatem simplicem & voluntariam: atqui idem planè docent patroni sententiæ, quam tuemur, & nos idem hactenus docuimus: Ergo nostra hæc sententia est verus & realis Jansenismus, larvatus quidem, atque ideo perniciosior.

R. Distinguo majorem, Jansenii Defensores docent hominem physicè & absolutè resistere posse, in sensu captioso, & à communi non solùm Theologorum, sed & omnium hominum more loquendi alieno, Conc. in sensu verborum proprio & usu recepto, Nego majorem.

Itaque in communi hominum acceptione hæ

voces, *posse physicè, absolutè & simpliciter*, significant potentiam, quæ præsentes habet vires, easque sufficientes ad hîc & nunc agendum & resistendum, usurpanturque ad distinguendam impotentiam propriè dictam ab impotentiâ secundùm quid, seu moraliter & impropriè dictâ, sic dicimus nobilem matronam robustam, & viribus valentem longum iter pedibus conficere posse physicè & absolutè; sed spectatâ ratione vivendi omnino molli & voluptuariâ non posse moraliter & secundùm quid tantum laborem sustinere. Atque hoc sensu Theologi Catholici unâ voce docent hominem motum delectatione sive cœlesti, sive terrenâ, physicè, absolutè, & simpliciter posse ei resistere secundùm præsentes quas habet vires. Ita M. Chamillart suprà laudatus; ita M. Grandin Tractatu de Gratiâ sect. 1. pag. 220. *his quidam aldam*, inquit, *copulari cum libertate necessitatem, sed hypotheticam solùm ac moralem, non absolutam ac physicam, ac proinde quæ non excludat indifferentiam*: ita Illustrissimus Episcopus Carnotensis in suo Mandato adversùs Institutiones Theologicas, ubi vult ad merendum aut demerendum voluntatem ab omni necessitate absolutâ liberam, *en un mot*, ait, *une volonté dégagée de toute necessité* ABSOLUE: ita etiam qui ante Jansenium scripserunt, ut Bellarminus lib. 2. de gratiâ & lib. arb. & Maldonatus cap. 8. in cap. 6. Joannis, expendentes versum 44. *Nemo potest venire ad me*, sic interpretantur, *dicitur non posse venire qui non trahitur per efficacem gratiam, non quòd absolutè non possit; sed quia infallibiliter non veniet. Sicut etiam contra qui trahitur, potest* ABSOLUTE *non venire, tamen infallibiliter veniet*, ipsissima sunt verba Maldonati. Quid referam Suaresium, Tannerum & ceteros Theologos,

eodem sensu accepisse voces illas, posse physicè, absolutè & simpliciter, relative ad præsentem difficultatem, ad significandam potentiam completam & propriè dictam, distinguendamque impotentiam physicam & absolutam ab impotentiâ secundùm quid, moraliter, & impropriè dictâ.

At Jansenius & ejus Defensores in citato libello, in quo declarant quo sensu deferant Ecclesiæ definitioni, captiosè voces illas, *posse physicè & absolutè*, usurpant ad significandum præcisè voluntatem, quæ est potentia physica sub motione gratiæ vel concupiscentiæ remanere; sed relativè ad motiones sive gratiæ, sive concupiscentiæ, trahi necessitate simplici & voluntariâ, id est, necessitate, quæ non sit violentia, aut coactio, sed determinatio tam necessaria, & quidem antecedenter ad actum, ut ab illo prorsus abstinere non possit; atque in eo sensu ab omnium intelligentiâ alieno, qui jacet in tenebris, physicè & absolutè potest videre physicè quidem, quia habet oculos, & potentiam visivam; absolutè etiam quia, etsi lumine actu careat, potest ei lumen afferri. Cùm autem fallacia tam pudenda in viris Theologis excedat fidem, propriis eorum textibus demonstranda est.

Jansenius igitur lib 8. de Gratiâ Salvatoris cap. 20. jam alibi citato, sic scribit, *respondetur, quandiu hîc vivimus, sive in infidelitate ante gratiam, sive jam sub gratiâ, indifferentiam ad contraria semper inesse libero arbitrio; sed non eo modo, quo isti Scholastici* (Catholici) *putant, quo suprà diximus, quocunque modo arbitrium, sivæ gratiæ, sive peccati delectationibus imbuatur, semper existimans cum utrâvis ejus dispositione posse fieri, ut utrumlibet velit, sive bonum, sive malum.* Quàm autem

alienus sit à sententiâ Catholicorum Theologorum, aperit libro 4. de Gratiâ Christi Salvatoris cap. 9. his verbis: *Ille conflictus delectationum ... sopiri non potest, nisi altera alterum delectando superaverit, & eò totum animæ pondus vergat. Quod enim ampliùs delectat, secundùm id operemur necesse est. Vigente enim delectatione carnali impossibile est, ut virtutis ac honestatis consideratio prævaleat.* Et lib. 7. cap. 5. *cùm igitur justitiæ, vel peccati delectatio sit illud vinculum quo liberum arbitrium in justitiâ vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut, quandiu isto stabiliter possidetur & constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem.*

Jansenii quoque Defensores in citato libello de triplici sensu declarant hominem constitutum sive sub gratiâ, sive sub concupiscentiâ posse dissentire, vel consentire quatenus in utroque statu habet voluntatem, quæ est potentia essentialiter electiva, & flexibilis ad bonum & ad malum. Ergo, inquam ego, propter ejusmodi naturalem flexibilitatem, verum erit dicere, hominem sine gratiâ, physicè, absolutè, & plenissimè posse omnia, quæ legis sunt implere, & mereri vitam æternam, cùm voluntas ex naturâ suâ & absque gratiâ, sit potentia electiva, & flexibilis ad bonum supernaturale. Siccine ludunt homines? Nec satis ipsis est fabricasse ejusmodi sophismata; volunt insuper Summum Pontificem iis usum fuisse in suâ Constitutione, & eo sensu ab omnium mente, & usu loquendi alieno intelligendas esse ejus definitiones.

Nec dicas Jansenii patronos in eodem libello confiteri gratiam sufficientem, qui non solùm physicè & absolutè resisti possit, sed qui etiam actu resistatur. Id enim dicunt cum simili falla-

ciã; namque 1°. gratia, quam admittunt, omnem habet effectum, quem potest habere, & ad quem datur, nempe velleitatem, seu inefficacem quamdam complacentiam, & imperfectam volitionem: atqui falsò quis diceretur alteri resistere, quem non impedit implere quidquid habet in animo. 2°. Ejusmodi gratia par non est vincendæ delectationis terrenæ, sed se habet in voluntate inquiunt, ut pondus leve, quod à graviori alio pondere in statera necessariò superatur, dicente S. Augustino in exposit. epistolæ ad Galatas; *quod enim ampliùs delectat, secundùm illud operemur necesse est. Cuncta ponderibus suis moventur*, pergit sanctus Doctor lib. 13. Conf. cap. 7. *pondus meum, amor meus, illo feror quòcunque feror.*

En verus & realis Jansenismus, à quo distat communis Scholarum sententia, sicut lux à tenebris, & doctrina orthodoxa ab hæresi.

Enimverò secundùm Jansenium suprà citatum justitiæ delectatio est vinculum, quo liberum arbitrium ita constringitur, ut actus oppositus sit extra ejus potestatem: & contra, urgente delectatione carnali, IMPOSSIBILE sit, ut virtus & honestatis consideratio prævaleat. Nos ex adverso dicimus, quantumcunque intensa sit delectatio, sive cœlestis, sive carnalis, hominem physicè absolutè simpliciter, & potentiâ relativâ ad ejusmodi delectationem posse resistere: non posse autem potentiâ morali, impropriè dictâ, & secundùm quid & quocunque alio modo, quo possit exprimi vera & completa potentia, quæ adversùs prævenientem delectationem vires non exerit, sed ab eâ trahi se sinit. Condonet Lector illam verbositatem; necessaria quippe est

hocce tempore, quo vix ullus liberè scribit de gratiâ, & Janseniani nomen effugit, nisi juret in dogma Molinæ. Absit verò ut Jansenianum dicamus, qui damnatâ Jansenii doctrinâ, & rejectis cavillationibus, de quibus suprà communem Catholicarum Scholarum, ac speciatim Parisiensium sententiam sincerè nobiscum amplectitur.

Probata autem manet ejusmodi sententia, tum ex Paragrapho IV. ubi eam ex professo stabilivimus ex Scripturâ, Traditione, Concilio Tridentino, & Constitutionibus Summorum Pontificum, confutavimusque quæ contrà opponunt Jansenii Defensores: tum ex definitione gratiæ efficacis ex sancto Augustino prolatâ cap. 5. paragr. 4. *Gratia efficax*, inquiebamus, *est actuale Dei auxilium, quo voluntas actu vult infallibiliter & insuperabiliter; liberè tamen, & minimè necessariò; quia gratia efficax est principium meriti: nullum autem potest esse meritum in eo, qui necessariò agit, nec ita dominus est sui actûs, ut de eo non possit disponere, hoc est, divinæ motioni, vel consentire vel dissentire.* Quæ verba perspicuè exprimunt libertatem indifferentiæ, qualem fusè exposuimus Tractatu de Actibus humanis pag. 19. & seq. ubi ostendimus amorem beatificum non esse liberum, ut contendit Jansenius lib. 6. de Gratiâ Christi Salvatoris cap. 8. ubi de Beatis sic habet: *Liberè non peccant, & liberè amant*, quia scilicet voluntariè agunt, quamvis necessariò.

Ad quæsitum autem, utrùm velle aut operari infallibiliter & insuperabiliter, quemadmodum loquitur S. Augustinus lib. de corrept. & gratiâ cap. 12. idem sit ac velle & operari necessariò, respondimus non esse. Primum ostendimus exemplo pauperis, qui liberè, in-

fallibiliter tamen, accurrit ad divitem, qui pinguem offert eleemosynam. Secundum demonstravimus ex inclinatione cuique inditâ ad tuendam propriam vitam; amor enim vitæ impressus à Deo, insuperabiliter determinat ad præstandum id, sine quo mors præsentissima vitari nequit; non vincitur cupiditate auri, v. g. quod viator ultrò & liberè offert latroni, ne vita ipsum spoliet.

Vox igitur, *insuperabiliter*, quam usurpat sanctus Augustinus, non significat delectationem victricem non posse superari à voluntate sub eâ constitutâ, ut vult Jansenius, sed denotat solùm nullas mundi illecebras, nullosve terrores posse prævalere adversùs hominem gratiâ efficaci præventum; quo sensu dicitur invincibilis aut insuperabilis qui in arce munitissimâ ac firmissimâ constitutus est; quia nullâ vi expugnari potest; quamvis ipsi liberum sit portas aperire hostibus. Sic sanctus Hieronymus adversùs Jovinianum, & omnes Catholici adversùs Lutherum & Calvinum interpretantur illud 1. Joan. 3. vers. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet*, ET NON POTEST PECCARE; quia nec Dæmonum impulsus, nec mundi terrores aut illecebræ dejicere possunt eum qui habitat in adjutorio Altissimi; quamvis ipse propriâ sponte, & libero arbitrio recedere possit, quemadmodum primus parens, inquit Cornelius à Lapide in laudatum textum sancti Joannis, ita ut erat immortalis per justitiam originalem, ut mortem accersere potuerit. Nisi enim homo efficaci Dei gratiâ adjutus liberè disponeret de actibus, ad quos illa impellit, nullum esset virtutis meritum; cùm ad merendum, liber esse debeat non solùm à coactione, sed etiam à necessitate. Consule quæ in

hanc rem diximus Tract. de Actibus humanis p. 20. & 154.

Longè autem absurdissimè Jansenii Defensores definiunt inæquales gradus gratiæ & concupiscentiæ, sive delectationis cœlestis & terrenæ, id esse in voluntate, quod inæqualia pondera in ambabus stateræ lancibus; alioquin in hypothesi, quòd ejusmodi gradus sint æquales, voluntas non posset illum actum elicere, sed necessariò maneret suspensa, quemadmodum ambæ lances stateræ paribus libratæ ponderibus, nec sursùm nec deorsûm ferri queunt, sed pendent immobiles; & ita pro homine exhibebitur nobis stipes sine actu & motu; quod nequidem de equo posito duas inter corbulas avenæ plenas asserere potuerunt nonnulli Philosophi; quin statim aliis fuerint ludibrio.

Humana igitur, libertas non est facultas passivè indifferens, instar stateræ ad recipiendos contrarios motus, ut docuimus Tractatu de Actibus humanis capite 1. paragrapho 4. Pudet Lutheranos suum Magistrum aliquando lapsum in insanum illum errorem, quem Synodus Tridentina anathemate percussit sessione 6. can. 4. Unde mirum videri debet, quòd in mentem Novatorum inciderit comparatio stateræ ad explicandam hominis libertatem, sub gratiâ, vel sub concupiscentiâ constitutam; cùm de fide sit libertatem ejus esse facultatem activam immunem etiam à necessitate relativè ad motionem gratiæ vel concupiscentiæ: atque ideo asseruimus adversùs Jansenium citato paragrapho 4. amorem beatificum, quamvis voluntarium, non esse liberum, quia positâ visione Dei intuitivâ, Beati in amorem Dei necessariò erumpunt.

Quare etiamsi supponantur quatuor gradus

concupiscentiæ, aut delectationis terrenæ, & duo gradus duntaxat gratiæ, aut delectationis justitiæ, vel contrà, voluntas tamen non agit necessariò secundùm quod amplius delectat; *trahit sua quemque voluptas*, aiebat suprà sanctus Augustinus, *non necessitas, sed voluptas; non obligatio, sed delectatio.* & infrà, *Videte quomodo trahit Pater, docendo delectat, non necessitatem imponendo.* De delectationibus corporalibus sanctus Thomas speciatim scribit 1. 2. quæst. 10. art. 3. ad 2. *Etsi ratio obnubiletur à passione, remanet tamen aliquid rationis liberum, & secundùm hoc potest aliquis vel totaliter passionem repellere, vel saltem se tenere, ne passionem sequatur.* & quæst. 24. de libero arbitrio art. 12 ad 12. *dicendum quòd cupiditas non potest esse cogens absolutè liberum arbitrium, quod semper est liberum à coactione, sed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen potest resisti, licet cum difficultate.* Porrò qui solam prætexit difficultatem, cur præcepto non obtemperaverit, hoc ipso confitetur negligentiam suam & peccatum; negligentia enim, omnium judicio, culpâ non caret. Illud ipsum agnoscit sanctus Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 3. ubi respondens Pelagianis contendentibus in eo nullum esse peccatum, qui moralem patitur necessitatem, hoc est gravem difficultatem, cui absolutè resisti possit, sic habet: *Sed hoc non vident, quòd ad nonnulla superanda, quæ vel malè concupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis, quas nos non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit:* Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et sanctus Bernardus sermone 81 in Cantica, *interveniente peccató*, inquit, *patitur quamdam vim & ipse* (homo) *sed à vo-*

luntate, non à naturâ, ut ne sic quidem ingenitâ libertate privetur ... nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas, cùm sit illecta, excludere necessitatem, (moralem scilicet.) *Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria, est favorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens, unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit; nec excutere jam per se, nec excusare ullatenus de ratione queat.*

Quæ hîc dicuntur de victrici peccati delectatione, cum proportione transferri debent ad victricem gratiæ delectationem; est enim & ipsa quædam vis blandiens, quæ voluntatem ingenitâ libertate non privat; illi quippe resistere potest, sed vires ad id nunquam adhibituram prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit, *faciam ut in præceptis meis ambuletis*, Ezech. 18

Atque in hujusce dogmatis confirmationem adduxeramus textum ex S. Augustini expositione in epist. ad Gal. *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est*: sed delevimus posteà, non tamen metu Censoriæ notæ, quid enim mali suspicari quis posset in ipsissimis verbis sancti Augustini, maximè cùm monuissemus ea non esse intelligenda de necessitate absolutâ, & propriè dictâ, ut vult Jansenius, sed de necessitate morali, & impropriè dictâ? Nihilominus propositio tanti Doctoris ad Ecclesiam delata est à Scriptore sine nomine tanquam Janseniana & hæretica. Cur ergo eam delevimus? quia visa non est argumentum efficax ad probandam gratiæ efficaciam, cùm controversia sit in Scholis, num sanctus Augusti-

nus loquatur ibi de dilectatione præveniente, aut de consequente in quâ non potest reponi gratiæ efficacia, cùm ipsa sit gratiæ efficacis effectus, & fructus boni operis, ut jam observavimus.

Quamobrem in hâc posteriori editione satiùs judicavimus permittere nonnullis Theologis Catholicis Sanctum Doctorem eo loci loqui de delectatione consequente liberum voluntatis consensum, licèt alii contra contendant ipsum loqui de delectatione præcedente, sed quæ non inferat absolutam necessitatem, seu relativam resistendi impotentiam, simpliciter & propriè dictam, aliàs dici oporteret sanctum Doctorem, quæ hîc leguntur, posteà correxisse in lib. de spiritu & litterâ cap. 30. in quo sic habet, *Cùm potestas datur, non necessitas utique imprimitur.* & capite 33. *Agit Deus ut velimus & credamus .. †. sed consentire vel dissentire posse, propriæ voluntatis est.* Textus igitur ille, quem Jansenius & ejus sectatores præsertim urgent adversùs doctrinam Catholicam, nihil eos juvat, de quâlibet delectatione accipiatur; si enim de præveniente consensum, non imponit necessitatem, nisi secundùm quid & impropriè dictam: si de consequente consensum, necessitas est solummodo hypothetica & consequentiæ, quomodò reus mortis, qui plus delectatur vitâ quàm veritate, hoc est, qui salutem corporis præfert veritati, interrogatus à Judice pejerat necessariò necessitate finis & consequentiæ, quia mortem aliter vitare nequit; sed necessitas illa consequens non officit libertati; cùm absolutè & simpliciter necessarium non fuerit, ut pluris faceret vitam quàm veritatem.

Instabis; Quid ad mores referet sive physicè

& simpliciter secundùm Jansenium, sive moraliter tantùm, sed indeclinabiliter gratia efficax per se determinet, cùm eadem sequantur incommoda & absurda; Enimverò si omnia infallibiliter eveniant, sive mala sub gravi tentatione, sive bona sub cœlesti delectatione; frustra dantur præcepta & consilia. Frustra adhibentur exhortationes & correptiones: tollitur humana industria, diligentia & sollicitudo: ad quid enim deliberaret aut vires intenderet, qui certò novit rem aliter non eventuram, gratiam sufficientem, v.g. non sortituram effectum, efficacem verò semper obtenturam? Quid juvat physica & absoluta resistendi potentia, etiam relativè ad præsentem gratiæ vel concupiscentiæ motionem, si constet eam ad actum nunquam religendam? Ergo dogma de duplici delectatione moraliter, sed infallibiliter determinante non minùs perniciosum est in moribus noxium, quàm dogma Jansenianum, ac proinde à Scholis Catholicis ablegandum.

Nego anteced. & ad ejus confirmationem

R. 1°. Mirum, quòd etiamnum recoquantur quæ olim Pelagiani & Semipelagiani objecerunt adversùs sancti Augustini doctrinam, quæ erat & Ecclesiæ, nimirum inutiles fore exhortationes, correptiones, &c. doctrina, quæ armis Pelagianorum hîc impugnatur, ipsamet sancti Augustini doctrina, pro cujus defensione sanctus Doctor ejusmodi Pelagianorum tela passim in suis scriptis repulit, sed præsertim toto libro de corr. & gr. & libro de dono perseverantiæ cap. 14. 15. & 17.

R. 2°. Hæc momenta non privatam, sed communem & constantem Scholarum Catholicarum doctrinam vellicant; exceptâ enim Molinæ Scholâ, nulla est, quæ neget gratiam per

se efficacem, & moraliter determinantem, admittatque solam gratiam versatilem, quæ ex consensu vel dissensu voluntatis dicatur efficax vel sufficiens. *In omni sententiâ*, inquit M. Grandin quæst. 3. de divis. grat. sect. 3. pag. 240. *quæ non ponit efficaciam gratiæ in solo consensu, gratia sufficiens prout ab efficaci distinguitur, effectum suum non obtinet.* & pag. 238. ejusdem sectionis de gratiâ orationis sic habet: *Si cujus gratiæ efficacitas à consensu repetenda esset, maximè gratiæ orationis: sed hoc dici non potest; quippe sicut agendi gratia* EST EFFICAX A DEO; ITA ET OPERANDI GRATIA, *ut indicat illud sancti Augustini*, &c.

R. 3°. Falsò supponit in objectione hominem præveniri semper delectatione vel cœlesti vel terrenâ, quæ illum in omnibus infallibiliter determinet, vel ad benè vel ad malè agendum. Namque 1°. plures sunt tentationes leves, quas superare possumus, etiam potentiâ morali. 2°. Sunt aliqua opera etiam in Infidelibus moraliter bona, quantò magis in Fidelibus, qui verum Deum colunt, noveruntque ejus præcepta, quorum plura sunt naturæ suavia, nedum difficilia. Annon mater vel filius naturaliter propendet ad opem ferendam, illa proli charissimæ, iste parentibus amantissimis? Quot homines delectabiliter feruntur ad honesta sui statûs officia? 3°. In difficilioribus non desunt gratiæ sufficientes, quæ si non obtinent effectum, ad quem dantur, id tribuendum est desidiæ & socordiæ accipientium.

R. 4°. Quæ colligi posse quis putaret absurda ex gratiâ per se efficaci, prorsùs aliena sunt à mente Apostoli, qui ad Philip. sic scribit cap. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini; Deus enim in vobis operatur velle & perfi-*

cere. Attendat hîc, & verba illa perpendat Lector, *Deus in vobis operatur velle & perficere*, non ait, Deus congruis modis suadet, hortaturque amicorum more ut bonum velimus & operemur, sed ipse operatur in nobis, & velle & perficere, seu, ut loquitur sanctus Thomas, dat ipsum actum liberum, quem neque prudens Consiliarius, neque Orator disertissimus dare, sed solùm expetere possunt. Quid autem ex hujusmodi dogmate colligit Apostolus? Quòd nobis opus non sit industriâ, sed otiosi expectare debeamus, quoad usque Deus suâ gratiâ nos assumat, & ad id, quod bonum est, potentissimâ suâ voluntate trahat? Absit? *Cum metu & tremore*, inquit, *salutem vestram operamini*, hoc est, cavete pericula, vigilate, timete eum offendere, cujus auxilium vobis adeo est necessarium, & conscii propriæ infirmitatis corda ad eum erigite perseverantes in orationibus; sicut enim volentibus & conantibus gratia non deest, quâ mandata possibilia fiant, quemadmodum definierunt Innocentius X. & Alexander VII. ita negligentibus & de se præsumentibus dicitur, *Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereat s de viâ justâ.* Unde sanctus Bernardus serm. 1. in Psalm. 90. *Soli*, inquit, *in adjutorio Altissimi habitant, qui id solum obtinere desiderant, id solum amittere trepidant, sedulâ circa illud & sollicitâ cogitatione versantes. quæ est utique pietas cultûs Dei: beatus plane qui sic habitat in adjutorio altissimi; quia in protectione Dei commorabitur.*

Ergo propriæ infirmitatis conscientia, & in adjutorio Dei firma fiducia, duo sunt veluti cardines, in quibus vita christiana vertitur: conscientia quidem propriæ infirmatis, ut homo nihil de propriis viribus præsumat; fiducia

verò in Dei adjutorio, ut totum ei tribuat, & cum Apostolo fidenter dicat, *Omnia possum in eo qui me confortat*, Phil. 4. Hinc audeat, & animos sumat: illinc metuat & caveat. Restat, ut expendamus, jam quomodo dogma conciliari possit cum doctrina tam sana tamque divina.

Quæstio esse non potest de Janseniano dogmate, cùm in confesso sit apud omnes Catholicos illud pugnare adversùs doctrinam Apostolicam, quæ enim singulis potest esse fiducia in Dei adjutorio, si Deus secundùm Jansenium non vult salvos fieri nisi solos electos, id est, paucissimos, dicente Domino Matth. 20. *Multi vocati, pauci verò electi?* Quis fructus vigilantiæ & industriæ, ad quam acuendam metum & tremorem injicit Apostolus, si electi, quantumcunque flagitiosi, necessariò sunt convertendi & in bono perseveraturi: reprobi verò, quidquid agant, simili necessitate peccatum finale, & æternam damnationem non evasuri? Tota igitur controversia versatur circa dogmata in scholis Catholicis recepta.

Contendebat nuper nescio quis sine nomine auctor solum Molinæ dogma esse Catholicum, solumque cohærere cum verbis Apostoli, experiamur. Sic docet ille Theologus quæst. 14. art. 13. disput. 10. *Sicut Deus semper præsto est per concursum generalem libero arbitrio, ut naturaliter velit aut nolit prout placuerit; præsto illi est per auxilium gratiæ sufficiens; ut quoties ex viribus naturalibus aggredi voluerit opus aliquod ex iis quæ ad justificationem spectant illud exequatur prout ad salutem pertinet .... ut eâ ratione semper in manu liberi arbitrii nostri posita esset salus nostra.* Atqui non videtur quomodò hujusmodi dogma conciliari possit cum doctrina Apostoli. Namque 1°. Deus per concursum generalem non dat velle

& perficere : ergo neque per supernaturale auxilium, sed solùm præstat ut velle & perficere possimus, si ita libuerit. 2°. Necessitas divini concursûs, qui præsto est omnibus, non est ratio cur homo cum metu & tremore operetur quæ ad suum statum naturalem pertinent, nec quisquam hactenus fuit anxius, aut in orationibus perseveravit, ne Deus extraordinariè & per miraculum, suspendat concursum suum? Ergo si auxilium sufficiens similiter præsto sit, & ad nutum voluntatis versatile, absque metu & tremore operari debemus quæ ad justificationem spectant, cùm in illa sententia salus nostra magis posita sit in manibus nostris, quàm successus operis cujuscunque naturalis. Generalis enim Dei concursus adversos casus non avertit, dat quidem agricolæ, v. g. ut vineam excolere possit, si velit; sed per se & sine speciali providentia, nihil confert sive ad valetudinem corporis conservandam, sive ad pluviam temporaneam obtinendam, sive ad arcenda noxia animalia, gelu, prædones, & cætera quæ agricola prudenter metuere potest. Unde necessum est, ut ad orationem sæpiùs recurrat, Deumque omnipotentem promereri satagat, ne adversus casus ipsum labore suo defraudet. Sed admisso dogmate, de quo agitur, non est cur quidquam horum timeamus in ordine supernaturali; gratia quippe, quæ omnibus non minùs præsto est, quàm concursus generalis sufficit tum ad spiritualem animæ salutem conservandam, tum ad superandos Dæmonum impetus: tum ad patienter sustinendos quoslibet casus adversos, & in bonum convertendos judicet lector, an ista cohæreant cum cœlesti doctrinâ Apostoli.

Nec dicas Molinæ dogma hodie non propugnari in Scholis præsertim Parisiensibus sine Congruistarum temperamento, juxta quod vigilandum & orandum, ut Deus congruo tempore & loco suum offerat auxilium; quia, ut jam observavimus, sententia illa non satis convenit cum laudatis Apostoli verbis, *Deus est, qui operatur in vobis & velle & perficere*, qui enim opportunam captat occasionem, quâ amicum inclinet ad opus aggrediendum, non dicitur illi dare velle & perficere, sed obtinere duntaxat, ut ille velit & operetur.

Superest discutiendum commune & antiquum Scholarum dogma de gratia per se efficaci, & dico illud ex omni parte concordare cum verbis Apostoli, perfectè conciliare diffidentiam sui cum firma fiducia in Dei adjutorio, & præcipuum esse argumentum ad acuendam nostram diligentiam, & vigilantiam in orationibus. Juxta enim ejusmodi dogma, 1°. Deus sincerè vult omnes singulos homines salvos fieri, nemo ex hâc parte anxius sit aut diffidat. Sed opponet aliquis, ad me ipsum anima mea turbata est, regnum cœlorum vim patitur, & infirmus sum, voluntas humana levis est, in bono proposito mutabilis. Confidat. 2°. Subventum est enim humanæ infirmitati, Deus in nobis operatur & velle & perficere. At non semper, inquis, nec in omnibus? 3°. Singulis offert auxilia verè & plenè sufficientia, quibus efficax illud donum promereri possit, si non de condigno, saltem de congruo, ut aiunt, timeat solùm ne per socordiam in vacuum gratiam Dei recipiat, sed vires intendat, vigilet, instanter oret nihil hæsitans; nullus enim hoc modo speravit, & confusus est.

Urgebis

Urgebis contra responsionem; gratia sufficiens secundùm dogma de gratiâ per se efficaci, nihil confert ad bonos mores & ad vitam æternam; cùm in statu naturæ corruptæ nunquam effectum obtineat, utpote quæ semper sit conjuncta cum difficultatibus, quas nunquam superat; quæ enim sic vocantur moraliter impossibilia ex alibi dictis, nunquam existunt: Ergo gratia quantumcunque sufficiens, nullam spem injicit in hâc sententiâ; quin optandum magis videtur eâ carere, cùm accipienti aliud non conferat, quàm ut apud Deum inexcusabilis fiat.

Nego anteced. cujus confirmationem distinguo, gratia sufficiens nunquam in statu naturæ corruptæ effectum obtinet ex vitio & negligentiâ accipientis, C: ex ipsiusmet gratiæ imbecillitate, quasi par non sit superandis difficultatibus, Nego: j. m enim diximus cum S. Anselmo, & congruis exemplis demonstravimus pag. 467. impotentiam, quam Theologi vocant moralem, *non esse ex impossibilitate, sed ex difficultate: frequenti namque usu dicimus nos non posse aliquid, non quia nobis est impossibile, sed quia illud sine difficultate non possumus.* Sunt ipsissima verba S. Anselmi dial. de lib. arb. c. 6. Difficultatem verò, etsi non tollat omnino gratia sufficiens, minuit tamen, mentem sanctâ cogitatione imbuit, voluntatem piâ affectione incitat ad faciendum quod potest, & petendum quod non potest; omnibus enim dicit Christus, *Petite, & dabitur vobis*, Matth. 7. *Omnis qui petit, accipit*, Luc 13. Unde S. Augustinus in Psalm. 65. *Securi de pollicitatione ipsius*, inquit, *non deficiamus orando. Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus.* Quis aliquan-

do non expertus est orationem suam, quæ initio erat tepida & penè nulla, perseverando incaluisse, & reluctantem priùs voluntatem hærendo crucis trunco, ut loquitur S. Hieronymus, ad divinam tandem se convertisse, ut dubium esse non possit, quin gratiæ sufficientes disponant ad efficaces: impièque dicatur optandum illis carere.

At, inquies, quomodò in istâ sententiâ gratia sufficiens sive operationis sive orationis, potest esse dispositio ad efficacem, cùm ex eâ nec operemur, nec oremus, sed ex efficaci tantùm, *in omni sententiâ, quæ non ponit efficaciam gratiæ in solo consensu*, inquiebat suprà M. Grandin; *sicut agendi gratia est efficax à Deo, ita & orandi gratia.*

R. 1°. Cum Sapiente Eccl. 2. v. 12. *Quid est,* inquam, *homo, ut sequi possit Regem factorem suum?* & Eccli. 1. v. 7. *Disciplina sapientiæ, cui revelata est & manifestata, & multiplicationem ingressûs illius quis intelligit?* Si autem ratio & modus, quibus inferiora Deus administrat, ab intelligentiâ & sensû Philosophorum longissimè disjuncta sunt, quis mentem ad supernaturalia transferens, non exclamet cum Apostolo Rom. 11. *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia Dei, & investigabiles viæ ejus!* vel ipse Adversarius dicat, an facilè duo conciliare possit, quæ Concilium Tridentinum docet Sess. 6. Alterum c. 13 *In Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes* (Justi) *debent*, cùm de fide sit illis volentibus & conantibus non deesse gratiam, quâ mandata possibilia fiant. Alterum Can. 22. quo Anathemate percutit asserentem justificatos sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitiâ perseverare posse. Cùm enim constet non omnibus

justis speciale illud donum esse concessum, quomodò omnes firmissimam spem in Dei auxilio collocabunt? humiliter ergo nobiscum audiat illud Sapientis Eccli. 3. v. 24. & 25. *In pluribus operibus ejus non eris curiosus; plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.* Scholæ tamen quarum commune dogma propugnamus, difficultati prorsus non succumbunt. Ex ipsis itaque

R. 2°. Gratiam sufficientem multis capitibus disponere ad efficacem. Namque 1°. gratia sufficiens, mentem evehit ab ordinem supernaturalem, & quæ dicitur sufficiens ad actum ultimum ad quem movet, sæpe est efficax respectu proximi, ut docet S. Thomas 1. 2. qu. 112. art. 2. ad 2um. *Contingit quandoque*, inquit, *quòd Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum: & talis præparatio præcedit gratiam;* 2°. concupiscentiam minuit, & ejus impetum frangit; 3°. mentem illuminat, & voluntatem piâ affectione commovet. Ex dictis enim gratia sufficiens duo illa complectitur, ex quibus contingit, ut homo interiùs officii sui moneatur & ad illud præstandum, vel adorandum ut plenè possit, incitetur: ubi autem ex negligentiâ tentationi succumbit, id fiat repugnanter & quodammodo invitè, conscientiæ stimulis exagitetur, seipsum coarguat ac dejiciat. Quis autem negaverit ista præparare ad ulteriorem gratiam propter quam prior concessa est?

Porrò si filius plurimùm debet optimo parenti, qui studiosè illum edocet, quæ recta sunt, diligenterque hortatur ut ad ea mores suos componat, quantò ampliùs obstricti sumus Patri luminum, qui longè præstantiori modo per gratiam etiam sufficientem vera &

utiliora animis nostris instillare, & corda nostra excitare non intermittit? Esto, non obtemperet quis divinæ motioni, saltem minùs liberè peccat, aliquatenus quippe repugnat voluntas cœlesti lumine collustrata, factum contra scientiam nullâ imaginatione justitiæ, ut loquitur S. Augustinus, defendere potest, inde pungitur, seipsum dejicit, & ex sui displicentiâ residet animi tumor, sicque ex lapsu demissiùs de se sentiens accendit ad salutem; Deus enim qui alta à longè cognoscit, *juxta est iis qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit.* Psalm. 33. *Audeo dicere*, inquit S. Augustinus lib.14. de Civ.Dei c. 13. *superbis esse utile, cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. Salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Hoc dicit sacer Psalmus*, Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine: *id est, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum qui sibi placuerant, quærendo suum.* & S. Gregorius lib. 33. mor. c. 11. *Qui acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed ut ita dixerim, medicamento vulneratur .... Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur,* (superbiendo) *vitio curemur;* quemadmodum Medicus arte suâ contra venenum incautè haustum præparat aliud venenum, ut observat sanctus Augustinus lib.de nat.& grat.adversùs Pelagium Catholicos irridentem, quòd in eorum sententiâ ex Dei consilio natura humana per peccatum primi hominis vitiata, remaneat infirma, & ideo peccatis obnoxia, nec superbiat, aut quidquam de se præsumat; nam *Medicus*, inquiebat ille, *ad curandum jam vulneratum paratus esse de-*

bet; non debet autem ut sanus vulneretur, optare; quia nullum malum boni alicujus est causa, ad quod S. Doctor c. 27. sic respondet: *Quasi non & ulcus in dolore est, & sectio dolorem operatur, ut dolor dolore tollatur .... hoc utique agit* (Deus) *ut sanet omnia; sed agit judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Proculdubio quippe firmissimum Apostolum valebat efficere, cui tamen dixit*, 2. Cor 12. Virtus in infirmitate perficitur: *& non ei toties oranti aufert nescio quem stimulum carnis, quem sibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur. Cetera enim vitia tantùm in malefactis valent, sola autem superbia etiam in rectè factis cavenda est. Unde admonentur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo, seseque extollendo graviùs pereant, quàm si nil operarentur boni quibus dicitur* Phil. 2. Cum timore & tremore vestram *ipsorum* salutē operamini .... *Quare cum timore & tremore & non potiùs cum securitate, si Deus operatur? nisi quia propter voluntatem nostram sine quâ bene non possumus operari, citò potest subrepere animo humano, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet, & dicat in abundantia sua, Non movebor in æternum. Ideo, qui in voluntate suâ præstiterat decori ejus virtutem, avertit faciem suam, ut, qui hoc dixerat, fieret conturbatus; quoniam ipsis est ille tumor sanandus doloribus.* Ex quibus perspicuum fit longè falsissimum gratiam verè sufficientem, qualem descripsimus, nihil conferre ad bonos mores & ad vitam æternam.

Ais, tanta bona non proveniunt sine gratiâ efficaci: Quis neget? sed ad eam quandoque præparantur corda per sufficientem ut suprà docebat S. Thomas. Per ipsam videt quis quàm in multis offendat; lumen quippe est, sine quo non adverteret nunc inaniter jactare se ex bo-

nis operibus, nunc periculosiùs placere sibi de se cum aliis nec placere, nec displicere curat, nunc voluptatem subrepere sub obtentu necessitatis, negligentiam sub prætextu curandæ valetudinis, libidinem vindictæ sub falsâ imagine consulendi proximo vel tuendæ veritatis, & innumera alia quæ in dies serpunt ex vitiatâ naturâ. Per ipsam quoque sufficientem gratiam inspiratur amor boni & odium mali, est enim divina motio & pia affectio, qui nonnisi repugnanter resistitur. Hinc conscientiæ stimuli & eò major animi dejectio, quò quis sentit se suâ socordiâ cecidisse, cùm stare potuisset, (quidquid in contrarium dicat Jansenius) & experimento didicit se ad præcavenda in posterum tot mala valdè esse infirmum.

Sed infirmitas illa non est ad insipientiam; Deus enim animis sic demissis succurrit per efficacem orandi gratiam, quâ postulant non perfunctoriè, sed *gemitibus inenarrabilibus*, ut loquitur Apostolus. *Nemo autem*, inquit S. Chrysostomus hom. de Moyse, *aliquando ad eum flens accessit, qui non, quod postulavit, accepit: nullus ab eo beneficia dolenter postulavit, qui non impetravit, quod voluit:* scriptum est enim, *Respexit in orationem humilium, & non precem eorum.* Psal. 10. *Poterat quidem*, ait S. Augustinus conc. 27. in Psalmum 118. *nobis & non orantibus dare, sed oratione nostrâ nos voluit admonere, à quo accipiamus hæc beneficia. Tutiores autem vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Sed ut totum Deo detur, sanandus est superbiæ tumor, quem peccatores præ cordis cæcitate & duritiâ sanitatem putant; unde sibi nimium præfidentes, oratione neglectâ, totum virtuti & industriæ committunt; gratiâ autem sufficienti interiùs lucente & movente, eo

quo diximus modo, periculosum morbum agnoscunt, & ad eum depellendum infirmos se sentiunt, sed in humilitate suâ efficaciter adjuti clamant ad Dominum : *Sub umbrâ alarum tuarum protege* nos, alioquin præda futuri aëris potestatibus. *Et hæc quidem ita dixerim, ut altius Dei consilium me fatear ignorare.* S. Augustinus lib. de nat. & Grat. c. 31.

Instabis iterum; quæ in hâc sententiâ obscura sunt & explicatu difficilia, in aliâ sunt plana & lumini naturali pervia, posito enim quòd gratia omnibus præsto sit sicut generalis concursus; omnes intelligunt. nos sine gratiâ nihil posse in ordine supernaturali, sicut nec sine concursu in ordine naturali, cum eâ verò omnia posse quæ ad salutem pertinent, neque propterea ullam voluntatibus imponi necessitatem sive physicam sive moralem. Ergo omnes Scholæ in hanc sententiam convenire debent; ut quid enim ingrederentur vias obscuras, salebrosas & periculosas, cùm ipsis aperitur via plana, facilis & secura?

Nego conseq. namque prædestinatio & gratiæ dispensatio mysterium est, & rationi impervium & ab hominum sensu longè remotissimum, *Sicut exaltantur cœli à terrâ, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris*, dicit Dominus Is. 55. Hìc ergo captivetur ratio in obsequium fidei, sicut in ceteris mysteriis, regatur ut ancilla, nec dominari permittatur; si enim ad judicium ejus referantur controversiæ de gratiâ, & quæcunque ad fidem & mores pertinent, errorum monstra pariat necesse est. *Quid enim Philosophi*, ex S. Hieronymo ep. ad Ctesiphontem, *nisi Hæreticorum Patriarchæ qui Ecclesiæ puritatem perversâ maculavêre doctrinâ?* Unde errores Sabellii, Arii, Nestorii & aliorum

Hæreticorum in Ecclesiâ irrepserunt, nisi ex Philosophiâ, quæ libidine disputandi & rixandi prurientem dialecticam inserit, *in sententiis coactam, in argumentis operariam contentionum, omnia retractantem*, inquit Tertullianus lib. de præscrip. c. 8. *Nostra institutio*, pergit idem Auctor, *de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis quærendum.* & c. 14. *Fides in regulâ posita est, habes legem & salutem ex observatione legis: exercitatio autem in curiositate consistit, habens gloriam solam de peritiæ studio. Cedat curiositas fidei, cedat gloria saluti ... nihil ultrà scire omnia scire est.* Porrò vel ex ipsâ abjectione perspicuum est opinionem gratiæ versatilis, gratiæ mysterium non astruere, sed destruere, cùm illud lumini naturali accommodet, & quodammodo subjiciat, atque de gratiâ idem sentiendum definiat, ac de concursu generali, in quo nullum est mysterium. Plura essent hîc dicenda, nisi fusè explicata haberentur in nostris Prolegomenis tom. 1. à paginâ quartâ ad 13am.

Objicies 4°. Illa sententia est à Scholis ableganda, quâ hæretici se tueri conantur, quæque eis inservit ad occultandum virus sui erroris; atqui experientiâ constat Jansenium & ejus Sectatores se tueri Thomistarum, & sancti Augustini doctrinâ: Ergo.

R. 1°. absolutè negando majorem; quia ut jacet, absurda est falsa & perniciosa. 1°. Est absurda; nihil quippe absurdius, ut notat sanctus Augustinus, quàm docere oves suâ pelle debere exui, quia lupi eâ plerumque sese contegunt. Nunquid Ecclesia, ut Lutherum & Calvinum efficaciùs protereret, ideo S. Augustini doctrinam abjecit, quòd illi hæretici ejus auctoritate suum errorem defenderunt?

2°. Est falsa; quia veritas media inter opposita incedere solet, v. g. dogma unius naturæ divinæ in tribus personis subsistentis inter Sabellianismum & Arianismum: fides unionis hypostaticæ inter errorem Apollinaris & Nestorii: doctrina peccati originalis inter impietatem Manichæorum seu Priscillianistarum, & errorem Pelagianorum: atqui quod obtinet locum medium, minùs distat ab extremis, quàm ipsa extrema ad invicem comparata. Hinc Catholici ab Arianis traducebantur ut Sabelliani, à Nestorianis ut Apollinaristæ, à Pelagianis ut Manichæi & Priscillianistæ. 3°. Denique est perniciosa; quia viam aperit novitatibus, falsis Scripturæ & Traditionis interpretationibus, discordiis, & suspicionibus malis. Accidit quippe iis, qui declinandi erroris gratiâ, ad extrema incautè confugiunt, quod prospicienti eminùs tres columnas rectâ lineâ dispositas, & æqualiter à se invicem distantes; quemadmodum enim iste mediam apprehendit ut conjunctam remotiori; sic illi, quos à suâ privatâ opinione alienos noverint, hos veluti hæresis patronos conspiciunt, Janseniani, v. g. Molinistas ut Pelagianos, & Molinistæ intemperantiores Augustinianos & Thomistas ut Jansenianos. Hinc contentiones, dissidia & rixæ, quæ cum magnâ bonorum offensione pacem perturbant. Unde major objectionis propositio admitti non potest, nisi cum aliquo temperamento. Quare

R. 2° Distinguendo majorem. Illa sententia à Scholis est ableganda, quâ hæretici se tueri conantur, nisi sit conformior Scripturæ Sacræ & Traditioni Ecclesiæ, Concedo: secus, Nego majorem. Constat autem ex dictis nostram sententiam longè conformiorem Scripturæ Sa-

cræ & Traditioni ac propterea communem in Scholis maximè Sorbonicis, in quibus Theologiæ Professores constanter eam hactenus tradiderunt.

CAPUT VII.

De Gratiâ sufficienti.

Paragraphus I.

Utrùm in statu naturæ lapsæ detur Gratia sufficiens?

NEgarunt Lutherus lib. de servo arbit. & Calvinus lib. 2. Instit. cap. 3. ubi Theologos Parisienses sibi adversantes vocat Sorbonicos sophistas, Pelagianos, & phreneticos. Iis se adjunxit Jansenius, ut constat ex dictis cap. 3. parag. 7. ubi ostendimus Jansenianos in suo libello de triplici sensu ejusdem esse cum magistro sententiæ; quamvis enim gratiæ sufficientis nomen cum Catholicis retineant, rem tamen hoc nomine significatam rejiciunt, scilicet gratiam, quæ completas tribuit vires ad præceptum hîc & nunc implendum, quantumvis difficile, & ad resistendum tentationi in iis etiam circunstantiis, in quibus ad malum vehementer impellit. Janseniani quippe nomine gratiæ sufficientis ibidem intelligunt, vel solam gratiam habitualem, vel parvam gratiam actualem, quæ totum habet effectum, ad quem datur, nempe velleïtatem. Adversùs autem ejusmodi errorem,

R. De fide est dari in hoc statu gratiam verè ac propriè sufficientem, relativè ad præsentem

difficultatem, quia Summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. in suis Constitutionibus ubique receptis, hanc Jansenii propositionem, *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, declararunt hæreticam: Atqui propositio non est hæretica, nisi pugnet contra aliam, quæ sit de fide: Ergo credendum est fide divinâ interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resisti. Porrò gratia interior, cui resistitur, est gratia verè sufficiens, qualem descripsimus.

Nec dicas, propositionem illam esse conclusionem Theologicam, nec proinde esse de fide; namque ex dictis in Prolegomenis pag. 13. conclusio Theologica, quæ elicitur per simplicem explicationem, est de fide, utpote quæ revelata sit immediatè. Atqui hæc nostra propositio non est vera illatio, sed nuda expositio propositionis ab Ecclesiâ definitæ: Ergo.

Probatur autem nostra responsio, 1°. ex Scripturâ Prov. 1. *Vocavi, & renuistis .... ego quoquè in interitu vestro ridebo.* Ibi puniendi sunt, qui vocationi non responderunt, ergo potuerunt respondere: Atqui non potuerunt nisi per gratiam interiorem: Ergo restiterunt gratiæ interiori, Is. 5. *Judicate inter me & vineam meam, quid .... debui illi facere & non fecit ei? an quòd expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Atqui sine gratiâ interiori non erat expectandus fructus bonus. Ait enim Christus Joan. c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Unde S. Augustinus concione secundâ in Psalm. 101. expendens illa verba Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* (quæ indicant gratiam interiorem) scribit de veteri Jerusalem, *Pluit desuper, & pro fructu spinæ proferuntur:* de

novâ verò : *Ille pluit , illa fructum dedit.* Luc. 10. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaïda quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes , quæ factæ sunt in vobis ; olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.* Insignis est ille locus ? in eo quippe sermo est de gratiâ, per quam converti debuerant Bethesaïtæ, & per quam Tirii reverà fuissent conversi : Atqui illa gratia non potest esse nisi interior, cui tamen restiterunt Bethsaïtæ, Act. 7. *Durâ cervice & incircumcisis cordibus & auribus , vos semper Spiritui sancto resistitis.* Hic locus est etiam expressus pro gratiâ interiori, & de eâ sanctus Thomas illum intelligit quodlib. 2. art. 6. ubi sic loquitur : *Tenebantur homines interiori vocationi non resistere, sicut de quibusdam dicitur* , Actuum 7. *Vos semper Spiritui-sancto resistitis.*

Probatur 2°. ex Traditione , in quâ Janseniani tempora quæ præcesserunt ortum hæresis Pelagianæ , distinguunt à subsequentibus, confunduntque Patres S. Augustino antiquiores, magis aliquando accessisse ad hæresim Semipelagianam, quàm ad sententiam Catholicam; quia nondum ventilatæ erant quæstiones de gratiâ,quibus obortis ipsemet sanctus Augustinus nonnulla in prioribus scriptis corrigenda invenit. Calvinus similia scribit lib. 2. Instit.cap. 2. parag. 4. *Veteres*, inquit , *excepto uno Augustino, sic hâc in re aut variant, aut vacillant , aut perplexè loquuntur, ut certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat.*

Sed refelluntur vel ex uno Semipelagianorum testimonio, quod tract. de Incarnat. pag. 210. ex S. Prospero protulimus. Ii quippe fatebantur, sed nihil in antiquioribus invenisse , quod suæ sententiæ erroneæ faveret : Ergo Patres antiquiores non erant Semipelagiani , sed gratiæ

sufficientis assertores. Imo ipsimet Semipelagiani ex eodem sancto Prospero meliùs sentiebant, priusquam legissent librum de cor. & grat. in quo S. Augustinus sic gratiam efficacem astruit, ut visus sit illis hæreticis destruere liberum arbitrium, indeque sumpserint occasionem mutandæ prioris sententiæ & cudendi novi erroris.

Cùm ergo Adversarii non negent Patres S. Augustino antiquiores agnovisse gratiam sufficientem, de ipsomet S. Augustino, ac de posterioribus Conciliis & Patribus duntaxat nobis agendum superest.

S. itaque Augustinus 1°. omnem excusationem peccatori adimit, ex eo quòd cùm posset peccatum vitare, noluerit. *Si Satanas loqueretur*, inquit in Psal. 91. *& taceret Deus, haberes unde te excusares: modò aures tuæ positæ sunt inter monentem Deum, & suggerentem diabolum? quare huc flectuntur, hinc avertuntur?* lib. 2. de naturâ & grat. cap. 34. de peccatis, sic ait; *Ut in nostrâ potestate fuisse, ne acciderent confitemur; ita, ut sanentur, in illius magis esse misericordiâ, quàm in nostrâ potestate fateamur.* & cap 64. *Rectè*, inquit, *fortassè quererentur*, (peccatores) *si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret; cùm verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem adversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quod invitùs ignoras; sed quòd negligis quærere quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* 2°. Meminit duplicis vocationis, congruæ scilicet, cui obtemperatur: & minùs congruæ, cui resistitur. De posteriori scribit libri primi ad Simplicianum q. 2. *Vo-*

cavit Esaü, inquit, *& non cucurrit; sed etsi voluisset, Dei auxilio pervenisset, qui ei etiam velle, & currere præstaret vocando, nisi contemptâ vocatione, reprobus fieret*, & lib. de spiritu & lit. cap. 34. scribit Deum agere binis suasionibus, ut velimus & credamus, sive extrinsecùs per Evangelicas exhortationes, sive intrinsecùs, *Ubi*, inquit, *nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem; sed consentire & dissentire propriæ voluntatis est.* & infra: *In omnibus misericordia Dei prævenit nos, consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire, ut dixi, propriæ voluntatis est. Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita: duo sola occurrunt interim, quæ respondere mihi placeat*: O altitudo divitiarum! *&*, Numquid iniquitas apud Deum? *cui responsio ista displicet, quærat Doctiores; sed caveat, ne inveniat præsumptores.* 3°. Passim hortatur ad petendum, quia Deus paratus est ad exaudiendas preces nostras; *Speremus omnes*, (ait in Psalm. 33.) *quod pulsantibus aperiturus sit; non enim hortaretur nos, ut pulsaremus, si nollet pulsantibus aperire.*

Lib. de naturâ & grat. cap. *66. Eo quippe ipso, quo firmissimè creditur Deum justum ac bonum impossibilia nunquam præcipere; hinc admonemur, & quid agamus in facilibus, & in difficilibus quid petamus* Nam ut scribit lib. de fide contra Manichæos: *Quis non clamet stultum esse dare præcepta ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere, & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Unde concludit lib. de gratiâ & lib. arb. cap. 4. *Homo gratiâ juvatur, ne sine causâ voluntati ejus jubeatur.* Ergo juxta S. Augustinum, qui non petit, ut præcepta implere possit, resistit gratiæ.

Concilia, quæ post S. Augustinum celebrata sunt, non minùs clarè gratiam sufficientem prædicaverunt. Concilium Arelatense 3. approbat epistolam Fausti, in quâ anathematisantur, qui asserunt eos qui periêre, non accepisse quo salvi esse possent. Arausicanum secundum sic definit Canone 25. *Credimus quòd acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & (debeant si fideliter laborare velint) adimplere.* Valentinum IX. seculo declarat cap. 2. nec ipsos malos perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia noluerunt. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. sic habet: *Nemo* (debet) *temerariâ illâ, & à SS. Patribus sub anathemate prohibitâ voce uti, Dei præcepta homini justificato esse impossibilia, nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adjuvat ut possis.* & infrà: *Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi priùs ab eis deseratur.*

Denique Can. 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratiâ constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* Quæro autem à Jansenianis, utrùm sine gratiâ homini justificato mandata sint possibilia vel peti possit, ut possibilia fiant? Cùm ergo justificatus negligit petere, & consequenter in peccatum labitur, gratiæ interiori resistit.

Mitto Theologos, qui ante Concilium Tridentinum floruerunt; illos enim, præsertim Parisienses, Calvinus sibi adversari agnoscit. Unum duntaxat S. Thomæ testimonium proferam; quia cùm expresse & distincto articulo de gratiâ sufficiente non scripserit, cùm nondum hac de re controversia mota fuisset, fortassis videretur quibusdam gratiam sufficien-

tem non ad misisse. Sic autem scribit 1ª. 2ª. qu. 106. art. 2. ad secundum. *Si quis post acceptam gratiam novi Testamenti peccaverit, majori pœnâ, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non utens, mulctabitur; nec tamen propter hoc dicitur, quòd lex nova iram operatur; quia quantùm est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.*

Dices 1°. S. Augustinus lib. de corr. & gratiâ cap. 12. in eo distinguit statum innocentiæ à statu naturæ lapsæ, quòd in priori gratiâ esset auxilium, *sine quo*, seu sufficiens; in posteriori verò sit auxilium *quo* seu efficax. Atqui nulla esset distinctio, si in hoc quoque statu daretur gratia sufficiens: Ergo in mente S. Augustini nulla datur in hoc statu gratia sufficiens.

Nego minorem: namque 1°. etiamsi gratia sufficiens sit utrique statui communis, nihilominus status hic differt à priori per gratiam efficacem, quæ est ipsi propria; quemadmodum licèt animalitas sit communis homini & bruto; rationalitas tamen, quæ est differentia homini essentialis, illos simpliciter & absolutè distinguit. 2°. Et quidem magis ad mentem S. Augustini, ambo illi status in eo differunt, quòd homo in priori bene operaretur per gratiam sufficientem ad nutum voluntatis versatilem; & si in eâ perseverare voluisset, beatitudinem fuisset consecutus quemadmodum Angeli: in hoc verò statu nullus salvatur, nec rectè operatur nisi auxilio *quo*, licèt salvari & operari possit per auxilium *sine quo*, seu sufficiens, ut dicetur infrà.

Inst. 1°. Atqui S. Augustinus non agnoscit in hoc statu aliud auxilium, præter auxilium *quo*. Namque lib. de grat. Christi cap. 14. & lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 8. ex Christi

verbis Joan. 6. *Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me*, concludit alios omnes qui non veniunt, interiùs non audire nec vocari, sed exteriùs duntaxat, scilicet per Verbi prædicationem, *Omnis*, inquit, *qui non venit, profectò non didicit secundùm gratiam, sed secundùm litteram*. Ergo.

Distinguo anteced. qui non venit, non didicit actu secundùm gratiam efficacem, sed secundùm litteram, quam solam audivit, Concedo; non didicit, nec potuit discere per gratiam sufficientem, quæ intus eum movit, sed frustra propter cordis duritiam, Nego anteced. Capharnaïtæ ergo & habitatores Corozaïn & Bethsaïdæ sicut & ceteri, quid Deo vocanti non responderunt, actu & de facto non audierunt, nisi secundùm litteram propter duritiam cordis: sed intus per gratiam illustrati & excitati sunt, inefficaciter tamen; & ideò dicuntur non audivisse, sicut dicimus servum duræ cervicis non audire herum præcipientem. Unde non habent, quo se excusent, ut suprà docebat S. Augustinus in Psalmum 91. & lib. de naturâ & grat. cap. 67.

Inst. 2°. Atqui ex S. Augustino, qui non venit, nec actu didicit, non potuit venire, nec audire. Ergo nulla solutio.

Antecedens probatur ex lib. de gratiâ Christi cap. 10. ubi Sanctus Doctor disertè docet non esse in hoc statu aliam gratiam præter eam, quâ non solùm suadetur, sed etiam quâ actu persuadetur. *Sed nos*, inquit, *eam gratiam volumus iste* (Pelagius) *aliquando fateatur, quâ non solùm suadetur omne quod bonum est, verùm & persuadetur .... Quorum autem sit fides, & quibus persuadetur, ut ad eum veniant, satis ipse demonstravit, ubi ait*: Nemo venit ad me nisi Pater qui mi-

fit me, traxerit eum. *Hanc debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus.* & c. 14. *Si solùm posse nostrum hâc gratiâ juvaretur, ita diceret Dominus:* Omnis qui audivit à Patre, & didicit, potest venire ad me. *Non autem ita dixit, sed* Omnis, *inquit*, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me *Venire posse in naturâ ponit Pelagius vel etiam, ut modò dicere cœpit, in gratia qualemlibet eam sentiat, quâ ipsâ, ut dicit; possibilitas adjuvatur; venire autem jam in voluntate & opere est.* Quid expressius, quid clarius, Sanctum Augustinum ab hoc statu rejecisse omnem gratiam, quæ dat posse duntaxat, solamque gratiam efficacem agnovisse.

Nego subsumptum.

Ad confirmationem, respondeó verba sancti Augustini, in sensum prorsus ab ejus mente alienum detorqueri, quod ita clarè patebit librum legenti à cap. 8. ad 15. ut miraturus sit quòd laudati textus opponantur contra gratiam sufficientem. Ibi quippe Sanctus Doctor insectatur Pelagium qui hæc tria distinguebat, *possè, velle, & esse seu operari. Possè* reponebat in naturâ, *velle & operari* in libero arbitrio. *Posse* tribuebat naturæ, quam vocabat gratiam; quia Deus sine nostris præcedentibus meritis illam creavit: *velle* verò *& operari*, liberæ hominis electioni; & ita fucum faciens Catholicis, concludebat nos ex gratiâ (scilicet quâ homines conditi sumus) posse, velle & operari bonum. Sed cùm urgerent Catholici naturam nasci cæcam, & ignorantiæ tenebris obvolutam: cogebatur fateri eam indigere gratiæ adjutorio. Sed quam gratiam admitteret, S. Augustinus detegit cap. 8. & sequentibus *Nec itaque apparet*, inquit, *hanc eum gratiam confiteri, quâ de-*

monstrat & revelat Deus quid agere debeamus, non quâ donat atque adjuvat ut agamus, cùm ad hoc potiùs valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio.

Aliquando tamen hæreticus ille pressus argumentis Catholicorum, qui ex scripturis demonstrabant Deum interiùs docere, admisit, juxta quosdam Theologos, gratiam interiorem; sed quæ mentem illustraret, suaderetque verum esse quod dicitur, nullatenus verò voluntatem moveret. Contra hos errores insurgit S. Augustinus, docetque 1°. divini esse muneris quod bene velimus, & bene operemur. *Hanc*, inquit, *debet Pelagius gratiam confiteri, si vult non solùm vocari, verùm etiam esse Christianus.* 2°. Confutat illam possibilitatem, quam Pelagius ponebat in naturâ, nisi consenserit eam divinitus adjuvari, saltem per auxilium *sine quo*, hoc est, per gratiam sufficientem; sic enim habet cap. 47. *Si consenserit nobis* (Pelagius) *etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus .... nihil de adjutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Ergo S. Augustinus nedum gratiam sufficientem ab hoc statu rejiciat, quin illam astruit: Unde in formâ

Distinguo: S. August. in hoc statu non admittit *posse* viribus naturæ, Concedo: *posse* per auxilium Dei *sine quo*, Nego. Solutio patet ex dictis.

Urgebis contra solutionem, S. Augustinus vult, ut Pelagius fateatur gratiam, quâ non solùm suadetur, sed etiam persuadetur: Ergo non agnovit in hoc statu aliam gratiam quàm efficacem; nam gratiam, quâ persuadetur, est efficax, facitque velle & consentire.

Nego consequentiam. Non enim sequitur S. Augustinum non agnovisse in hoc statu gratiam sufficientem; ex eo quòd possibilitati naturali (quam Pelagius vocabat gratiam, utpote gratis datam in nostrâ origine) hîc opponat ex Scripturis gratiam efficacem, cogatque fateri, ipsum velle & operari non surgere ex possibilitate naturali, sed ex gratiæ motione; cùm Christus non dixerit, Omnis qui audivit à Patre & didicit, potest venire ad me, scilicet possibilitate naturæ, de quâ erat controversia; sed actu & de facto venit. Ideo autem sanctus Doctor contra Pelagianos disputans, quàm sæpissimè urget testimonia, quæ gratiam efficacem commendant; quia hâc argumentandi ratione, illos faciliùs educit è latebris, in quibus sub nomine possibilitatis à Creatore gratis concessæ, delitescebant. Sed propterea non negat gratiam sufficientem, ut constat vel ex citato capite 47. ejusdem libri de gratiâ Christi, ubi declarat se nullam controversiam habiturum cum Pelagio, modò fateatur ipsum posse adjuvari auxilio *sine quo*, per Jesum Christum Dominum nostrum.

Adversarii multos S. Augustini textus congerunt, in quibus docet ex peccato originali, relictam esse necessitatem peccandi, nos aliquando velle, nec posse, imò deesse nonnunquam bonam voluntatem & orationis donum, per quod obtineri possit auxilium, quo mandata Dei possibilia fiant. Sed ex ejusmodi textibus non sequitur nullam in hoc statu existere gratiam sufficientem. Ad summum inde colligi posset hanc gratiam non semper & ubique omnibus dari, quod infrà examinabitur.

Dices 2°. Ex Scripturâ & ex constanti doctrinâ Scholarum, nemo etiam justus potest dice-

re actum veræ virtutis sine gratiâ efficaci; Ergo præter gratiam efficacem nulla datur in hoc statu gratia sufficiens.

Probatur ant. 1°. ex Scripturâ Joan. 6. Christus Dominus alloquens Judæos repugnaces, ait v. 37. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet;* Hæc de efficaciâ gratiæ cui nunquam resistitur; de ejus verò necessitate sic pergit v. 43. & 44. *Nolite murmurare invicem, nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Ergo præter hanc gratiam nulla est alia sufficiens, cùm nulla sit, quâ possit quis venire ad Christum.

Probatur 2°. ex constanti Scholarum Traditione.

Gregorius Ariminensis insignis Theologus Parisiensis, Præpositus generalis Augustinianorum, & maximè addictus doctrinæ S. Augustini, P. Deschamps teste in suo Antijanseniano l. 3. disp. 4 c. 18. sic scribebat 14°. ineunte seculo in lib. 2. sent. dist. 28. q. 2. *Satis patet, quòd etiam veri justi & inpotentiâ existentes, ut tentationibus fortiter resistant & in peccatum non cadant, indigeant adhuc speciali auxilio Dei, & sine illo* NON POSSENT *resistere, quin caderent in peccatum.*

Cardinalis Caietanus ex Ordine Dominicanorum scribebat etiam ante Concilium Trid. in 1. 2. S. Thomæ q. 109. art. 10. *Homo* (justificatus) *est potens elicere operationem bonam, & resistere impulsionibus tentationum, & continuare in hoc quod est perseverare, sed quia gratia non potest exercere hos actus simpliciter, quando oportet, ubi oportet, ideo dicitur quod ex solâ gratiâ sine speciali auxilio* NON POTEST *in hac simpliciter.*

Petrus Soto Dominicanus & Theologus Pii IV. in Concilio Trid. sic habet c. 2. operis ad Ruardum Tapperum, *detur quòd possimus facere bonum sive per naturam, sive per gratiam aut dona*

alia; sed NUNQUAM POSSUMUS *sine alio auxilio, nisi scilicet adsit gratia, quâ id fecimus.* Eandem doctrinam amplexi sunt Patres Tridentini, ut perspicuè demonstrabitur Parag. seq.

Post Concilium Trid. Consultores in Congregationibus *de auxiliis*, inter quos sedebant duo insignes Theologi Parisienses, le Bossu & de Creil. post discussam Molinæ doctrinam sequentes Canones adornarunt jussu Pauli V. 1. *Qui dixerit gratiam quâ Deus operatur in nobis velle & perficere, non sic movere voluntatem nostram: ut ex virtute motionis Dei per eam operantis sit infallibile quod actu consentiamus & operemur, errat.* 2. *Qui dixerit gratiam istam aut non esse ita efficacem, ut præveniendo voluntatem nostram, ipsam verâ & reali efficientiâ præmoveat & faciat velle, & operari, aut sine eâ* POSSE *aliquem actu velle, & operari: errat.*

Franciscus Macedo ex Scotistarum Scholâ olim Consultor sancti Officii & celebris Theologiæ Professor tum Romæ, tum Patavii, *Cum gratiâ inefficaci*, inquit, Thesi 54. *& difficultate quâdam morali stat impotentia moralis ad operandum, unde dicitur voluntas non posse operari ex S. Augustino*, cujus plures textus profert.

Cardinalis Laurea ex eâdem Scholâ opusculo 3. de gratiâ actuali num. 103. *Apostolus*, inquit, *confitetur se imparem ac* IMPOTENTEM *ad resistendum legi membrorum, id est, concupiscentiis à quibus agebatur ... non dicit se liberari ab hâc difficultate per suam voluntatem utentem illis auxiliis illuminationis & inspirationis, sed à gratia Dei per Christum, id est, à gratia efficaci superante difficultatem.* Cardinalis Noris in suâ Apologiâ cum laude meminit hujusce sententiæ Cardinalis Laurea.

M. Grandin Professor Regius in Scholis Sor-

bonicis per 50. annos & Sacræ Facultatis Syndicus, tandem Decanus, Tract. de Angelis q. 64. a. 2. docet Angelos perduelles habuisse, post lapsum tempus pœnitendi, sed eos non potuisse pœnitere, quia defuit ipsis gratia efficax: *Angeli, inquit, illâ duratione quâ fuerunt in viâ, pœnitere potuerunt; tam enim erant liberi, & ex parte Dei non deerat gratia sufficiens .... Ubi Patres dicunt impossibile Dæmones pœnitere, intellige de Dæmonibus damnatis, vel impossibile idem est ac difficile, vel id intellige impossibile, quia gratiam efficacem non habuerunt.* Nec secum pugnat ille Theologus tract. de Gratiâ pag. 80. ubi sic habet, *Circa graves tentationes non est impotentia moralis suppositâ gratiâ*, cùm eo loci loquatur *de gratiâ in genere sub quâ continetur gratia efficax.* Sic contraria non docet qui primò generatim statuit omne peccatum deleri per pœnitentiam, ac posteà definit pœnitentiam imperfectam solam non sufficere ad remissionem peccatorum.

Guillelmus de Lestocq etiam Professor Regius in Scholis Sorbonicis per 49. ann. tract. de Grat. quæst. 4. de Divis. Gratiæ art. 2. sic habet, *Gratia sufficiens tribuit homini posse operari; sed ita ut potentia illa dicat dependentiam ab auxilio efficaci sine quo non est* POSSIBILE *reduci ad actum.*

Reginaldus Dominicanus & Professor Regius in Academiâ Tolosanâ an. 1671. in opere Typis mandato Antuerpiæ an. 1676. in appendice de Mente Concilii Trid. 2. parte c. 12. p. 823. *Noverint ergo*, inquit, *nullum actum veræ virtutis, multo minùs meritorium dici* POSSE *ab homine quantumcumque usto sine auxilio gratiæ per seipsam efficacis, atque adeo nullam levem tentationem vinci* POSSE *actu veræ virtutis, sine meritorio, sine adjutorio ejusdem gratiæ.*

Ergo recens est opinio à Molinâ & ejus Discipulis excogitata, repugnante Scripturâ & Traditione, præter gratiam efficacem dari in hoc statu aliam gratiam verè sufficientem, cùm ex laudatis textibus nullus sine gratia efficaci possit supernaturaliter operari.

Nego antecedens.

Ad ea autem quæ afferuntur & alia similia quæ afferri possunt in ejus confirmationem, jam olim S. Anselmus, qui floruit 11°. & 12. sæculo respondit cum distinctione, nemo etiam justus actum veræ virtutis sine gratiâ efficaci elicere potest moraliter loquendo, C. simpliciter & absolutè, N. Verba sancti Doctoris sunt Dial. de lib. arb. c. 5. *Quod nonnisi difficile facere debemus dicimus nos hoc facere non posse*, & c. 6. *Jam dubitare hanc impotentiam servandi rectitudinem non debes (quam dicis in nostrâ voluntate esse, cùm tentationibus consentimus) non esse ex impossibilitate, sed ex difficultate; frequenti enim usu dicimus nos non posse aliquid, non quia nobis est impossibile, sed quia sine difficultate non possumus.* Hanc explicationem deinceps amplexi sunt communiter Theologi, præsertim ex Societate Jesu, quos in primâ Editione hujus operis secuti sumus, nec immeritò; eam quippe suggerunt ipsimet laudati textus Gregorii Ariminensis, Cajetani, & Petri Soto, qui utrumque asserunt justos posse & non posse: posse quidem simpliciter & absolutè, non posse autem moraliter & impropriè propter difficultatem, ad quam superandam vires quas habent, ex negligentiâ non exerunt sine speciali gratiâ, ut docet S. Augustinus l. 2. de pec. mer. c. 3. sæpiùs citato, unde impotentia, quam prætexunt, prorsus est voluntaria.

Eandem explicationem suppeditant Patres Tridentini,

Tridentini, qui seſſ. 6. can. 22. ita definiunt juſtificatum perſeverare non poſſe in acceptâ juſtitiâ ſine ſpeciali auxilio quod pluribus juſtis non conceditur, ut nihilominùs doceant cap. 11. & 12. præcepta non eſſe juſtis impoſſibilia, modò petant quod non poſſunt, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in vigiliis, eleemoſynis, in orationibus, in jejuniis, &c. Quibus autem iſta ad perſeverandum neceſſaria videntur difficiliora; quàm ut ad ea obſervanda animum ſtudiumque conferant, ſuam ignaviam impoſſibilitatis nomine velare ſolent, ſed Chriſto ipſo judice excuſationem non habent Joan. 15. v. 22. At, inquies, Pater eos non traxerat: ait autem Dominus, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum.* Quod verò peccatum eſt hominis non facientis quod non poteſt facere? quærit ſanctus Auguſtinus tract. 53. in Joan. citò reſpondet ſanctus Doctor, *quod illi non poterant credere, culpa eſt voluntatis humanæ*, quatenus ſcilicet homo ſuperbus & de viribus liberi arbitrii præſumens, in orationibus non vigilat, ut Deus qui jam dedit poſſe per gratiam ſufficientem, det velle & operari ac in bono perſeverare per gratiam efficacem.

Paragraphus II.

Utrùm gratia ſufficiens aliquando habeat effectum?

R. Nulla gratia ſufficiens in hoc ſtatu habet effectum ſine efficaci.

Probatur 1°. tum conſenſione Theologorum mox laudatorum, qui à quadringentis annis conſtanter docent gratiam ſufficientem ſine efficaci nequidem poſſe obtinere effectum: tum iiſdem momentis, quibus ſuprà demonſtravi-

mus efficaciam gratiæ non esse repetendam ex consensu voluntatis. Namque in oppositâ sententiâ, 1°. Deus per gratiam sufficientem daret posse duntaxat, voluntas verò operaretur & velle, & perficere, quod est manifestè contra Apostolum. 2°. Non esset solius Dei miserentis, sed etiam volentis & currentis hominis: posito enim quòd duo homines æquali gratiâ sufficiente moveantur ad orandum, & unus oret, alter verò non: qui oravit, dicere poterit ideo gratias efficaces, ipsumque perseverantiæ donum præ alio se fuisse consecutum; quia voluit & oravit, ac proinde non solius Dei miserentis fuisse, sed etiam ipsiusmet volentis, quod refellit sanctus Augustinus scribens lib. 1. ad Simplicianum quæstione 2ª. Deum non solùm dare posse velle & currere, sed ipsum velle & currere, ac proinde Dei solius esse miserentis. *Si* inquit, *propterea solùm dictum est*, non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, Rom. 9. *quia voluntas hominis sola non sufficit, ut piè rectèque vivamus, nisi misericordiâ Dei adjuvemur: potest & hoc modo dici, igitur non est miserentis, sed volentis est hominis, quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur.* Quam autem absurdè illud dicatur, sanctus Doctor declarat his verbis: *Manifestum est frustra nos velle, nisi Deus misereatur, illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus.* Unde concludit, *non igitur ideo dictum esse putandum, non volentis neque currentis, sed Dei miserentis, quia sine ejus adjutorio non possumus adipisci quod volumus; sed ideo non possumus, quia sine ejus vocatione non volumus.* Quibus verbis sanctus Augustinus clarè docet actu velle & orare non effectum auxilii, *sine quo* non possumus velle & orare, sed auxilii, *quo* volu-

mus & oramus, & lib. de cor. & grat. cap. 12. *tantùm Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tantâ infirmitate vitæ hujus (in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas sua .... inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ .... succumberet, ... quia deficientes infirmitate, nec vellent, vel non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent*, Quid expressius pro nostrâ responsione? 3°. Si actualis oratio aliquando tribueretur gratiæ sufficienti, qui sic ad orandum se determinasset, per consensum propriæ voluntatis se discerneret ab eo, qui gratiæ orationis non consensisset, non solùm in eo quod orasset, sed etiam in sequentibus operibus, quæ essent fructus orationis. Quàm autem aliena sint ista à doctrinâ sancti Augustini liquet in cap. 6. lib de dono persever. ubi laudans quod dixerat S. Cyprianus in expositione orationis Dominicæ, totum Deo esse tribuendum, sic ait: *Tutiores igitur vivimus si totum Deo damus. Non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus:* illi quidem posse quia inest nobis per ejus gratiam; nobis verò velle quia exurgit ex libero arbitrio.

Confirmatur ex eodem sancto Augustino, qui citatâ qu. 2. lib. 1. ad Simplicianum de oratione speciatim sic scribit: *Nonne aliquando ipsa oratio nostra sic tepida est vel potius frigida, ut penè nulla, imò & interdum nulla sit, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus: quia si vel hoc dolemus, jam oramus? Quid igitur aliud ostenditur nobis, nisi quia & petere, & quærere, & pulsare concedit, qui ut faciamus, jubet?* & epistolâ 194. aliàs 105. ad illa verba: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, sic habet: *ita dictum est*, interpellat,

quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi inspirat affectum .... neque enim & hoc ita fit de nobis tanquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritûs-sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus, facit. Ergo in mente sancti Augustini, oratio actualis non minùs est effectus gratiæ efficacis quàm opus supernaturale.

Quid ad hæc repones? Lutherana, inquis, est isthæc doctrina non minùs pugnans adversùs notissima Philosophiæ principia, quàm adversùs inconcussa fidei dogmata. Si enim Deus non solùm dat posse, sed & ipsum velle, atque ideo totum ei sit dandum, manifestè sequitur quòd velle, seu motus voluntatis non sit actus vitalis multò minùs liber, quo nihil absurdius tum apud Philosophos, tum apud Apostolum, qui 1. Corinth. 15. clarè distinguit duas causas partiales boni operis, gratiam scilicet & voluntatem; *non ego*, inquit, *sed gratia Dei mecum.*

Sed palpas in luce meridianâ; quid enim clarius, *neque enim, & hoc ita fit de nobis, tanquam nihil facientibus nobis.* Sed. quia *agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum*, ut loquitur idem S. Doctor lib. de grat. & lib. arb. cap. 21. ipse facere dicitur quod ut faciamus facit. Sic Matth. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritûs Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Sic Gal. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba Pater.* Sic autem expressum est adjutorium Spiritûs sancti, quia non solùm dat facultatem loquendi, postulandi, & clamandi cum gemitibus inenarrabilibus, quæ omnia sunt actus vitales, & liberi, cùm motioni divinæ dissentire possumus ex lib. de spiritu & lit. cap. 33. sed insuper dat

usum hujusce facultatis, motum voluntatis; *nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent ..... infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet.* lib. de cor. & gr. c. 12..

Totum ergo Deo detur, etiam ipsa justi merita, quia, inquit sanctus Doctor citatâ Epistolâ 194. *Cùm Deus coronat opera nostra, nihil aliud coronat quàm munera sua .... nec ideo, quia non meritis datur* (vita æterna) *sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.* Voluntas quidem activè & & liberè ad opus meritorium concurrit, sed propterea dici non debuit causa partialis, cùm hujusmodi elocutio jam dudum explosa sit in 35. cong. *de Auxiliis;* causa quippe partialis adjuvat alteram, ejusque efficaciæ propriam adjungit. Quis autem Catholicus hoc dixerit de voluntate concurrente cum gratiâ?

Certè doctrina hæc prorsus aliena est à mente S. Augustini, ut agnovit Cardinalis Toletus Molinæ coætanus & ejusdem cum ipso societatis annot. 4. in caput undecimum Ep. ad Rom. ubi sic habet: *Augustinus existimat totum esse gratiæ; quia Deus facit hominem cooperari, & determinat liberum arbitrium hominis, quia dat ut velle possit, & facit velle.* Ergo juxta doctrinam sancti Augustini usus gratiæ sufficientis est gratia specialis, sine quâ gratia sufficiens non obtinet effectum.

Probatur 2°. ex Synodo Tridentinâ, quæ sess. 6. can. 13. docet omnibus justis concessam esse gratiam sufficientem ad perseverandum, *in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent.* & canone 18. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit:* atqui hu-

jusmodi gratia sufficiens nunquam obtinet effectum, nempe perseverantiam, injustis non prædestinatis, utpote qui careant efficaci perseverantiæ dono electorum proprio; sic enim definit sancta Synodus can. 22. *Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitiâ perseverare posse ... anathema sit.* Ergo datur gratia verè & propriè sufficiens, quæ nunquam obtinet effectum.

Respondent nonnulli è Modernis donum perseverantiæ æquæ respectu adultorum ac parvulorum, in eo solùm esse, ut infallibiliter & insuperabiliter conjungatur mors cum statu gratiæ; adeo ut justis minimè sit necessarium ad piè rectèque vivendum, sed solùm ad feliciter moriendum: atque ita absque difficultate conciliare se existimant laudatum canonem 18. cum canone 22. priori enim canone, inquiunt, agitur duntaxat de gratiâ quâ Deus justos omnes etiam non prædestinatos adjuvat, illisque possibilia reddit mandata: in posteriori verò sermo est solummodò de speciali Dei protectione, sine quâ justus (nisi prædestinatus fuerit) diem extremum cum gratiâ sanctificante claudere nequaquam potest; quod enim homo seriùs aut ocyùs moriatur, non pendet ex ejus libero arbitrio, sed ex merâ Dei voluntate & potestate: ideo autem justus, qui non est prædestinatus, obire non potest in statu gratiæ sanctificantis, quia ea est conditio in statu naturæ corruptæ à Deo posita, ut nullus hinc exeat cum gratiâ sanctificante absque speciali perseverantiæ dono. Suam autem interpretationem confirmare nituntur tum ex cap. 4. libri Sapientiæ ubi de justo dicitur, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, in quem locum sic scribit sanctus Augustinus lib. de prædestinatione San-

ctorum cap. 14. *dictum est secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei qui hoc præscivit quod futurum erat, non quod futurum non erat, id est, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationem subtraheretur incerto:* tum ex libro de perseverantiæ dono cap. 6. ubi habet S. Doctor, *Multi eam* (perseverantiam) *possunt habere, nullus admittere .... hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest: sed, cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest.* Atqui Concilium Tridentinum sess. 6. can. 23. definit gratiam ad benè operandum concessam quantumcunque sit efficax, amitti posse, quia homo per liberum arbitrium dissentire potest. Ergo cùm donum perseverantiæ contumaciter amitti non possit, necessariò sequitur illud præcisè consistere in conjunctione gratiæ sanctificantis cum morte, quam prædestinatus impedire nequit, cùm non pondeat ab ejus voluntate.

Contra si donum perseverantiæ nihil confert ad rectè vivendum, sed solùm ad beatè moriendum: Ergo justus non prædestinatus, proindeque speciali illo dono destitutus, benè operari, & bonis operibus in gratiâ crescere potest: salvari autem, & mercedem bonorum operum accipere non potest, cùm tamen gratia ad id detur, & bona justorum opera eò tendant. Ergo donum perseverantiæ non est auxilium, quo infirmi adversùs tentationes dimicent, sed conditio justis non prædestinatis onerosa & exitialis, cùm eâ sublatâ, plures ex iis sicut ex Angelis salvarentur; fingi enim alia ratio non potest, cur illi omnes sine gratiâ hinc exeant, etiamsi diù in gratiâ vixerint, quàm illa fatalis conditio, quæ deest ex parte Dei. Ergo Deus non secùs ac Principes terræ impios à malo cohibere non potest, nisi mortem ipsis inferat. *Quis porrò tam piè desipiat,* in-

quit S. Augustinus, Enchir. cap. 98. *ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere?* Impiam hujusmodi cogitationem longè à mente fidelium esse debere jam scripserat cap. 95. in quo sic habet, *hoc nisi credamus* (in manu Dei omnium esse voluntates) *periclitatur ipsum nostræ confessionis initium, quâ nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur; neque enim ob aliud veraciter vocatur Omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.* & c. 14. de Prædestinatione Sanctorum, de justo qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, sic ait: *Qui vitæ brevitate rapuit justum, ne malitia mutaret intellectum ejus, ipse in quantâcunque vitæ longitudine custodit justum, ne malitia mutet intellectum ejus.* Tot absurda, quæ sunt consenctaria novæ opinionis, quam refellimus, detestantur genuini Molinæ Defensores, *sur l'article de l'efficacité de la grace*, inquit P. Daniel Tract. de efficaciâ gratiæ pag. 160. *il y a deux verités de foi, desquelles on ne peut s'écarter sans heresie. La premiere, que Dieu est le maître de nos cœurs, qu'il n'y en a point de si endurcis qui lui resistent, quand sa misericorde veut les amolir .... L'autre verité de foi est, que quelqu'efficace, quelque forte que soit une grace, elle ne détruit pas la libertè de l'homme, elle ne lui impose point un nécessité inévitable de lui obéir, & qu'il peut toûjours y résister.* Enimverò Apostoli, qui accepto Spiritû-sancto, efficaciter in gratiâ confirmati fuerunt, liberum retinuerunt arbitrium, alioquin absque merito adversùs tentationes dimicassent: beata quoque Virgo cum speciali suo privilegio, quo immunis fuit ab omni peccato etiam levissimo, physicè poterat peccare, inquiebar suprà M. Grandin:

ſed qua potentia illa phyſica conjucta erat cum impotentiâ morali, nunquam exiit in actum; quæ enim ſic moraliter impoſſibilia ſunt, nunquam exiſtunt. Conſule pag. 514. & ſeq.

Donum ergo perſeverantiæ in adultis aliquo ſenſu amitti non poteſt, & alio amitti poteſt; in eo quippè duo includuntur, ſcilicet conjunctio gratiæ ſanctificantis cum morte, & ſeries gratiarum efficacium, quibus adultus prædeſtinatus præparatur, & infallibiliter perducitur ad beatum illum finem. Porrò ſi ſpectetur donum perſeverantiæ ut id quo actu conjungitur mors cum gratiâ, certum eſt illud contumaciter amitti non poſſe, quia juſtus per mortem conſtituitur in termino, in quo nec proficere, nec deficere poteſt, juxta illud Eccl. 11. v. 3. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit*, id eſt, in quo ſtatu mors hominem deprehenderit, in eo æternùm erit. Si autem ſpectetur donum perſeverantiæ in gratiis præviis, quibus peccator efficaciter adducitur ad pœnitentiam, & à pecato jam liberatus, in bono uſque in finem infallibiliter cuſtoditur, ne malitia mutet intellectum ejus, de fide eſt ſpeciale illud donum poſſe amitti; ipſe enim Apoſtolus, licèt in gratiâ confirmatus, ſibi ſicut ceteris dictum credens, *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ juſtâ*, ait, 1. Corinth. 9. v. 27. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Ergo gratis & abſque Scripturarum & ſanctorum Patrum teſtimonium hodie nobis obtruditur ſpeciale donum perſeverantiæ in adultis id unum efficere ut ex hâc vitâ cum gratiâ demigrent, quaſi timendum non ſit malè vivere, modò felici-

rer mori contingat, & hæc sit tota illa perseverantia, quam speramus, & instanter à Deo petimus. Sed parum est ostendisse hujusmodi opinionem nullâ ratione, nullâve auctoritate esse suffultam; cùm enim perniciosa videatur operæ pretium est insuper demonstrare eam pugnare adversùs Scripturam, traditionem & communem Catholicorum sensum.

Ac primò quidem adversùs Scripturam pugnat; namque Matth. 24. vers. 24. fieri non potest, ut electi in errorem inducantur, *Surgent pseudo-Christi & , pseudo-Prophetæ*, ait Christus, *& dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Hîc magnificè commendatur doni perseverantiæ efficacia, non eò solùm, quòd electi infallibiliter cum gratiâ sanctificante decedant, sed quòd adversùs gravissimas tentationes immobiliter ac insuperabiliter stent inconcussi in iisdem temporis circunstantiis, in quibus non prædestinati seducuntur & corruunt. Matth. 6. Christus hanc nobis orationis formulam dictavit, *& ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo:* Atqui ex sancto Augustino libro de dono perseverantiæ cap. 5. 6. & 7. Sancti nihil aliud, quùm ut in sanctitate perseverent, & nullis tentationibus succumbant, precantur: Ergo perseverantiæ donum habent electi, ut non solùm insuperabiliter cum gratiâ hinc exeant, sed etiam ut tentationibus invictè resistant.

Secundò hujusmodi opinio adversatur Conciliorum definitionibus contra Pelagianos & Semipelagianos, in quibus necessitas doni perseverantiæ repetitur ex continuâ necessitate divini auxilii ad vincendas tentationes, & insi-

stendum bonis operibus: *Ex istorum sacrilegâ disputatione*, inquit Concilium Carthaginense Epistolâ ad Innocentium I. *necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, ne deficiat fides nostra, quod pro Apostolo Petro se rogasse ipse Christus testatus est.* & Concilium Arausicanum II. can 1. *Adjutorium Dei*, inquit, *in renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Hîc non dicitur semper orandum præcisè, ut bene moriamur, sed ut in bonis operibus perseveremus usque in finem, neve aliquando deficiat fides nostra.

Tertiò S. Augustinus passim, maximè verò libro de correptione & gratiâ refert ad speciale donum perseverantiæ non solùm quòd electi cum gratiâ moriantur, sed etiam cum gratiâ invincibiliter operentur; namque cap. 12. num. 38. de electis in statu naturæ corruptæ sic habet: *Tantùm Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt: ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint; nam si in tantâ infirmitate vitæ hujus (in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas, sua ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideò perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideò, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.* Istam efficacem gratiam, quæ conceditur homini lapso, opponit sanctus Doctor gratiæ Adamo innocenti concessæ, de quo sic præmisit cap. 11. num. 32. *ut in bono*

permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo omnino non posset & acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset, perseverasset; quod ut nollet, de libero descendit arbitrio, quod tum ita liberum erat, ut & bene velle posset & malè; atqui luce clarius est sanctum Augustinum non loqui de gratiâ: quæ Adami peregrinationem terminaret (cùm certum sit ac indubitatum apud Catholicos Adamum post lapsum pœnitentem, extremum diem clausisse cum gratiâ sanctificante,) sed de gratiâ, in quâ non perseveravit, & per quam bene operari, & à malo abstinere posset sit vellet: nunc autem datur potentior, quamvis minus lætior, quâ regenerati in Christo non solùm velle & operari possunt, sicut Adamus, sed etiam invictissimè volunt & operantur: Ergo efficacia posterioris hujusce gratiæ non solùm mortem cum gratiâ conjungit, sed etiam voluntatem firmat in bonis operibus, & invictam servat in periculis & tentationibus.

Eò spectare donum perseverantiæ docet etiam S. Thomas 1.2. qu. 109. art. 10 his verbis: *Homo in gratiâ constitutus non quidem indiget aliâ aliquâ habituali gratiâ, sed divino auxilio ipsum dirigente & protegente contra tentationum impulsus: & ideo postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet à Deo petere prædictum perseverantiæ donum; ut scilicet custodiatur à malo usque ad finem vitæ, multis enim datur gratiâ, quibus non datur perseverare in gratiâ.* Ergo donum perseverantiæ in mente sancti Thomæ non in eo præcisè consistit, ut quis in extremis positus gratiam sanctificantem accipiat, & cum eâ decedat; sed datur ut semel justificatus, in bono opere sit constans, & adversùs tentationes usque in finem dimicans victor existat.

Quartò, denique præjudicata est omnium opinio, eum, qui vitam in peccatis usque ad ultimam ægritudinem protrahit, in peccatis decessurum, solamque viam tutò ad optatum finem perducere, quam Scripturæ demontranr, Matth. 26. v. 14. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Lucæ 21. v. 36. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini .... stare ante Filium hominis.* 2. Petri cap. 1. v. 10. *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Et ratio est, quia, ut docet sanctus Thomas 1. 2. qu. 113. art. 10. gratia non secùs ac natura secundùm consuetum operandi modum ab imperfectis ad perfectiora progreditur, adeo ut sicut paulatim ad sanitatem venit corporis curatio, alioquin subitanea pro miraculo haberetur, ut in socru Petri Matth. 8. ita sit *iste communis & consuetus cursus justificationis*, inquit Angelicus Doctor, *ut Deo movente interiùs animam, homo convertatur ad Deum primò quidem conversione imperfectâ & postmodum ad perfectum deveniat .... quandoque verò tam vehementer Deus animam movet, ut statim quandam perfectionem justitiæ assequatur, sicut fuit in conversione Pauli .... & ideo conversio Pauli tanquam miraculosa in Ecclesiâ commemoratur celebriter*, Unde, cùm miracula à Deo expectare non debeant, qui à constituto ordine gratiæ recedit, sanctus Augustinus serm. 363. aliàs homil. 41. ex lib. hom. 50. sic habet: *agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus* (per Sacerdotis ministerium) *si securus hinc exit, ego non sum securus ... pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.* Loquitur ibi S. Doctor de peccatore, qui in infirmitate Sacerdotem accersit, pœnitentiam petit, Sacramentis munitur; dubitat tamen S. Augustinus

an cum dono perſeverantiæ ad Dominum proficiſcatur. Quare ? propter malè ante actam vitam & defectum perſeverantiæ in bonis operibus; de eo enim, qui poſt pœnitentiam benè vixit, certò pronuntiat non quidem certitudine abſolutâ & phyſicâ, ſed morali; *quandocunque defunctus fuerit ad Deum vadit, ad requiem vadit, regno Dei non privabitur.* Ergo donum perſeverantiæ non in eo ſolùm eſt, ut adulti infallibiliter decedant in ſtatu gratiæ, ſed etiam ut invictiſſimè adversùs tentationes dimicent, & in bonis operibus ad mortem uſque perſeverent. Iſta paulò latiùs tractari debuerunt, ne quis inani opinione deceptus, pœnitentiam ad ultimam ægritudinem differat, & perſeverantiæ donum poſt diſſolutam ac depravatam vitam ſibi in morte non defuturum confidat, quemadmodum nec defuit latroni juxta Chriſtum in cruce pendenti & aliis quibuſdam; ejuſmodi quippe repentina mutatio miraculi ſpeciem præ ſe fert, inquit ſanctus Thomas, quæ ita à deſperatione revocat, ut ſpem complere non poſſit, dicente Domino Proverb. 1. *Quia vocavi, & renuiſtis .... Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo.* Conſule quæ in hanc rem dicta ſunt pag. 433. 434. & 435.

Porrò ex hujuſmodi diſſertatione certò colligitur juſtos non prædeſtinatos, licèt habeant gratiam verò ſufficientem ad vincendas tentationes & perſeverandum uſque in finem, ut conſtat tum ex Concilio Tridentino ſupra laudato tum ex Bullis Summorum Pontificum Innocentii X & Allexandri VII. in gratiâ tamen non fore perſeveraturos: Ergo in ſtatu naturæ corruptæ datur gratia verè ac propriè ſufficiens, quæ nunquam obtinet effectum ad quem datur.

Probatur 3°. ex constanti doctrinâ omnium Theologorum, qui efficaciam gratiæ non repetunt ex consensu voluntatis; nam & ipsi Congruistæ, si unum aut alterum exceperis, constanter docent gratiam sufficientem in hoc statu nunquam habere effectum sine efficaci.

Chorum ducet sancti Thomæ Schola. Cùm autem laudo celebrem illam Scholam, innumeros in testimonium appello Theologos, quot enim Religiosi Ordines, quot Academiæ propugnant ejus dogmata? Porrò ex innumeris illis Theologis vel unus proferatur, qui non concinat cum P P. Massouliero & Goneto. Illos præ cæteris appello, utpote celeberrimos, cùm eorum scripta omnium manibus ferantur, & publicè docuerint, & quidem cum plausu; ille Romæ, ubi in magnâ existimatione fuit apud tres Summos Pontifices ob insignem eruditionem cum singulari pietate conjunctam; iste in Galliis, testimonium consecutus ab Illustrissimo Carnotensium Episcopo in Mandato anni 1708. doctrinam de gratiâ tradidisse orthodoxam.

P. autem Massoulierus in opere, qui titulus est, *S. Thomas sui Interpres*, sic scribit: *nihil vetat, dici voluntatem sine efficaci auxilio posse & non posse actum producere. Potest sine auxilio efficaci potentiâ veluti solidariâ: non potest autem potentiâ cum actu conjunctâ. Quin imò ita videtur necessariò affirmandum; cùm expressè à Concilio Tridentino utrumque eodem loco (ubi de implendis præceptis agitur) conjunctum fuerit & posse & non posse*, sess. 6. cap. 11. Patris autem Massoulieri meminit cum laude Episcopus Carnotensis in suo Mandato pag. 40. his verbis: *Il s'est expliqué sur la grace suffisante nettement, suivant les principes que saint Thomas l'Ange de l'Ecole en a posés* CONFORME'MENT A LA TRADITION.

P. Gonetus disputatione 1. de necessitate gratiæ art. 6. parag. 2. *Minima gratia*, inquit, *sufficit* (ad resistendum cuilibet motui concupiscentiæ) *quantum est de se, & ex naturâ suâ, non verò quatenus est in tali subjecto, cum pugnâ appetitûs & cum debilitate rationis propter ignorantiam.* Hunc autem Scriptorem laudatus Episcopus Carnotensis pag. 34. vocat Theologum commendabilem propter ejus zelum adversùs Jansenii Defensores.

Et hæc de Scholâ sancti Thomæ sufficiant. De aliis verò Scholis sic testatur Eminentissimus Cardinalis de Bissy, Episcopus Meldensis in Institutione ad suum Clerum pag. 175. *Il y a d'autres Theologiens Catholiques que les Thomistes*, inquit, *qui croient que la grace efficace détermine par elle même la volonté au bien; mais ils font consister son efficacité dans un plaisir victorieux de la cupidité.*

Selon ces mêmes Theologiens les graces des deux états sont differentes; celles de l'état d'innocence ne donnoient que le pouvoir de faire le bien; au lieu que dans l'état present il y a deux sortes de graces interieures: les unes donnent le pouvoir de faire de bonnes œuvres: & les autres les font pratiquer. Les mêmes Theologiens ajoûtent que sans ces dernieres graces ON NE LES FERA JAMAIS; *mais ils déclarent en même-temps, que le besoin qu'a la volonté d'être déterminée par une grace au bien, pour qu'elle le fasse, ne vient que de la difficulté à le vouloir, où elle se trouve depuis le peché par le penchant qui la porte au mal: Car ils assurent que l'homme pecheur a conservé sa liberté naturelle pour le bien & pour le mal, c'est-à-dire qu'il a le* POUVOIR PHYSIQUE *entier & parfait de se déterminer à faire le bien, ou à ne le pas faire avec la grace qui n'est que suffisante.*

Luculentum est istud testimonium, utpote

Episcopi Doctoris Sorbonici, quem norunt omnes Jansenianis, quàm maximè adversarium, quique loquitur, non ut Doctor particularis, sed ut Ecclesiæ Pastor: non ex privatâ, sed ex communi Theologorum Catholicorum sententiâ], ut ipse asserit.

Cardinallis Bellarminus è Societate Jesu lib. 2. de gratiâ, & libero arbit. cap. 8. suprà laudato, ad illud Joan. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, sic scribit: *Potest tamen alia responsio adhiberi, quæ, ut verum fatear, magis congruere videtur Evangelicæ sententiæ si dicamus Dominum loqui de gratiâ efficaci, quæ ita suadet, ut persuadeat. Dicitur autem non posse venire, qui non trahitur per efficacem gratiam, non quòd absolutè non possit, sed quia* INFALLIBILITER *non veniet; sicut etiam contra qui trahitur, potest absolutè non venire, tamen* INFALLIBILITER *venit*. Similia habet Suarès lib. 3. de Auxiliis c. 10.

Cardinalis Laurea ex Ordine Minorum opusc. 3. de grat. act. cap. 13. num. 303. *Apostolus*, inquit, *confitetur se imparem ac impotentem ad resistendum legi membrorum, id est, concupiscentiis, à quibus agebatur .... confitetur ergo quod bonum legis cognoscebat & volebat facere. Hoc est gratia præveniens, quæ illuminat ad cognoscendum bonum, & inspirat ad volendum. At dicit quod perficere non habebat propter repugnantiam legis membrorum, id est concupiscentiæ. At non dicit sese liberare ab hâc difficultate per suam voluntatem utentem illis auxiliis illuminationis & inspirationis, sed à gratiâ fidei per Christum, id est, à gratiâ efficaci superante difficultatem, & operante in voluntate, & cooperante cum illâ ut bonum faceret*. Hancce doctrinam pluribus laudibus effert Cardinalis Noris ex Ordine Augustiniensium dissertatione 5. ope-

ris cui titulus est, *Calumnia Jansenismi sublata* cap. 1. & in vindiciis Augustinianis cap. 6.

Isambertus in Scholis Sorbonicis Professor Regius quæst. 3. disp. 8. art. 5. *Respondetur*, inquit, *gratiam purè sufficientem dari creatæ voluntati ad operandum, & licèt nunquam de facto sortiatur effectum, prout est purè sufficiens, non propterea tamen illam dari frustra.* Ergo ab annis centum & amplius, hoc est, ante natam Jansenii hæresim, publicè docetur in Academiâ Parisiensi, gratiam sufficientem sine efficaci nunquam obtinere suum effectum. Obiit quippe Isambertus anno ab Incarnatione 1642. ætatis verò suæ 77.

Alphonsus le Moine Isamberti jam senis collega temperavit communem sententiam, excogitando duplicis generis gratiam sufficientem aliam ad operandum, aliam ad orandum, docuitque priorem semper carere effectu, & in eo consentit cum aliis Theologis: posteriorem verò esse per nutum voluntatis versatilem, & quandoque habere effectum. Hujusmodi temperamentum admisisse dicitur quidam Professor Navarricus, sed communiter rejectum est, utpote in Academiâ novum. Unde,

Gasto Chamillart Alphonsi le Moine successor, sic docet quæst. 1. de necess. gratiæ art. 10. sect. 2. *Per auxilia tantùm ordinaria potest quis operari bonum, sed non operatur, ut enim de facto bonum operetur, requiritur auxilium speciale, gratia scilicet victrix indeclinabiliter operans.* Et qu. 3. art. 9. sect. 1. rejicit opinionem eorum, qui docent gratiam sufficientem orationis aliquando habere effectum.

Martinus Grandin, qui per quinquaginta annos & amplius docuit in Scholis Sorbonicis,

sic loquitur de gratiâ sufficiente quæst 3. de divis. gratiæ sect. 3.pag. 240. *In omni sententiâ* (nota) *quæ non ponit efficaciam gratiæ in solo consensu, gratia sufficiens, prout ab efficaci distinguitur, effectum suum non obtinet.* & pag. 238. *Si cujus gratiæ efficacitas à consensu repetenda esset, maximè gratiæ orationis; sed hoc dici non potest, quippe sicut agendi gratia est efficax à Deo, ita & orandi gratia.*

Guillelmus de Lestoc, qui in locum D. de Saintebeuve suffectus est, & per quadraginta novem annos Theologiam professus est in Scholis nostris qu. 4. de divis. grat. art. 2. hæc habet: *Gratia efficiens tribuit homini posse operari: sed ita ut potentia illa dicat dependentiam ab auxilio efficaci tanquàm à principio, sine quo non est possibile reduci ad actum.*

Edmundus Pirot, priùs Sorbonæ Professor Regius, deinde per plures annos Sacræ Facultatis Syndicus, ac tandem Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis & Academiæ Cancellarius, articulo 4. de divis. grat. communem doctrinam de gratiâ sufficiente verbis quàm clarissimis exponit, statuitque imprimis eam in Adamo effectum non obtinuisse ad perseverandum, *ex ipsâ tantummodo voluntatis nequitiâ, nullatenus ex impotentiâ statûs.* Deinde sic pergit; *at eadem jam non est conditio in statu hominis lapsi, in quo gratia hæc solam nobis potentiam confert, nec unquam devenit ad actum, & in quo privatio actûs non modò petitur ex vitio voluntatis, verùm etiam ex statûs infirmitate.* & infrà, *Respondeo hominem gratiâ quâlibet, quantumvis exiguâ excitatum, posse à concupiscentiâ etiam asperrimâ liberari, non potentiâ quidem expetitâ*, scilicet ob statûs infirmitatem.

Frustra & contumeliosè apud indoctos muſ-

sitant nonnulli Almam Academiam excidisse ab illâ integritate, quâ etiam apud exteras gentes tam celebre nomen non solùm sibi, sed & regno acquisivit. Esto aliquando peccatum sit ab aliquibus, sed nullus ordo, nullave societas à suâ integritate eò ipso deflexisse dici debet, quò in eâ aliquid mali contingit, ut sapientissimè advertit Rodriguez in aureo opere de christianâ perfectione, cùm in ipsâ Ecclesiâ alioquin sanctâ & nunquam deficiente, identidem nascantur hæreses & sacrilegia; sed tum demum societas corrupta censenda est, cùm errores & mala impunè in eâ grassantur approbantur, defenduntur, & si quis adversùs ea insurrexerit, inimicus ab ipsâ existimatur: quàm autem aliena sit sacra Facultas ab ejusmodi depravatione, probavit imprimis seculum proximè elapsum, quo castum ejus studium tuendæ veritatis adversùs serpentes multas novitates in fide & moribus maximæ exarsit. Nonne ipsa classicum cecinit contra profana morum dogmata & famosum Jansenii librum? An non detexit latens in eo virus, collegitque in quinque propositiones, quarum damnationem incredibili ardore prosecuta est, Deputatis ex suis Theologis ad Sedem Apostolicam? quàm gratulabunda excepit omnia decreta quæ inde emanarunt? quâ animi fortitudine executioni ea mandavit, ejectis è suo sinu pervicacibus, omni personarum delectu & discrimine remotos? Memor verborum Domini, eruit qui præ singulari eruditione videbantur ejus oculi, abscidit & prejecit abs se, qui, ut gratiâ scribendi pollebant, manus ejus meritò dixisses. Quid addam de indefessâ ejus vigilantiâ, ne malum in sacrum ordinem latenter obrepat? si quem

è suis vel erroneum, vel ambiguum quid proferre contingat, illud pro officio statim aut revocari, aut explicari exigit, cogente nemine, sed uno veritatis amoris incitata. Hanc olim Summus Pontifex Gregorius IX. appellare non dubitavit fodinam Ecclesiæ, ex quâ purissimum doctrinæ aurum eruitur, *ejus Academiæ*, inquit Melchior Canus lib. 12. de locis Theol. *de fide & Religione fixa constantiaque decreta semper Christi Ecclesia suspexit. Qui verò contempserunt, inaniaque & levia, ac pro nihilo existimaverunt, omnes ad unum periclitati sunt*

Ergo ejus doctrinam ita expurgatam, ubique probatam, ET IN REGNO VELUTI VERNACULAM instituendis Ecclesiæ Gallicanæ Clericis præ quâcunque aliâ tradere consentaneum fuit.

Solvuntur Objectiones.

Antequam discutiamus quæ hîc opponi solent, duo sunt observanda.

Primum, rem nobis esse cum Jansenii & Molinæ sectatoribus, sed ratione planè diversâ; Jansenii Defensores quippe pugnant adversùs doctrinam hîc traditam, ut gratiam sufficientem è medio tollant tanquam portento similem: Molinistæ verò, ut suadeant gratiam sufficientem, quam cum omnibus Catholicis in hoc statu admittunt, pro innatâ voluntatis libertate modò habere effectum, modò non habere.

Secundum: tela, quæ hîc utrique intorquent, sed fine planè diverso, esse deprompta ex ratione humanâ secundùm Philosophiam, *in argumentis operariam contentionum*, inquit Tertullianus c. 8. de præscript. *Quid autem Athenis & Jerosolymis?*

Quid Academiæ & Ecclesiæ? Quid Hæreticis & Christianis? Enimverò quis nesciat hæreticos argumentis Philosophicis semper oppugnasse Christianæ Religionis mysteria, Sacro-sanctam Trinitatem ut secum pugnantem, Incarnationem ut absurda involventem, prædestinationem & quæ ex eâ sequuntur Dei beneficia, quasi liberum arbitrium perimant, & virtutis studium comprimant. Miratus sum quòd libelli, qui incerto authore hunc circumferuntur de gratiâ, nonnisi ratiunculas inferant, quas olim sanctus Augustinus in Pelagianis & Semipelagianis diluit libris præsertim de corr. & grat. de prædestinat. SS. & de dono perseverantiæ his præmissis,

Objiciunt 1°. Jansenius & ejus Defensores, portento similis videtur illa gratia, quæ nunquam habuit, nec habitura est effectum: Ergo.

Vel ex istâ objectione intelliget lector, quâ fide à quibusdam asseratur doctrinam, in quam adeò impotenter debacchantur Jansenius & ejus sectatores, esse Jansenianam, novam, & ante ipsos in Scholis Catholicis inauditam. Sed ad objectionem

Respondeo negando antecedens. Jam enim ostendimus & sancto Augustino lib. 1. de pecc. mer. capite ultimo, lib. 2. cap. 3. & lib. de spi. & lit. cap. 1. multa esse exempla eorum, quæ nec extiterunt, nec extitura sunt, quamvis sint possibilia. Homo, v. g. ope divinâ potest esse sine peccato etiam veniali; nullus tamen fuit, exceptâ beatâ Virgine, aut futurus est sine peccato: potest dissentire gratiæ efficaci, nunquam tamen ei dissensit, nec dissentiet. Quid ergo mirum quòd possit consentire gratiæ sufficienti, nec unquam ei consensurus sit sine gratiâ efficaci.

Objiciunt 2°. Illa gratia non est admittenda, quæ prorsùs inutilis est, quam dæmon vellet concedi, utpote quæ hominem non reddat meliorem, sed, solùm inexcusabilem, pro quâ denique Ecclesia non orat: atqui gratia sufficiens est ejusmodi: Ergo.

Nego minorem quoad singulas ejus partes.

1°. Gratia sufficiens dici non potest inutilis, cùm anno 1690. Decreto Inquisitionis damnata sit hæc propositio, *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quàm perniciosa est, sic ut meritò possimus petere: à gratiâ sufficiente libera nos, Domine.*

Quærenti autem quæ sit utilitas gratiæ sufficientis, respondeo cum sancto Augustino libro 5. contra Julianum cap. 3. multa in hâc vitâ sine salutis labe nesciri; quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, ut rationem reddat, cur aliquos non eo modo vocet, quem novit congruere, ut vocationi respondeant? Nosse nobis sufficiat Deum justum & bonum, nullum innocentem punire, quia justus est; & neminem velle perire, sed omnes ad pœnitentiam adducere, quia bonus est. Theologi tamen plura gratiæ sufficientis commoda numerant inter quæ duo præcipua nobis videntur.

Primum, quòd cupiditatem minuat, & ardorem concupiscentiæ ita temperet, ut voluntas resistere possit: quòd autem consentiat, ex ejus pravitate est, non ex vitio aut imbecillitate gratiæ.

Nec dicas imperiti aut imprudentis esse Medici, adhibere remedia non profutura, cùm suppetant efficacia. Quia si remedia illa infirmum disponunt ad efficatia, quæ Medicus paratus est subministrare, non solùm culpan-

dus non est, sed laudandus. Porrò gratiæ sufficientes disponunt ad efficaces, quas Deus non denegabit, si voluntas prioribus utantur, ut potest & debet.

Secundum ex gratia sufficiente commodum reportat sive justus sive peccator; 1°. quòd per eam uterque monetur & excitatur ad faciendum quod potest, & petendum quod non potest; gratia enim sufficiens ex sæpè dictis est supernaturalis illustratio mentis & pia motio voluntatis. 2°. Quòd ubi gratiæ sufficienti ambo non obtemperarent, justus venialiter peccando, peccator lethaliter, minùs prætexant propriam infirmitatem, ut culpam excusent, sed magis seipsos & dejiciant & ad pœnitentiam excitent, quòd Deum misericorditer sibi opitulantem contempserint. Sed hæc jam fusiùs exposuimus.

2°. Impiè dicitur gratiam sufficientem eam esse, quam Dæmon expetere possit. Quis enim sine offensione audiat ad vota Dæmonis Deum verbis Moysis Pharaonem monuisse, portentis & flageolis teruisse; Christum in civitatibus Corosaïn & Bethsaïda prædicasse, & virtutes multas fuisse operatum; Justis, qui perseveraturi non sunt, gratias efficaces aliquando conferre?

3°. Ecclesia eò ipsò, quò orat pro omnium salute, iis omnem benedictionem à Deo per Jesum Christum Dominum nostrum postulat. Nec mirum quòd determinatè non petat gratiam, cui homines resistant; cùm nequidem sic petat gratias efficaces temporaneas. Unde ex Jansenianorum ratiocinio sequitur nullam gratiam in hoc statu agnoscendam, præter donum perseverantiæ; quia Ecclesia determinatè non orat pro gratiis, quas amissuri sunt reprobi.

Confirmatur

Confirmatur responsio. Ecclesia orat, ut ad nullum declinemus Peccatum, sive mortale sive veniale; atqui datur solùm gratia sufficiens ad vitanda omnia peccata venialia: Ergo Ecclesia indeterminatè orat pro omni gratiâ.

Objicies pro Molinæ dogmate. Nostra doctrina pugnat contra receptum Philosophorum effatum, quòd in materiâ contingenti propositio universaliter negans aut affirmans, quales sunt istæ, *Nullus homo currit: Omnis homo currit:* semper est falsa: atqui hæc propositio, *Nullus homo gratiâ sufficiente adjutus, id operatur, ad quod datur*, est in materiâ contingenti: Ergo est falsa.

Distinguo majorem. Propositio universalis in materiâ contingenti est semper falsa, si absolutè enuntietur, ut in exemplis allatis, Concedo: si in aliquâ hypothesi, Nego majorem Nam si supponantur ea impedimenta in omnibus & singulis hominibus, quæ mortalem impotentiam inducant, veræ erunt ejusmodi propositiones: Nullus mendicus respuet pinguem eleemosynam. Nulla mulier nobilis & molliter enutrita longum iter pedibus conficiendum sponte suscipiet, quamvis physicè possint, ille respuere pinguem eleemosynam, ista longum iter conficere, cùm vires sufficientes illis non desint, sed sola voluntas.

Distinguo similiter minorem. Hæc propositio, *Gratia sufficiens nunquam sortitur effectum*, est in materiâ contingenti, & enuntiatur hypotheticè, scilicet in statu naturæ lapsæ, in quo homo, gratiâ duntaxat sufficiente adjutus, non habet potentiam expeditam, sed implicatam difficultatibus, ad quas superandas vires sufficientes & proportionatas habet, Concedo, & enuntiatur

absolutè pro quocunque statu etiam naturæ integræ, in quo nulla erat difficultas: Nego minorem.

Distinguo similiter consequens. Ergo hæc universalis propositio est falsa absolutè, & respectu cujuscunque statûs, Concedo: Adamus enim, quandiu stetit innocens, consensit gratiæ sufficienti, sicut & Angeli qui perseveraverunt. Est falsa hypotheticè, & respectu hujus statûs, Nego conseq. quia ex S. Augustino lib. 3. de pecc. mer. c. 3. *Ad nonnulla superanda, quæ vel malè cupiuntur, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis, quas non perfectè in omnibus adhibituros prævidit, qui per Prophetam veridicè dici voluit; Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; quòd enim vires, quas ad agendum habet pares, non adhibeat, negligentiæ ejus tribuitur, ac propterea excusari omninò non potest.

Instabis: Atqui gratia sufficiens in hoc statu non est semper conjuncta cum hujusmodi difficultatibus, quæ eam semper privent effectu: Ergo gratia sufficiens in hoc statu aliquando habet effectum.

Probatur antecedens: 1°. quia ex dictis non omnia opera infidelium, etiam eorum qui nihil audierunt de Evangelio, sunt peccata, sed nonnulla faciunt, quæ non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus, ut demonstravimus c. 5. parag. 2. Ergo à fortiori fideles, qui verum Deum colunt & mandata ejus noverunt; 2°. quia ex tentationibus, quæ difficultatem creant, aliæ sunt leves, aliæ graves: atqui homo naturæ viribus potest etiam potentiâ morali superare leves tentationes, si non omnes collectivè, saltem aliquas ex dictis capite 5. parag. 1. 3°. quia frequenter con-

currunt circunstantiæ, quæ suaviter inducunt ad nonnulla exequenda, quæ sunt legis naturalis: mater, v.g. delectabiliter opitulatur filio, uxor conjugi, filii parentibus, amici suis familiarissimis, multi cum delectatione multa præstant, quæ sunt sui officii, utpote qui vel naturaliter, & ex usu in illa propendeant. Ergo, si absque gratiâ aliquando ista præstant, à fortiori si gratiâ sufficiente adjuventur.

Nego subsumptum.

Ad Confirmationem concesso antecedente, distinguo conseq. ista præstant naturaliter, & ex motivo naturali, Concedo: supernaturaliter, & ex motivo supernaturali, Nego consequ. Enimverò anima corruptibili corpore aggravata, nisi potenter & efficaciter supra se elevetur, &, quod est difficillimum, amorem suî, superbiam, & omnem naturalem affectum comprimat; determineturque supernaturali delectatione, ex motivo naturaliter delectabili operabitur; adeò ut quemadmodum delectatio appetitûs sensitivi impedit, ne voluntas sequatur judicium rationis; ita honestas humana, ardor naturalis, v.g. subveniendi patri charissimo, vel absolvendi operis necessarii & perjucundi, omnem mentis attentionem ad se trahant, sterilisque remaneat divina inspiratio, veluti extraneus surculus arbori insertus, qui arescit, nisi amputentur connaturales rami, in quos truncus succum propensiùs transmittit.

Confirmatur solutio. Justi ex dictis certò scire nequeunt, num ex gratiâ, quam ipsis non deesse mox dicturi sumus, aut ex naturali inclinatione & humano affectu opera sua bona procedant: & eò magis timere debent, ne natura totum opus sibi vindicet, quò præcipites

se in illud ferri sentiunt, utpote temporaliter utile, honorificum, & consuetis moribus delectabile, quæ enim juvant operationem naturalem, ea ipsa plerumque impediunt supernaturalem. Et quamvis justus gratiæ sufficientis auxilio illum affectum tam naturalem, tam vehementem possit trascendere, & supernaturalia consectari supra se assurgens, nunquam tamen vires satis exeret, nisi præveniatur potentiori Dei auxilio, quo non solùm possit, sed etiam velit & perficiat.

Ex iis, quæ hactenus disputata sunt de actuali gratiâ tum efficaci tum sufficienti, patet nulla argumenta ex lumine naturali deducta opponi, quæ facilè solvi non possint, mysteriumque gratiæ ita esse supra rationem, ut tamen adversùs eam non pugnet. Verùm novam hîc movere quis posset controversiam atque incrimen vertere, quod in objectionum explanatione vocaverim in primâ hujus operis editione *moralem impotentiam*, *moralem necessitatem*, difficultates, quas semper patitur homo in statu naturæ lapsæ solâ gratiâ sufficiente adjutus; adeò ut satis mihi non fuerit exposuisse causas, cur gratia sufficiens in hoc statu nunquam absque efficaci sortiatur effectum, nisi demonstrassem insuper ejusmodi causas ex communi Theologorum usu: vocari *moralem impotentiam*; *moralem necessitatem*. Quod eò accuratiùs præstandum fuit, quòd non desint, qui novum ac singulare existiment, quod vulgare est apud probatissimos Theologos, quorum scripta non consuluerunt. Ut autem evanescant ejusmodi umbræ,

Observabit lector controversiam hîc esse duntaxat de nomine, propter quod præcisè, quantumcunque supponatur novum, nemo haben-

dus est ut hæreticus & Jansenianus, quando in re nomine significatâ idem prorsùs sentit cum Catholicis. Etenim præterquàm quod hæresis non consistat in vocibus; sed in ipsâ doctrinâ pertinaciter propugnatâ adversùs definita Ecclesiæ dogmata, laudandus est Theologus ex Vincentio Lyrinensi Com. c. 27. qui pretiosas divini dogmatis gemmas scitè exculpit, adornat sapienter, dici novè, modò nova non dicat; &c. 3. *Fas est*, inquit, *ut prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata processu temporis limentur, poliantur; sed nefas est ut commutentur, nefas ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licèt evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.* Atqui pati moralem impotentiam seu moralem necessitatem, & pati difficultates, quæ vinci possunt, quamvis ex negligentiâ non vincantur, sunt termini synonymi, qui idem planè significant dogma non mutant nec mutilant, sed ejus plenitudinem, integritatem, ac proprietatem servant: Ergo Jansenianus aut Hæreticus dici non debet, qui antiquam & Catholicam doctrinam exprimit vocibus licèt novis.

Scio suspectum de hæresi fore, qui in materiâ fidei voces ambiguas & inusitatas usurparet, quamvis in sensu Catholico: sed voces illæ, *moralis impotentia*, *moralis necessitas*, ambiguæ non sunt, nec inusitatæ apud Theologos tum veteres tum recentiores.

1°. Ambiguæ non sunt, imò clariùs & distinctiùs exprimunt quæ sit illa difficultas dissentiendi gratiæ efficaci, & assentiendi gratiæ sufficienti, efficaciùsque solvunt suprà laudatos textus tum scripturæ & Conciliorum, tum Theologorum, qui à 400 annis & amplius pronuntiant neminem etiam justum solo gratiæ suf-

ficientis auxilio posse elicere actum veræ virtutis, gravi tentationi resistere, & in gratiâ acceptâ perseverare.

Quid enim responderetur Novatoribus qui adversùs Catholicos urgent hujusmodi textus ut gratiam sufficientem ab hoc statu excludant & fatalem necessitatem obtrudant sub motione sive cœlesti sive terrenâ? Si responsum fuerit his & similibus elocutionibus significari duntaxat gravem difficultatem, exclamabunt continuò Novatores hujusmodi effugio detorqueri, ac perverti divina eloquia Sanctorumque Patrum scripta; cùm *impossibile* & *difficile* non sint termini synonymi, sed planè diversi ac plerumque oppositi: ignavo quippe prætendenti injunctum opus esse impossibile, reponi solet esse quidem difficile, sed non impossibile. At elingues redduntur, cùm audiunt in sermone vulgari impossibilia dici non solùm ea quæ excedunt vires, sed etiam quæ ita sunt difficilia ut ad ea voluntas nolit se movere, *Ille potestatis defectus*, inquit Petavius lib. 5. Theol. dogm. cap. 10. num 11. *non est absolutè præcisèque capiendus, verùm ut jam dixi, moraliter, ut non posse agere id sit, nunquam velle movere se ad agendum; quamvis absolutè queat.* & Bellarminus lib. 5. de lib. arb. c. 8. *Necessitari moraliter, id est, infallibiliter moveri.* Hoc sensu accipimus vulgares has loquendi formulas, *Non possum hanc præstare gratiam, tantam injuriam condonare, necesse est ut rus petam, adsim loco & horâ condictis.* Cùm autem Deus in sacris Scripturis sermonem dirigat ad homines, mirum non est, si more humano difficile vocet impossibile.

D. Grandin tract. de gratiâ pag. 80. sic quidem scribit, *Non est impotentia moralis suppositâ*

gratiâ. At verò de quâ gratiâ loquitur D. Grandin, propositio enim ejus est universalis & indefinita; quis autem negaverit gratiam generatim sumptam excludere impotentiam moralem?

Quæstio igitur duntaxat esse potest de gratiâ sufficiente, an scilicet excludat impotentiam moralem, & hoc disertè negat ille Theologus Tract. de Angelis qu. 64. art. 2. ubi de Angelis prævaricatoribus sic habet, *Angeli illâ duratione, quâ fuerunt in via, pœnitere potuerunt; tunc enim erant liberi, & ex parte Dei* NON DEERAT GRATIA SUFFICIENS, *quæ duo sufficiunt .... ubi Patres dicunt impossibile Dæmones pœnitere, intellige de Dæmonibus damnatis: vel* IMPOSSIBILE *idem est ac difficile; vel id* INTELLIGE IMPOSSIBILE, QUIA GRATIAM EFFICACEM NON HABUERUNT. Quid clarius eum qui juvatur solâ gratiâ sufficiente, in mente D. Grandin pati quandam impotentiam; non quidem physicam, sed moralem? *Nam ibi est moralis impotentia*, inquit Tract. de gratiâ pag. 91. *ubi voluntas sufficientes habet vires tamen eas adhibitura non est ex quâdam imbecillitate, ignaviâ, mobilitate.*

Traditur etiam nunc Parisiis ista ejus Theologi nostri doctrina in Seminariis sancti Lazari & sancti Sulpitii, excerptaque videtur ex Suaresio l. 8. de Angelis c. 1. num. 25. ubi de Angelis post lapsum sic habet, *Quamvis absolutè non caruerint auxilio sufficiente, nec libertate cessandi à peccato, caruerunt tamen peculiari auxilio moraliter necessario contra obdurationem ... quod potest declarari exemplo hominis obdurati & excæcati, qui cum solo auxilio gratiæ generali & communi relinquitur, nam moraliter nunquam convertetur, si amplius non juvetur: & aliquando hæc impotentia mo-*

ralis talis est , ut infallibiliter nunquam habeat effe-ctum , ut ex materiâ de gratiâ supponimus. Eundem loquendi morem tenuit Franciscus Macedo ex Minorum Ordine , impensè laudatus à Cardinali Noris, & percelebris sæculo proximè elapso , quo Theologiam publicè cum plausu docuit tum Patavii, tum Romæ, ubi munere Consultoris & Censoris in Congregatione sancti Officii functus est, *cum gratia inefficaci & morali quâdam difficultate* (inquit Thesi 54. in Cortina) *stat impotentia moralis ad operandum. Unde dicitur voluntas non posse operari ex Augustino l. de Fide & Symbolo c.* 10. *l. de pec. mer. c.* 17. *l. de cor. & gr. c.* 5. 7. 9. 11. *&* 12. *l. de bono persev. c.* 9. *&* 14.

Appellavimus jam superiùs institutionem Eminentissimi Card. de Bissy ad suum Clerum, in qua meminit duplicis impotentiæ seu necessitatis nimirum physicæ & moralis , monetque pag. 176 Thomistas & alios Theologos docere gratiam sufficientem semper carere suo effectu, ita tamen , ut tribuat veram agendi potentiam ; an moralem aut physicam ipse exponit , *Ils assurent* , inquit , *que l'homme pecheur a le pouvoir* PHYSIQUE *entier & parfait de se déterminer à faire le bien , ou à ne le pas faire avec la grace qui n'est que suffisante.* pag. 288. Docet justos non posse moraliter , sed physicè tantùm observare perseverandi præceptum sine speciali dono , & ita intelligendum Concilium Tridentinum. *Cette explication* , pergit auctor , *doit vous faire comprendre , mes freres , qu'on peut très-bien concilier les Canons & les Chapitres du Concile sur la possibilité des Commandemens en suivant les regles ordinaires du langage* , quo scilicet vocamus impossibile quod est valde difficile. Pag. 27. & 28. expendens effatum S. Augustini, *Quod*

ampliùs delectat, secundùm id operemur necesse est, probat sanctum Doctorem non loqui de necessitate physica & simpliciter dicta, sed de morali aut consequente. *Il est certain que S. Augustin n'a voulu parler que d'une necessité morale, ou que d'une necessité consequente, quand il a dit, qu'il est necessaire que nous agissions conformément à ce qui nous plaît davantage. La premiere laisse le pouvoir entier de s'abstenir de ce qu'elle fait faire. Et la seconde vient de la determination libre de la volonté.*

Inst. Dæmonum obstinatio non est aliud quàm moralis peccandi necessitas, & moralis bene agendi impotentia: Dæmones & animæ damnatæ, inquit D. Grandin tract. de grat. pag. 69. vires quidem physicas habent ad bonum opus (cùm sit inter illud & eorum voluntates proportio) non morales propter obstinationem: ergo si homo sive peccator, sive justus cum solâ gratiâ sufficiente aliquando patitur moralem necessitatem, in eâdem cum Dæmonibus versatur peccandi necessitate: quis autem istud non exhorreat?

R. 1°. Isthæc objectio laudatos Theologos impetit, me verò nullatenus tangit, utpote qui eorum voces abjecerim.

R. 2°. Negando consequentiam longè absurdissimam, quam nullus ante Delatorem excogitaverat. Etenim cùm difficultas possit in infinitum augeri; ita & quæ ex ea oriuntur moralis impotentia, & moralis necessitas. Sicut ergo ridiculus foret qui æquaret æstivum calorem calori fornacis propter commune nomen & eandem nominis significationem; sic qui concluderet tantam esse aliquando in homine viatore difficultatem & impotentiam moralem benè agendi, quanta creditur in Dæmo-

nibus, ex eo quod idem sit utriusque nomen; cùm tamen impotentia moralis Dæmonum longè magis distet ab impotentiâ morali quam nonnunquam patiuntur viatores, quàm calor fornacis à calore æstivo. Consule quæ in hanc rem latiùs dicta sunt Tomo I. tract. de Angelis, ubi de obstinatione Dæmonum.

Inst. iterùm: Cum piarum aurium offensione auditur justum aliquando esse in morali necessitate peccandi etiam lethaliter, pati moralem impotentiam resistendi gravi tentationi, *Rien de plus audieux*, inquit, *& de plus insoutenable*, de homine enim per gratiam sanctificantem reparato, sic scribit S. Thomas 1. 2. qu. 104. a. 8. *in quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit* (utpote quæ per gratiam sanctificantem sit sanata) *non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitûs sensualitatis.* Atqui admissâ communi doctrinâ gratiam sufficientem nunquam sortiri effectum ad quem datur, utpote quæ conjuncta sit semper cum difficultatibus seu cum morali impotentia, ut vocant, justus aliquando existit in morali necessitate peccandi lethaliter, & succumbendi gravi tentationi. Ergo.

R. 1°. Si quid proposita objectio difficultatis habet, solvere tenentur Theologi gratiæ congrui Defensores, qui gratiam sufficientem incongruam proinde coguntur appellare. An non æquè pietatem lædit, si Deus justis & amicis suis, qui labuntur, incongrua tantùm auxilia suppetat? Quid Thomistæ respondebunt, qui & impotentiam moralem admittunt, imò & physicam difficillimè à se propellunt? Quid respondebimus omnes Concilio Tridentino definienti necessitatem specialis privilegii ad vi-

tanda omnia venialia, quæ Deus tam severè punit, item specialis doni ad perseverandum, quod primum soli Beatæ Virgini concessum est, secundum solis electis? Propositæ igitur objectioni non ego solus, sed omnes mecum Theologi solutionem parare debent, cui ego

R. 2°. Distinguendo majorem: si moralis ea necessitas & impotentia moralis dicantur oriri ex defectu aut tenuitate divini auxilii, Concedo: si ex ignaviâ & negligentiâ solius voluntatis humanæ repetantur, Nego maj.

Distinguo pariter minorem, si illa necessitas moralis, item impotentia moralis disertè à citatis Theologis repetuntur ex ignaviâ & negligentiâ solius voluntatis humanæ, quæ vires, quas per gratiam habet, non exerit adversùs difficultatem, quam patitur, nec Dei auxilium efflagitat, Concedo: si ex defectu seu ex tenuitate divini auxilii à laudatis Theologis & à nobis repetitur moralis necessitas, seu moralis impotentia, nego minorem & consequentiam. Citati enim omnes Theologi, & nos cum ipsis necessitatem peccandi, & impotentiam vincendæ tentationis unanimi consensu ex culpâ & negligentiâ hominis repetimus. Scimus quippe ex Scripturâ, *mandata Dei non esse gravia, jugum Christi suave esse, neminem tentari supra id quod potest.* Scimus ex Concilio Arausicano II. Can. 25. omnes baptizatos, *Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, posse & debere, si fideliter laborare velint, adimplere*: ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 13. *in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debere*, quia Deus, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, *sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere*; quæ præcipuè de justis omnes intelligunt, & nos suprà tradidi-

mus, iisdemque alia sancti Augustini testimonia, tum ex enarratione in Psalm. 91. tum ex lib. de nat. & grat. cap. 64. adjunximus. Quoties verò jam diximus, ex pravitate voluntatis esse, non ex defectu gratiæ quòd homo concupiscentiæ consentiat; gratiam sufficientem privari suo effectu voluntatis humanæ negligentiâ; vel minimam gratiam sufficientem posse obsistere tentationi & concupiscentiæ, quocunque in gradu supponantur? Nonne præterea tradidi gratias sufficientes disponere ad efficaces, quas Deus non denegabit ad vitanda omnia peccata, si non venialia saltem lethalia, si voluntas prioribus utatur, utpote eo modo quem suprà exposui?

Constat ergo nihil nos docuisse, quod tyronibus Theologis quibus scripsimus offensionem animi creare possit, aut pias eorum aures offendere; ubi voces impotentiæ & necessitatis moralis, etiam cùm de justis agitur, post Theologos plurimos usurpamus; cùm certè S. Anselmus & Concilium Tridentinum pietatem non offendant, sed substentent & nutriant: quando ille difficultatem retinendæ justitiæ impotentiam dixit: quando Synodus sess. 6. Can. 22. definiit justificatum sine speciali auxilio Dei in acceptâ justitiâ perseverare non posse. An pias aures offenderunt Cardinalis Laurea, & Guillelmus de l'Estocq, ubi ille nos impares vincendæ tentationi sine gratiâ efficaci et justos pronuntiant: & iste ubi asserit sine auxilio efficaci gratiam sufficientem non posse educi ad actum? Nonne molliùs ne dicam securiùs, ego locutus sum, quando eandem impotentiam tantùm moralem vocavi? Neque verò iis vocibus novitas sua exprobranda est à Molina defensoribus, qui eas maximè Bellar-

mini, Suaresii ac cæterorum Molinæ Defensorum auctoritate obtinuisse in Scholis vel inviti jam fatentur. An non ipse olim Vincentius Lirinensis gravissimè monuit Doctori Catholico licere non nova, sed novè dicere, quod SS. Patres, imò & Concilia Oecumenica exemplo suo comprobarunt, ut suprà exposuimus?

Quamobrem iterum moneo, cùm in istis vocabulis minimè situs sit controversiæ locus, qui nobiscum est cum Molinæ Discipulis de efficacitate gratiæ, ea nobis imposterum omittenda, & ipsis relinquenda videri, ne contra Apostoli monitum videamur verbis contendere, quod *ad nihil utile est nisi ad subversionem audientium.* 2. Tim. eorumque vocabulorum loco, difficultatis vocem ubique subrogandam esse in scriptis nostris declaramus; quam sententiæ nostræ expositionem optamus paci & veritati eò utiliorem, quòd sincero pacis studio, simulque cautioris locutionis amore eam simus amplexi.

Instabis: De fide est orationem nostram non esse Deo gratam & acceptam, nisi procedat à Spiritu-Sancto, *Attendant* (Semipelagiani) *quomodo falluntur; qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus*, inquit S. Augustinus lib. de dono perseverant. c. 23. *nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus ..... quod vidit beatus Ambrosius; ait enim, & orare Deum, gratiæ spiritalis est*, atqui nisi supponatur gratiam omnibus præsto esse ad opera supernaturalia: sicut generalem Dei concursum ad naturalia, non possumus confidere orationes nostras procedere à Spiritu-sancto: Ergo.

Concessâ majore, *R.* 1°. ad minorem, in eâ falsò supponi, quòd amissâ gratiâ versa-

tali instar generalis concursûs, certi essemus orationes nostras, & alia pietatis opera procedere ex Spiritûs sancti gratiâ; quamlibet enim amplectatur quis Catholicarum Scholarum opinionem, stabit isthæc Concilii Tridentini doctrina sess. 6. cap. 9. *Sicut nemo pius de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficaciâ dubitare debet, sic quilibet, dum seipsum suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare & timere potest.* Sive ergo Augustinianus, sive Thomista, sive Molinista, omnes incerti sunt quo spiritu ducantur, an supernaturali motione, an naturali & humano affectu orent, operenturque. Ipsemet Apostolus, cui Deus occulta sapientiæ suæ manifestaverat, de seipso ait, 1. Cor. 4. *Neque meipsum judico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me, Dominus est: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Unde in formâ,

R. 2°. distinguendo minorem, non possumus confidere orationes nostras procedere à Spiritu-Sancto, si spectemus propriam infirmitatem & indispositionem, Conc. si spectemus Dei promissionem, Nego minorem. Sed quid inde? Propterea non orabit homo, ad Missæ sacrificium non accedet, nec ad injuncta opera manus admovebit: quia spectatâ propriâ infirmitate & pravitate cordis humani, formidat, ne sicut oportet, non oret aut operetur? Imo ista sui diffidentia fiduciam in Domino accendere debet; ubi enim deficit humanum, totum est divinum. *Cùm infirmor*, inquit Apostolus 2. Cor. 12. *tunc potens sum*, hoc est, cùm infirmum me sentio, totum Deo committo, in quo omnia possum; *Quando enim in*

se sperandi desit illa majestas, inquit S. Bernardus serm. 9. in Psalm. 90. *quæ tam studiosè monet in se sperari? ... facilius est cælum & terram transire, quàm verbum ejus evacuari.* & S. Augustinus in Psalm. 65. *Securi de pollicitatione ipsius non deficiamus orando. Cùm videris non à te amotam deprecationem tuam, securus esto; quia non est à te amota misericordia ejus.* Huc revocanda sunt quæ in hanc rem diximus p. 614. & sequentibus, ubi ostendimus alternationem gratiæ sufficientis & efficacis in hoc statu esse remedium aptissimum & divinitùs ordinatum ad sanandam hominis superbiam, & acuendam in Dei adjutorio fiduciam. Sed quomodò alternari debeant gratiæ sufficientes & efficaces, ut superbia convenientiori modo sanetur & humilitas tutiùs servetur, illud totum non ratione definiendum, sed divinæ sapientiæ & bonitati committendum est.

Paragraphus III.

Utrùm gratia sufficiens detur omnibus justis.

Non movemus quæstionem de gratiâ efficaci; quia apud omnes constat eam aliquando deesse justis quorum multi non perseverant, & in gravia peccata labuntur: omnes autem perseverarent, si gratia efficax, cui nunquam resisti contingit, in omnibus præsto esset sicut generalis concursus. Quæstio itaque est de solâ gratiâ sufficiente.

R. Justis non denegatur gratia sufficiens, cùm instat præceptum, aut urget tentatio.

Probatur 1°. ex Scripturâ, 1. Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum.*

Nec dicas promissionem solos electos spectare; nam licèt S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 9. & nonnulli alii verba illa indefinitè prolata electis adaptent; cùm promissa novi Testamenti ad illos maximè pertineant; Concilium tamen Tridentinum sess. 24. Can. 9. idem sanctus Augustinus in psal. 120. & sanctus Thomas in hunc locum ad alios extendunt, probatque Angelicus Doctor, ex ipso Apostoli contextu, locum illum de justis debere intelligi, ait quippe Apostolus: *Qui se existimat stare videat ne cadat.* Tum immediatè docet, quomodò lapsus caveri possit nempe *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*; hoc est, tentationem, quantùm fieri potest, vitate; sed in Domino confidite quoad humanas, id est, quæ ab humana conditione separari nequeunt; quia *Deus fidelis est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. Ostendens*, inquit sanctus Doctor, *paratum adjutorium in tentatione, nempe si ab eâ declinare non possumus. Verè fidelis Deus, qui dat potentiam ne vincamur, gratiam ut mereamur, constantiam ut vincamus.*

Probatur 2°. ex Conciliis & summis Pontificibus.

Concilium Milevitanum cap. 3. sic statuit, *Placuit ut quicunque dixerit gratiam Dei, in quâ justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt non etiam ad adjutorium, ut non committantur; anathema sit.* Eadem iisdemque verbis repetit Celestinus ad Episcopos Galliæ.

Concilium Tridentinum eandem doctrinam confirmat sess. 6. cap. 11. his verbis *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus sub anathemate prohibitâ voce uti* (debet) *Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; nam Deus im-*

possibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, cujus mandata gravia non sunt, cujus onus suave est: Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi ab iis priùs deseratur. Quæ verba deprompta sunt ex sancto Augustino lib. de nat. & grat. cap. 43. Tum can. 18. anathemate percutit, qui dixerit homini justificato mandata esse impossibilia. & sess. 24. can. 9. damnat eos qui dixerint matrimonium posse licitè contrahi ab iis qui non sentiunt se accepisse donum castitatis quam voverant: *Cùm,* inquit, *Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari.*

Opponunt Jansenii Defensores: Concilium laudatâ sessione 9. damnat duntaxat errorem, quo Lutherus & Calvinus asserunt ideo mandata Dei esse impossibilia homini justo; quia concupiscentia inquinat omnia ejus opera, ita ut vera peccata sint, quantumcunque bona videantur.

Contra 1°. Concilium damnat errorem jam à Patribus proscriptum: Atqui Patres non proscripserunt hunc Lutheri & Calvini errorem, cùm fuerit eis incognitus, nec à quoquam ante illos hæreticos excogitatus: Ergo revera damnat sententiam, quam propugnant Jansenii defensores, post Lutherum & Calvinum, homini justificato aliquando deesse gratiam, quâ mandata Dei possibilia fiant.

2°. Concilium non condit plures Canones ad damnandum unum & eundem errorem: sed tot distinctos errores proscribit, quot Canones edit: Atqui sess. 5. damnavit errorem, quo Novatores illi asserunt concupiscentiam renatis esse peccatum formale; & Can. 25. sess. 6. dixit anathema docentibus omnia justorum

opera esse peccata. Restat ergo ut laudato Canone 18. damnet errorem, quo asseritur justis deesse gratiam, quâ mandata Dei possibilia fiant, & hoc manifestè declarant rationes, quibus Concilium c. 11. confirmat doctrinam Catholicam. 1°. *Quia*, inquit, *Deus jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* 2°. *Quia mandata ejus gravia non sunt.* 3°. *Quia suâ gratiâ semel justificatos non deserit.* Porrò hujusmodi rationes non militant, nisi contra errorem, de quo hîc agitur; nam Lutherani & Calvinistæ docent gratiam efficacem (quam solam agnoscunt) non deesse prædestinatis, & nihilominus concupiscentiam & bona eorum opera esse vera peccata, quamvis ipsis non imputentur.

Opponunt 2°. Concilium intelligendum de gratiâ habituali, quâ Deus non privat justum, nisi ipse prius per peccatum mortale eam deseruerit.

Contra. Hæc interpretatio est in derisum & in contumeliam sanctæ Synodi, illam quippe inducit: quasi diceret in periculo mortis trepidanti: Confide non morieris quandiu vixeris, licèt interim subtrahantur ea, sine quibus vita conservari nequit. Nisi enim Deus adjuvet, justus tentationibus succumbit, labiturque in peccatum, quod est mors animæ; quatenus eam privat gratiâ habituali. Concilium autem hâc certâ spe fulcit justum conscium propriæ infirmitatis, quòd Deus eum non deseret eâ gratiâ, quâ possit peccatum vitare, præceptum implere, & in bono usque in finem perseverare, ut loquitur cap. 13.

At, inquiunt Jansenii Defensores, gratia habitualis ex S. Thomâ se habet in homine justo, sicut se habet forma in causis naturalibus: At-

qui forma dat subjecto cui inest, posse operari, *quantùm ad sufficientiam operativæ virtutis.* Ergo Concilium rectè intelligi potest de gratiâ habituali, quæ nunquam deest justo, ut mandata fiant ipsi possibilia, nisi ipse eam per peccatum deseruerit.

Contra ipsemet Angelicus Doctor totus est art. 9. qu. 109. ut ostendat justum non posse bene agere, nisi præter gratiam habitualem moveatur actuali Dei auxilio. *Primò*, inquit, *ratione generali propter hoc quòd nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ. Secundò, ratione speciali, propter conditionem statûs naturæ humanæ; quæ quidem licèt per gratiam sanetur quantùm ad mentem, remanet tamen in eâ corruptio & infectio quantùm ad carnem .... & ideo necesse est nobis, ut à Deo dirigamur & protegamur.* Mens itaque, juxta S. Doctorem, sanatur per gratiam habitualem, constituiturque inesse potentiæ operativæ, quemadmodum oculus perfectè sanatus: sed sicut impossibile est oculum quantumcumque sanum percipere colores, nisi luce corporali excitetur; ita & mentem gratiâ habituali informatam supernaturaliter operari, nisi divinitùs adjuvetur. Hoc autem adjutorium justis non deesse docent Patres Tridentini.

Probatur 3°. ex sancto Augustino, qui lib. de nat. & cap. 26. sic scribit: *Deus, cùm per mediatorem Dei & hominum Jesum-Christum spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum; id est, justificat impium, & eum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam justitiamque duxerit, non deserit, nisi deseratur, ut piè & justè vivatur. Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, cernere non potest, sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce divinitùs adju-*

vetur, rectè non potest vivere, Sanat ergo Deus non solùm ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet, etiam ne peccemus. Mirum quòd qui se profitentur Augustini discipulos, ad tam claram lucem cæcutiant.

Idem sanctus Doctor non minùs clarè mentem suam explicat enar. in Psalm. 7. ubi expendens illa verba, *Justum adjutorium meum à Domino*, tribuit justitiæ Dei, cùm justum, misericordiæ verò, cùm peccatorem adjuvat. *Itaque*, inquit, *ibi misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc justificari desiderat, credens in eum, qui justificat impium: hic autem jam justum auxilium est, quòd jam justo tribuitur. Dicat ergo peccator qui dixit: Infirmus sum, salvum me fac, Domine, propter misericordiam tuam: & dicat hic justus, qui dixit, Si reddidi retribuentibus mei mala, justum auxilium meum à Domino, qui salvos facit rectos corde.* Sanctus autem Augustinus nomine justitiæ, intelligit fidelitatem; nam ex tractatu de Attributis, justitia propriè dicta non cadit in Deum; cùm nulla creatura jus in ipsum possit acquirere, alioquin dominium ejus minueretur. Unde idem sanctus Doctor Deum sic alloquitur lib. 1. Confes. *Redis debita, nulli debens.* Debita, inquam ego, ex fidelitate & sanctus Thomas lect. 1a. in cap. 1. 1. epist. ad Cor. *Debemus sperare*, inquit, *quia Deus fidelis est; non autem videretur esse fidelis, si nos vocaret in societatem filii, & nobis negaret, quantùm in ipso est, ea per quæ ad ipsum pervenire possimus.* Unde Josue 1. non dicit, *Non te deseram, neque derelinquam.*

Ex his sequitur primam Jansenii propositionem, *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, quâ*

possibilia fiant. Constitutionibus Summorum Pontificum Innocentii X. & Alexandri VII. ubique receptis meritò damnatam, 1°. ut temerariam; quia est contraria communi Catholicorum sententiæ; 2°. ut blasphemam, quia derogat Dei justitiæ, seu fidelitati in promissis; 3°. ut hæreticam, quia pugnat contra verbum Dei & definitionem Ecclesiæ.

Dices: Justus erat Petrus quando negavit Christum, & negando mortaliter peccavit: Atqui ideo negavit, quia gratia ipsi defuit: Ergo justis gratia aliquando deest ad peccatum lethale vitandum.

Minor probatur 1°. ex S. Chrysostomo hom. 72. in Joan. *Casus Petri non frigiditate, sed superni auxilii derelictu contigit.* Hom. 31. in Ep. ad Heb. *Illa negatio non tam erat socordiæ & negligentiæ, quam ex eo quòd Deus eum deseruerat.* Eadem repetit hom. 85. in Matth. 2°. ex sancto Augustino lib. de corr. & gr. cap. 9. *Avertit ab illo faciem Dominus, & factus est conturbatus* & serm. 124. de tempore, nunc 79. in appendice: *Quid est homo sine gratiâ Dei, nisi quod fuit Petrus, dum Christum negaret?*

Respondeo 1°. ad maj. Petro non fuit præceptum mori tunc pro Christo; hoc *pro servo Dominus passurus erat non servus pro Domino*, inquit sanctus Augustinus sermone 296. aliàs 106. de diversis. Deinde S. Chrysostomus in cap. 26. Matth. negat Petrum tunc fuisse justum, in eo quippe multiplex crimen enumerat: primum quòd Prophetæ dicenti, & Christo confirmanti, *Dispergentur oves*, non crediderit. Secundum, quòd de se præsumpserit. Tertium, quòd Christo repugnaverit. Quartum, quòd aliis se prætulerit. Sanctus etiam Hilarius in Matth. & S. Ambrosius lib. 10. in Lucam,

contra communem SS. Patrum sententiam, à peccato lethali excusant sancti Petri negationem, de quâ sanctus Augustinus tract. 113. in Joan. *Utique si Petrus negato Christo hinc iret, id est, moreretur, quid aliud quàm periret?* Sed admissâ majore,

Respondeo 2°. distinguendo minorem. Defuit gratia efficax & proxima sufficiens, Concedo: defuit gratia sufficiens saltem remota, Nego minorem; potuit enim & debuit occasionem fugere: debuit etiam orare, ut notat S. Chrysostomus, fervor ejus fuit ex præsumptione: *Mortuus est, quia superbè præsumpsit,* inquit S. Augustinus Tract. 106. in Joan.

Paragraphus IV.

Utrùm detur Gratia sufficiens omnibus omnino hominibus, sive prædestinatis, sive reprobis?

Universitas hominum complectitur infantes & adultos: & hi sunt vel infideles, vel fideles. Infideles duplicis sunt generis: alii enim dicuntur negativi, qui Evangelium audire non potuerunt: alii positivi, qui Evangelii prædicationi non crediderunt. De fidelibus justis jam diximus: peccatores verò sunt vel obdurati, vel nondum obdurati. Quæstio hîc movetur, num omnibus illis nondum justificatis detur gratia sufficiens?

Gratia autem dupliciter spectari potest, 1°. in præparatione; 2°. in executione & applicatione.

Certum est nullam gratiam applicari infantibus, qui ante ætatem adultam decedunt nondum regenerati; quia in illo statu salvari non possunt, nisi sacro regenerationis lavacro,

quod supponitur ipsis non impertiri. Dubium ergo solummodo esse potest, num Deus hoc salutis remedium ipsis sufficienter quantùm est ex se præparaverit, & quidem eâ intentione voluntate perducendi eos ad vitam æternam.

Hujusce quæstionis solutio repeti debet ex voluntate, quæ in Deo est salvandi homines, & ex oblatione sanguinis Christi pro eorum salute; modò enim constet Deum velle salvare omnes & singulos homines, Christumque pro eorundem salute sanguinem fudisse; nullus remanebit dubitandi locus, quin Deus singulis ea præparaverit media sine quibus salvari nequeunt.

Atqui Apostolus utrumque definiit 1. Tim. cap. 2. his verbis *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes . , . . pro omnibus hominibus . . . hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro homnibus.*

Verùm quia locum illum non solùm hæretici, sed etiam Catholici variè interpretantur; operæ pretium erit 1°. referre diversas Apostolici testimonii expositiones deinde statuere quæ sit præferenda & retinenda.



Paragraphus V.

De variis interpretationibus verborum Apostoli, 1. Timot. 2.

Cum variæ illæ intrerpretationes eruantur ex multiplici divinæ voluntatis acceptione, pauca de ejus divisione ex tractatu de Attributis huc revocare necesse est. Itaque,

Voluntas Dei alia dicitur beneplaciti, alia signi.

Voluntas beneplaciti est ipsamet Dei volitio, decernens aliquid tanquam sibi gratum.

Dicitur 1°. *ipsamet Dei volitio*, ut significetur illam voluntatem esse verè & propriè in Deo.

Dicitur 2°. *decernens aliquid*, quæ voces denotant voluntatem beneplaciti non esse necessariam Dei complacentiam in bono cognito, sed actum liberum seu decretum alicujus effectûs producendi. Unde illa voluntas non est circa salutem possibilem dæmonum, propter quam Deus nullam decernit gratiam.

Voluntas signi est signum externum, quo Deus significat se aliquid velle, quo sensu præcepta Dei dicuntur voluntas Dei juxta illud Ps. 142. *Doce me facere voluntatem tuam.* Ergo voluntas signi propriè non est in Deo, nec nisi metaphoricè dicitur voluntas.

Subdividitur voluntas beneplaciti in antecedentem & consequentem.

Antecedens est voluntas beneplaciti, quâ Deus ex bonitate suâ vult fieri aliquid secundùm se præcisè spectatum, & nostro concipiendi modo ante circunstantias particulares, secundùm quas illud ipsum non vult. Sic Judex, inquit sanctus Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad primum, antecedenter vult omnes cives vive-

re,

re, & ad id invigilat removens quantùm est ex se, quæ civitati noxia esse possunt. Sed civem homicidam & pestiferum vult in his circunstantiis è medio tolli. Similiter mercator antecedenter vult conservare suas merces, ortâ tamen tempestate, in quâ sine vitæ periculo eas conservare nequit, in illarum jacturam consentit. Hâc antecedente voluntate Deus etiam in hoc statu vult omnes homines salvos fieri: voluit mundare Jerusalem, Ezech. 24. quam tamen non mundavit, propter obstinatum ejus animum, quo gratiæ ejus restitit: *Væ cæcitati sanguinum .... immunditia tua execrabilis; quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.*

Dixi in definitione voluntatis antecedentis, *ante circunstantias particulares*, ut innuerem voluntatem antecedentem non abstrahere à circunstantiis toti generi humano communibus, ut vult Jansenius, sed à singularibus quibusdam; quemadmodum enim Judex vult omnes vivere, non solùm quia homines sunt; sed etiam determinatè quia cives & partes civitatis, cui præest; ita Deus voluntate antecedente vult omnes homines salvos fieri, non solùm spectatos præcisè ut creaturas intellectuales; hoc enim sensu salvos vult Dæmones, ut agnoscit ipse Jansenius, utpote qui sint creaturæ intellectuales; sed vult illos salvos fieri etiam quatenus constitutos in hoc statu naturæ lapsæ, atque adeo ut natura filios iræ: non vult autem in hypothesi quòd in peccato decedant: hæc est singularis circunstantia, à quâ abstrahit voluntas antecedens.

Voluntas consequens est voluntas beneplaciti, quâ Deus vult aliquid simpliciter & absolutè spectatis, omnibus circunstantiis, talis est vo-

luntas salvandi prædestinatos ; quia includit deretum dandi perseverantiam, inquo prævidentur in gratiâ decessuri : talis quoque voluntas damnandi quos præscit Deus in peccato morituros.

Dices : nulla est voluntas in Deo nisi consequens ; Ergo voluntas antecedens non est beneplaciti, sed signi duntaxat, ac proinde illegitima est divisio voluntatis beneplaciti inantecedentem.

Probatur anteced. autoritate sancti Thomæ, qui laudato artic. 6. voluntatem antecedentem vocat velleitatem, & voluntatem secundùm quid, hoc est, voluntatem imperfectam, otiosam, & inefficacem : atqui nihil absurdius quàm ponere in Deo ejusmodi voluntatem. Præterea velleitas admixtum habet aliquid involuntarii, ut videre est in allato exmeplo mercatoris, qui ex eo quòd antecedenter vult conservare merces suas, in periculo naufragi involontariè eas projicit. Absit autem ut dicamus Deum involuntariè damnare impium, quemadmodum probus Judex civem pestiferum invitus morti addicit : Ergo firmum manere debet, voluntatem antecedentem non dici de Deo nisi methaphoricè, & eo sensu, quo in Scripturâ dicitur irasci, ipsum pœnitere, dolere, &c.

Nego anteced.

Ad confirmationem, Respondeo S. Thomam quæst 22. de veritate art. 2. docere voluntatem antecedentem esse beneplaciti, & citato art. 6. ad primum, expresse illam distinguere à voluntate metaphoricâ & signi ; ibi quippe cribit Deum antecedenter velle salvare reprobos, quemadmodum justus Judex antecedenter vult vivere homicidam. & lect. 1. in cap. 2. 1. ad

Tim. in eandem rem adducit exemplum mercatoris, qui antecedenter vult conservare merces suas: Atqui nullus negaverit Judicem & mercatorem antecedenter velle actu interno, voluntate propriè dictâ, illum, ut homicida vivat; istum, ut merces salvæ sibi sint.

Ideo autem sanctus Doctor voluntatem antecedentem vocat velleitatem, & voluntatem secundùm quid, quia ejusmodi voluntas non tendit in objectum sub eâ omni ratione, quâ spectari potest, hoc est, omnibus suis circunstantiis vestitum, v. g. hominem, ut civem noxium, ut in peccato morientem; sed fertur duntaxat in objectum, putà hominem sub aliquâ ratione generali & indeterminatâ ad particulares circunstantias, v. g. ut civis est, ut ex Adamo procreatus. Porrò quæ hoc posteriori modo volumus, non absolutè & simpliciter volumus, sed secundùm quid, id est, voluntate completâ, quæ vulgò dicitur velleitas.

Porrò hæc velleitas plerumque in hominibus est imperfecta otiosa, & impotentiam arguit, sed non semper. Est imperfecta & otiosa in peccatore, qui amat virtutem, quatenus honesta est: sed eam adit quatenus sensibus injucunda, & cupiditati contraria; in ne mercatore verò omnem diligentiam operatur, ne merces cogatur ejicere; sed in eo arguit impotentiam, cùm imminens naufragii periculum ad eas ejiciendas adigit, quod non præstat nisi invitus & secundùm quid involuntarius.

In Deo autem nunquam est otiosa, quia Deus ex antecedente voluntate salvandi homines etiam reprobos, pro suâ infinitâ sapientiâ & bonitate suppeditat, vel, saltem præparat media per quæ salutem consequi possint,

Neque etiam arguit impotentiam, neque causat involuntarium secundùm quid? quia ita apposuit nobis vitam & mortem, nostramque infirmitatem, & adjuvat ad eligendum prius, & fugiendum posterius, ut ad quodcunque apposuerimus manum, voluntas ejus semper vincat, quod sanctus Augustinus lib. de spiritu & litterâ cap. 33. illustrat hoc familiari exemplo, *Qui enim dicit, verbi gratiâ, Volo ut hi omnes servi mei operentur in vineâ, & post laborem requiescentes epulentur, ita ut quisquis eorum hoc noluerit, in pistrino semper molat: videtur quidem quicunque contempserit, contra voluntatem domini sui facere; sed tunc eam vincet, si & pistrinum contemnens effugerit, quòd nullo modo fieri potest sub Dei potestate.* Sicque voluntas Dei semper invicta est, & omnis involuntarii expers.

Confirmatur responsio. In omnium sententiâ antecedens Dei voluntas salvandi omnes Angelos fuit beneplaciti; non fuerunt enim adjuti auxilio *quo* & efficaci, sed auxilio *sine quo* in gratiâ, in quâ conditi sunt perseverare non potuissent, quemadmodum docet sanctus Augustinus sæpius laudato cap. 12. de corr. & gratiâ: Atqui antecedens illa voluntas beneplaciti nihil involvit imperfectionis: Ergo nec antecedens voluntas salvandi omnes filios Adæ, ac proinde non versamur hîc in quæstione juris, sed facti, id est non quæritur utrùm antecedens voluntas beneplaciti salvandi singulos homines in hoc statu sit possibilis; sed utrùm actu & de facto detur.

Negat Jansenius, atque ex dictis capite 3. part. 7. contendit eos in errorem Semipelagianorum incurrere, quia verba Apostoli, *Vult omnes homines salvos fieri*, ad singulos extendunt.

His præmissis, nunc variæ hujusce textûs interpretationes exponendæ sunt, priusquam definiamus, quis sit genuinus illius sensus.

Prima est Semipelagianorum; qui, ut referunt S. Prosper in suâ epist. ad S. Augustinum, & sanctus Fulgentius lib. de Incarnatione cap. 3. verba Apostoli intelligebant de antecedente Dei voluntate, quæ non præveniat, sed ita expectet hominum voluntates, ut, quemadmodum penès eos est oculos ad lucem diei naturaliter aperire, sic & corda ad lumen veritatis, quod per Evangelii prædicationem ubique diffunditur, ac tum demum jam volentes Deus adjuvet, deprecantes exaudiat, & conantes suffulciat. *Si ergo* (inquit sanctus Fulgentius) *ad salvandos homines, sicut illi volunt, expectat hominum voluntates, quomodò infantibus, qui baptizantur, & in eâdem infantiâ moriuntur, donat æternam salutem, quorum bonam nec expectat, nec invenit voluntatem?* Sanctus Augustinus totis viribus insurgit contra hanc interpretationem, utpote quæ sit prorsus aliena à mente Apostoli funditusque evertat mysterium prædestinationis. Sed cùm omnes non sint prædestinati, quomodò Apostolus potuit dicere, Deum velle omnes homines salvos fieri?

Secunda interpretatio est sancti Augustini, docentis locum Apostoli in sensu figurato esse accipiendum, eoque triplici.

Primò, lib. de corr. & gratiâ cap. 15. Deus vult omnes homines salvos fieri causaliter, non quòd ipse velit, sed quia facit nos velle & orare ut omnes salvi fiant, quemadmodum Rom. cap. 8. dicitur Spiritus sanctus postulare pro nobis, quia nos postulare facit, quamvis ipse non postulet.

Secundò, lib. Enchir. cap. 13. & lib. 4. con-

tra Julian. cap. 8. Deus vult omnes homines salvos fieri per distributionem accommodatam, non quòd nullus sit hominum, quem non salvum velit; sed quòd nullus salvus fiat, nisi velit. Hoc sensu dicitur Magister docere omnes pueros civitatis, non quòd singuli scholam ejus frequentent, sed quòd nullus in civitate, nisi per ipsum doceri possit.

Tertiò, eodem libro Eucharist. cap. 10. & libro de corr. & gratiâ cap. 14. Deus vult omnes homines salvos fieri, ita ut intelligatur particula *omnes*, non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum; quia nullum genus hominum excipit à salute, sive sint Judæi, sive Gentiles, sive reges & principes, sive ignobiles & plebei, *Omnes homines*, inquit citato cap. 14. *vult salvos fieri, ut intelligantur omnes prædestinati; quia omne genus hominum in eis est, sicut dictum est Pharisæis, Decimatis omne olus.* Hanc explicationem esse magis ad mentem Apostoli, quàm duas priores docet sanctus Thomas lect. 1. in cap. 2. 1. Tim.

Tertiam interpretationem proponit idem sanctus Doctor lib. de spiritu & litterâ cap. 33. & 34. nempe Deum voluntate antecedente (quæ præveniat, non verò quæ expectet hominum voluntates, ut fingebant Semipelagiani,) velle salvos fieri etiam reprobos, sic enim scribit cap. 33. *Vult autem Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes justissimè judicentur. Quod cùm sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verùm seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam*

contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret, quid de contemptoribus faceret.

Quòd autem voluntas illa non sit otiosa, nec expectet hominum voluntates, sed præveniat, sanctus Doctor cap. sequenti declarat his verbis: *Videat non ideo tantum istam voluntatem* (credendi) *divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verùm etiam quòd visorum suasionibus agit Deus ut velimus, & ut credamus, sive extrinsecùs per Evangelicas exhortationes, ubi & mandata legis aliquid agunt; si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat; sive intrinsecùs, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem: sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.*

Dices cum Jansenii Defensoribus: S. Augustinus hîc non loquitur in propriâ, sed in Pelagianorum sententiâ: 1°. Quia nomine gratiæ prævenientis intelligit duntaxat doctrinam sive extrinsecùs, sive intrinsecùs sonantem, quam Pelagiani non negabant ad credendum necessariam; 2°. quia cùm versaretur in illâ quæstione, num voluntas credendi sit Dei donum, respondissetque reverà esse Dei donum, quia non potest ex libero arbitrio surgere, nisi Deo providente veritas innotescat, subdit: *Hæc disputatio, si quæstioni illi solvendæ sufficit, sufficiat.* Quibus verbis non obscurè significat se non adhærere huic responsioni à se allatæ. Ergo sanctus Augustinus nullam admisit in Deo voluntatem beneplaciti circa salutem reproborum, sed signi duntaxat & metaphoricam.

Nego antec. quia si S. Augustinus allatis verbis sententiam Pelagianorum exprimeret, proculdubio illam refelleret: attamen nedum re-

fellit, quin illam permittit, *si sufficit.*, inquit, *sufficiat.* Absit autem, ut vel, dudbitanter dixerit sanctus Doctor, ad fidem sufficere doctrinam adhibitam sive extrinsecùs per prædicationem, sive intrinsecùs per interiorem mentis illustrationé absque divinâ voluntatis motione, quippe qui nefandam hanc hæresim per totum librum ex professo confutet: Ergo non in Pelagianorum, sed in Catholicorum sensu scripsit, *si sufficit, sufficiat.*

Non insistit quidem sanctus Augustinus huic interpretationi; quia certamen ipsi erat cum Pelagianis negantibus mysterium prædestinationis gratuitæ, & donum perseverantiæ, ad quod stabiliendum non conferebat illa interpretatio. Cùm autem Pelagiani opponerent locum Apostoli tanquam validissimum arietem, & ex eo concluderent Deum æqualiter velle omnes homines salvos fieri; S. Doctor totus intentus ad vindicandam immutabilem electorum prædestinationem, frequentiùs verba Apostoli explicat de voluntate signi & metaphoricâ respectu reproborum. Sed ne infideles & reprobi se excusent, quòd non acceperint, unde credant aut perseverent, excusationem eorum prævenit cit. cap. 33. & 34. nimirum Deum sic intus agere, ut liberum arbitrium non adimat, sed consentire vel dissentire propriæ esse voluntatis, quòd sufficit ad elevandas eorum querelas, non verò ad rationem reddendam cur eo congruentiori modo non vocentur ex decreto prædestinante, quo ipsi electi credunt & perseverant. Unde sanctus Augustinus sic pergit: *Jam si ad illam profunditatem scrutandum quisquam nos coarctet cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrunt interim, quæ mihi respondere placeat. O altitudo divitiarum! Et,*

numquid est iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores; sed caveat, ne inveniat præsumptores.

Ex his patet sanctum Augustinum locis in objectione laudatis, non in argumentum, sed in defensionem suæ sententiæ adversùs Pelagianos meminisse textûs Apostoli. Quis verò nesciat mentem Scriptoris minùs esse eruendam ex iis, quæ respondet ad declinanda adversariorum tela, quàm ex iis quæ sponte eligit ad illos expugnandos? Ergo vel ex hoc uno capite tertia interpretatio, quam sanctus Doctor adhibet ad obstruendum os obloquentium contra Dei justitiam, videtur præferenda secundæ, quâ se tuetur adversùs Pelagianorum tela. Sit itaque

Paragraphus VI.

Deus ex Apostolo 1. Timoth. 2. vult antecedente voluntate beneplaciti omnes & singulos homines salvos fieri.

Probatur, quia Scriptura sacra explicari debet tùm secundùm litteram, quando nihil sonat contrarium bonis moribus, & aliis Scripturæ textibus, ex S. Augustino de doctrinâ Christianâ passim, ac præsertim lib. 3. cap. 15. & 16. tùm juxta sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia ex Concilio Tridentino sess. 4. Atqui sensus à nobis expressus est litteralis, non repugnat bonis moribus aut aliis Scripturæ textibus, eumque tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia. Ergo. Major est certa apud omnes Catholicos. Minor probatur quoad quatuor ejus partes.

Primò, sensus ille est obvius & litteralis;

namque Apostolus ibi hortatur, ut fideles pro omnibus & singulis hominibus orent, fatente ipsomet Augustino lib. de cor. & gratiâ cap. 15. atque ad illud charitatis officium hâc ratione eos incitat, quòd sit pulchrum & acceptum coram Deo, qui est omnium Deus, omnibus providens, quippe vult omnes salvos fieri. Atqui hæc ratio non valet, nisi vox *omnes* in utrâque propositione universaliter & absque exceptione accipiatur; quia ex propositione particulari non potest erui conclusio universalis, qualis enim esset ista argumentatio, Deus vult aliquos ex omnibus hominum generibus salvos fieri: Ergo non solùm pro aliquibus, sed etiam pro singulis omnium generum est orandum?

Nec dicant Adversarii eum esse sensum verborum Apostoli, fideles debent pro singulis orare, & eorum expetere salutem; quia Deus vult ut fiant ejusmodi orationes; nam Apostolus rationem affert, cur orationes illæ sint Deo acceptæ, nimirum quia vult eosdem homines, pro quibus orant, salvos fieri. Si autem in mente Apostoli, Deum velle omnes homines salvos fieri, idem sit ac Deum velle orationes fieri pro omnium hominum salute, Apostolus probaret idem per idem, quod sine ejus injuriâ dici nequit.

Secundò, sensus ille non repugnat bonis moribus, imò æquè commendat Dei misericordiam, & bonitatem in homines reprobos, ac in Angelos qui ceciderunt, quos Deus voluit antecedente voluntate salvos fieri ex ipsismet adversariis: spem fulsit contra desperationem, quam injicit humana infirmitas, & in pœnitentibus omnem excusationem adimit.

Tertiò, hæc interpretatio nedum pugnat

contra alios Scripturæ textus, quin confirmat quod legitur Ezech. 18. & 33. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur. Quare moriemini domus Israël, quia nolo mortem morientis?* 2. Pet cap. 3. *Patienter agit Deus propter vos, nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam venire.* Quid clarius?

Quartò, hunc sensum tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, ut constat tum ex Conciliis, tum ex sanctis Patribus.

Ex Conciliis quidem; nam Arelatense tertium, Moguntinum, duo Carisiaca, Tullense, addo Valentinum & Lingonense, quæ licèt Carisiacis in specie contradixerint, non rejecerunt tamen tertium Capitulum in quo sic habetur: *Deus omnipotens omnes sine exceptione vult salvos fieri, licèt non omnes salventur.*

Ex sanctis Patribus.

Sanctus Chrysostomus homil. 1. in Epist. ad Eph. ait: *Prima voluntas est, ut peccatores non pereant; voluntas secunda est, ut qui malè affecti sunt, pereant.* & in cap. 2. 1. ad Tim. *Imitare*, inquit, *Deum tuum; si omnes ille vult salvos fieri, meritò pro omnibus oportet orare.... volentium quippe est orare.* Chrysostomum sequuntur Oecumenius & Theophilactus

S. Hieronymus in eundem Apostoli textum scribit: *Vult omnes* (salvos fieri) *si ipsi Deo vocanti consentire voluerint.*

S. Augustini egregium testimonium protulimus paragrapho præcedenti.

Sanctus Prosper responsione 2ª. ad objectiones Vincentianas sic habet: *Sincerissimè credendum atque profitendum est Deum velle ut omnes homines salvi fiant: si quidem Apostolus, cujus ista est vox, sollicitissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus suppliciter: ex*

quibus quòd multi pereunt, pereuntium est meritum. Similia habet Auctor de vocatione Gentium, lib. 2. cap. 19. & seq.

Sanctus Joannes Damascenus lib. 2. de fide orthodoxâ cap. 29. *Oportet*, inquit, *nosse Deum antecedenter velle omnes homines salvari.* Quid sit autem voluntas antecedens, sic explicat in Dialogo contra Manichæos : *Præcedens voluntas est, quando aliquis ex seipso vult aliquid : consequens, quando ex eorum quæ fiunt, causâ atque voluntate quidem præcedente. Ex seipso Deus vult omnes homines salvos fieri : si verò peccemus, vult nos quantùm conducit, castigari. Præcedens quidem voluntas bonitatis est, consequens autem justitiæ ipsius.*

Sanctus Thomas eodem sensu accipit verba Apostoli, tùm lectione 12. in cap. 2. 1. ad Timoth. ubi vult locum Apostoli posse exponi quatuor modis de voluntate beneplaciti. *Uno modo, ut sit distributio*, inquit, *pro generibus singulorum, non pro singulis generum .... & hoc magis facit ad intentionem Apostoli. Alio modo secundùm Damascenum ut intelligatur de voluntate antecedente, non consequente.* Tum lib. 3. contra Gentes cap. 159. ubi sic loquitur : *Deus quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare ; vult enim omnes homines salvos fieri.*

S. Bonaventura in primum dist. 46. qu. 1. in eâdem est sententia. *Deus*, inquit, *voluntate beneplaciti vult omnes homines salvos fieri, voluntate antecedente vult omnium salutem.*

Scotus in primum dist. 46. qu. unicâ. *Dictum Apostoli*, inquit, *multò meliùs exponi posset de voluntate antecedente, si vult omnes homines salvare, quantùm scilicet ex parte sui & voluntate suâ antecedente, pro quanto dedit eis adjutoria sufficientia ad salutem.* Mitto alios Theologos ; quia satis intelligitur eos non recedere ab illorum sententiâ,

quos Scholæ suæ principes agnoscunt.

Communis ergo est Catholicorum sententia, Deum velle voluntate antecedente, eâque beneplaciti, omnes & singulos homines salvos fieri, non quomodò Semipelagiani falsò fingebant quasi expectet eorum voluntates, sed quatenùs illis præparat, vel etiam suppeditat auxilia, sine quibus salvari nequeunt.

Ergo Christus pro singulis mortuus est; nam Pater neminem vult salvare nisi per ejus merita. Sed de morte Christi pro omnium salu- fusè egimus, tract. de Incarnat. pag. 203. & sequentibus.

Ergo gratia saltem sufficiens omnibus conceditur, vel in præparatione, vel in executione. Namque ex dictis Deus iis media ad salutem concedit, quos vult salvos fieri: Atqui ex dictis Deus vult omnes & singulos homines salvos fieri: Ergo.

Dixi, *vel in præparatione*; nam parvulis, qui sine baptismo decedunt, nulla gratia actu confertur; sufficienter tamen Deus, qui vult illos salvos fieri, eam præparavit, aliàs voluntas ejus non esset sincera, ut diximus.

Dices: parvuli, qui in utero materno moriuntur, non habent medium, quo salvi esse possint; nemo enim nisi natus, per baptismum renascitur: Ergo Deus non vult voluntate antecedente, singulos homines salvos fieri.

R. 1°. Quosdam Theologos ultrò fateri hujusmodi parvulos, maximè si sine culpâ parentum in utero præfocentur, carere omni medio ad salutem consequendam. Unde locum Apostoli ad adultos restringendum probant ex ipsomet contextu; ait enim Apostolus, Deum velle omnes homines salvos fieri, & ad agni-

tionem veritatis venire, quod manifestè non convenit, nisi adultis.

R. 2°. Negando antecedens. Vel enim culpâ parentum parvuli illi præfocantur, ut sæpius contingit, vel sine omne eorum culpâ.

Si primum, Deus non minùs sufficienter providit illis, quàm Medicus qui remedium per se efficax ad sanandum ægrotum, parenti ejus dedit in vasculo, quod ex incuriâ confringitur. Hinc auctor operis de vocatione Gentium, lib. 2. cap. 23. ait: *Non irreligiosè arbitror credi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, quâ utique si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.*

Si secundum, distinguendum est antecedens; non habent medium, quo proximè salvi esse possint, Concedo: quo remotè salvi esse possint, Nego anteced. Neque enim parvuli sic decedentes minùs salvi esse possunt, imò multò magis, quàm peccator adultus, qui impœnitens in amentiam incidit. An quia Sacramentum Pœnitentiæ in illo statu recipere non potest, dicemus Deum non sufficienter ipsi præparasse tale remedium, nec propterea voluisse illum salvum fieri?

Instabis: Rex non crederetur sincerè velle liberare captivos, qui pecuniam sufficientem quidem daret ad illos perferendam; sed interim ordinaret viros qui obsiderent vias, impedirentque quominus pecunia ad illos deferretur. Porrò non casu, sed Dei ordinatione causæ secundæ concurrunt, ne baptismus illi parvulo, de quo agimus, applicetur, ut docet sanctus Augustinus libro de dono perseverantiæ capite 12. his verbis: *Neque enim res hu-*

manas in parvulis non divinâ providentiâ sed fortuitis agi casibus opinamur .... aut parentum negligentiæ sic tribuendum est, quòd parvuli sine baptismate moriuntur .... tanquam ipsi .. parentes sibi negligenter voluntate propriâ, de quibus nascerentur, elegerint. Quid dicam, quòd parvulus aliquando antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat? Plerumque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hâc vitâ non tenuit, ut daretur. Ergo.

Nego anteced. & paritatem. Aptior esset comparatio, si supponeretur Rex misisse illum pecuniam ad redimendos captivos in illis regionibus detentos, circa quas negotia regni cogerent eum habere milites, qui vias quasdam custodirent, non ad spoliendum pecuniæ delatorem: sed ad arcendos hostes. Hoc ferè modo sub Dei providentiâ contingit causas secundas ita concurrere, ut sine parentum culpâ parvuli in utero materno intereant, non casu, sed Deo ordinante, non tamen tanquam causâ particulari, nec eo fine, ut parvulus absque baptismo decedat, sed tanquam causâ generali, exequente in tempore, quod ab æterno decrevit, nimirum in pœnam peccati originalis, dimittere causas secundas naturæ suæ defectibili: nec impedire incommoda, quæ inde sequantur, putà morbos, immaturam mortem, & alias miserias, quæ ubi contingunt, agnoscenda sunt Dei judicia, ut monet S. Augustinus, & eatenus verum est quod scribit, ideo parvulum sine baptismo hinc abire; quia Deus non vult ut detur, voluntate scilicet consequente & in concursu causarum secundarum, in quo mors parvuli naturaliter, & sine miraculo vitari non posset.

Supereſt ſpecialis difficultas circa nonnullos obduratos expendenda 5. ſeq. Itaque ſit

Paragraphus VII.

Utrùm Deus ex antecedente voluntate ſalvandi omnes homines, non ſolùm præparaverit, ſed etiam actu conferat gratiam ſufficientem infidelibus negativis, & fidelibus induratis.

R. HÆc quæſtio magnâ contentione agitatur in Scholis, Theologoſque in varias & oppoſitas ſententias diſtrahit, ut ſolet, quando Scriptura clara non eſt, nec Traditio manifeſta, nec ſuccurrit Eccleſiæ definitio, quemadmodum accidit in hâc controverſiâ. Quod ſpectat infideles negativos, celebres Theologi docent præparata quidem iis auxilia ſufficientia ad ſalutem, ſed actu non conferri, probantque 1°. ex Scripturâ, Act. 14. v. 15. *In præteritis generationibus dimiſit omnes ingredi vias ſuas.* Epheſ. cap. 2. v. 12. *Eratis ... ſine Chriſto ... promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo.*

2°. Quia fides eſt prima gratia, ex S. Auguſtino lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. *Incipit homo percipere gratiam, ex quo incipit credere Deo.* Ex Concilio quoque Tridentino ſeſſ. 6. cap. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium?* Atqui infideles negativi nec habent nec poſſunt habere fidem, nec ad eam diſponi per gratiam orationis; *Quomodò enim invocabunt*; inquit Apoſtolus Rom. 10. *in quem non crediderunt? Aut quomodò credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient ſine prædicante? Quomodò verò prædicabunt, niſi mittantur?* Ubi Apoſtolus eo modo diſcurrit de adultis infidelibus in ordine ad fidem, quo ra-

tiocinamur de parvulis respectu Baptismi, quomodò baptizabuntur, nisi sit, qui Sacramentum istud administret? Quomodò verò administrabit quis, nisi mittatur? Ergo sicut gratia Baptismi infantibus, ita & gratia fidei eorum parentibus est solummodo præparata.

3°. Quia ex S. Augustino serm. nunc 26. *communis est omnibus natura*; *non gratia.*

4°. Quia gratia, quæ data est Angelis, & Adamo innocenti, nunc aliquibus deest, ex S. Augustino, lib. de corrept. & gr. c. 11. Atqui ista gratia erat tantùm sufficiens.: Ergo nunc aliquibus deest gratia sufficiens. Quibus autem magis deesse potest, quàm infidelibus negativis, & fidelibus induratis?

5°. Quia si infideles negativi haberent gratiam sufficientem; infidelitas & ignorantia, quæ in eis est, mysteriorum nostrorum, non esset solùm pœna peccati; sed & peccatum formaliter, quod in Baïo damnatum fuit; namque infidelitas & vincibilis ignorantia eorum, quæ quis scire tenetur, est peccatum formaliter, utpote quæ sit voluntaria & libera, saltem indirectè: Atqui infidelitas & ignorantia, ad quam vitandam datur gratia sufficiens, est vincibilis: ergo.

Verùm illa momenta evincere non videntur. Non primum; quia Deus dicitur dimisisse gentes ingredi vias suas, quatenus gratiâ efficaci illas non continuit in vero sui cultu, quemadmodum Israëlitas identidem, exigentibus eorùm peccatis, repulit & dimisit servire diis alienis; sed inde non sequitur subtractam fuisse illis omnem gratiam sufficientem. *Nec præteritis seculis*, inquit Auctor libri secundi de vocatione Gentium cap. 4. *gratia defuit mundo; quamvis enim speciali curâ Dei populum*

Israëliticum constet electum, omnes aliæ nationes suas vias ingredi permissæ sint; non ita se tamen æterna Creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoscendum se, atque metuendum, nullis significationibus admoneret.

Non secundum; fides enim alia est perfecta, alia inchoata. Fides perfecta dicitur ea, quâ distinctè & explicitè creduntur Religionis Christianæ mysteria: inchoata est sancta cogitatio divinitùs immissa, & pia voluntatis motio, quæ disponit ad fidem perfectam. Prima ordinariè non habetur, nisi ex auditu: secunda verò plerumque à Deo immediatè inspiratur. Sic Cornelius, quamvis de Christo nihil audisset, non tamen sine aliquâ fide Deum orabat, & eleemosynas faciebat: Hæc fides est initium salutis, & prima gratia, quam sanctus Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. dicit se habere ad fidem perfectam, sicut conceptio ad partum. *Fiunt*, inquit, *inchoationes quædam fidei, conceptionibus similes; non enim tantùm concipi, sed etiam nasci opus est ut ad vitam perveniatur æternam.*

Non tertium; quia legenti laudatum sancti Augustini sermonem, perspicuum fiet sanctum Doctorem loqui de gratiâ habituali, seu sanctificante; eo enim loci disserit de gratiâ, quâ homo fit bonus & justus: Atqui homo non fit bonus & justus per gratiam sufficientem, cui semper resistitur; sed per gratiam sanctificantem, quam semper in adultis præcedit gratia efficax, & fides in Christum Mediatorem. Certum est autem apud omnes ejusmodi gratias non esse communes, sicut naturam.

Non quartum; nam gratia sufficiens sumitur vel generatim, vel specificè & determinatè

pro gratiâ propriâ statûs innocentiæ, per quam Adamus & Angeli viatores non solùm poterant, sed etiam actu bona operabantur. Hanc autem gratiam aliquibus nunc deesse asserit S. Augustinus; quia ex dictis homo in hoc statu cum gratiâ sufficiente nunquam bene operatur, licèt possit.

Non quintum, quia ex dictis duplex est gratia sufficiens, alia proxima, alia remota. Qui ita resistit gratiæ proximè sufficienti, ut prævideat, aut prævidere possit peccata inde secutura, eorum se constituit reum; sic qui contra divinam inspirationem cauponam ingreditur, ubi pro more voluntariè se inebriat, reus est peccatorum, quæ in ebritate committit. Secus dicendum est de eo qui gratiæ remotè tantùm sufficienti dissentiens non prævidet, nec prævidere potest inde secuturam impossibilitatem implendi præcepti. Quis enim dixerit Beneficiarium mortaliter peccasse ex eo, quòd cùm posset, & deberet officium matutinum manè persolvere, ex negligentiâ distulerit ad decimam horam, quâ gravi & imprævisо morbo correptus, non potuit illâ die præcepto satisfacere? Porrò infideles negativi, dum resistunt gratiæ remotè sufficienti, nec prævident, nec prævidere possunt se propter ea privandos notitiâ & fide mysteriorum nostrorum. His ita discussis,

Alii magno numero Theologi contendunt gratiam sufficientem saltem remotam infidelibus negativis aliquando conferri, probantque 1°. Quia ex sæpius laudato Apostoli textu, Deus *vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Atqui voluntas illa Dei antecedens non est in Deo otiosa complacentia, fatentibus patronis prioris sententiæ, sed

est decretum dandi singulis auxilia sufficientia, si nullus sit ex parte causarum secundarum defectus, & naturale impedimentum. Porrò nullus potest esse defectus, nullumve naturale impedimentum ex parte causarum secundarum, quominus infidelibus adultis actu conferantur remotiora auxilia, putà sancta cogitatio, pia voluntatis motio, hæc quippe non pendent à ministerio hominum, ut baptismus, doctrina mysteriorum fidei; sed illa Deus per se immediatè operatur, & independenter à concursu causarum secundarum, ac salvo naturali ordine universi. Ergo si Deus illa infidelibus non conferat, non videtur sincerè, & quantùm est ex se, velle illorum salutem; per illum enim solùm stat, quominus conferatur.

Hæc ratio, fateor, me movet, propensioremque reddit in illam sententiam, quæ nova non est, nec Molinam habet auctorem, quidquid dicant Patroni prioris sententiæ, ut patebit ex mox dicendis.

2°. Itaque probatur Veterum autoritate. S. Augustinus concione 1ª. in Psalm. 18. *Non est*, inquit, *qui se abscondat à calore ejus; cùm enim Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbrâ mortis, & ipsam enim penetravit Dei calor.* Auctor lib. 2. de vocatione Gentium sive sit S. Prosper, sive sanctus Leo, sic scribit cap. 15. *Adhibita est semper universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit, tamen sufficit, sicut Deus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* S. Thomas quæst 14. de veritate art. 11. sic respondet ad primum: *Si aliquis nutritus in silvis, vel inter bruta animalia, ductum*

naturalis rationis sequeretur .. &. certissimè tenendum, quòd ei Deus vel per internam inspirationem ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium. Idipsum sanctus Doctor confirmat lectione 3. in caput 10. epistolæ ad Romanos ubi addit : *Hoc ipsum ; quod aliqui faciunt quod in se est , ex Deo est movente corda ipsorum.* Magistri sententiam sequuntur celeberrimi ejus discipuli, ut Alvarès, Bannès, Joannes à S. Thomâ, & alii, quemadmodum contra Gonetum demonstrat Massoulierius, ex eodem Prædicatorum Ordine.

Verùm quia rarò infideles negativi Deo sic obtemperant, S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 19. observat, quòd *paucissimis donatum sit , ut nullo sibi homine prædicante, per ipsum Dominum, vel per Angelos cælorum, doctrinam salutis accipiant.*

Paragraphus VIII.

De Induratis.

Circa Induratos duo debent esse extra controversiam.

Primum. De nullo indurato, quandiu vivit, desperandum est; quia Deus aliquando induratos efficaciâ suæ gratiæ emollit, quæ ideo *occultè humanis cordibus tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur ;* ex S. Augustino lib. de corr. & gr. cap. 8. Quòd autem hæc gratia aliquando (rarò quidem) induratis conferatur, agnoscit S. Bernardus lib. 1. de consider. cap. 2. ubi sic habet : *Nemo duri cordis salutem unquam adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus, abstulit ab eo* (juxta Prophetam) *cor lapideum, & dedit cor carneum.*

Si quem ergo Pastor ex grege deprehendat laborare tam horribili malo, ut loquitur idem sanctus Bernardus, curam illius non deserat; sed ut illam utiliter impendat, ante omnia indurationis causam, scilicet frigus cupiditatis, quo tanquam gelu constringuntur corda mortalium, removere studeat necesse est. Hàc quippe ratione Deus Oseæ 2. aversum Israëlem sub typo sponsæ adulteræ ad se revocare proponit; *Sepiam*, inquit, *viam tuam spinis .... semitas suas non inveniet. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet .... & dicet, Vadam, & revertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc.* Enimverò sicut adultera, quamdiu amoribus illicitis illaqueata, & præoccupata fuerit, legitimum conjugem contemnit, & ita aversatur, ut eum amare sibi videatur impossibile; soluta autem ab illis laqueis, pristinum amorem castum facilè concipit: sic induratus ideo nauseat ad cœlestia, legem divinam rejicit; quia res creatæ rapuerunt cor ejus: iis ergo paulatim se subtrahat, & fascinationem agnoscet, incipietque gustare, quoniam suavis est Dominus.

Secundum. Dantur circunstantiæ in quibus Deus obduratis in pœnam præcedentium peccatorum denegat omnem omnino gratiam, quâ salvi esse possint. Illud constat experientiâ hujusmodi hominum, qui decedunt, vel repentinâ morte, vel morbo, qui judicium rationis subvertit.

Controversia itaque esse potest duntaxat de obduratis, qui pollent rationis usu, utrùm scilicet aliqui ex iis existant, qui careant omni gratiâ, sive proximâ, sive remotâ.

Affirmant Theologi benemulti, qui nituntur his momentis.

Primò auctoritate Scripturæ, Eccles. cap. 7. *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit*; in quem locum sic scribit sanctus Gregorius lib. 11. Moral. cap. 5. *Mutum est os omne quod loquitur, si ille intrinsecùs non clamet, qui aspirat verba, quæ audiuntur. Hinc est enim quòd Caïn ex divinâ voluntate admoneri potuit, & mutari non potuit; quia exigente culpâ malitiæ, jam intus Deus cor reliquerat, cui foris ad testimonium verba faciebat.* Joan. 12. de Judæis excæcatis habetur: *Propterea non poterant credere; quia iterum dixit Isaïas, excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur.* Proverb. 1. *Tunc invocabunt me, & non exaudiam.* 2. Machab. c. 9. de Antiochio legitur: *Orabat hic sceleftus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* & Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasci...non convertam eum.*

Secundò, auctoritate sanctorum Patrum, S. Joannes Damascenus lib. 2. de fide orthod. cap. 29. *Duplex est*, inquit, *derelictio; est enim derelictio dispensativa quidem, & eruditiva, & alia finalis & desperativa. Dispensativa quidem & eruditiva ad correctionem, salutem, & gloriam: finalis verò derelictio est ubi Deus omnia ad salutem necessaria fecit, inemendabilis, immedicabilis, magisque insanabilis ex proprio proposito homo permanet; tunc enim traditur in finalem perditionem, ut Judas.* S. Augustinus lib. de perfectione justitiæ c. 19. excæcatum vocat, desertum omni lumine veritatis Lib. 1. operis imperfecti ait: *Quis porrò volens cæcus est corde, cùm nemo velit cæcus esse vel corpore?* Quibus verbis sanctus Doctor probat cæcitatem, & indurationem non esse voluntarias. & lib. expositionum quarundam quæstionum in Epistolam ad Romanos, propositione

sextâ de Pharaone jam obdurato, sic scribit: *Non hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperaverit; quando quidem obdurato corde obtemperare non poterat; sed quia dignum se præbuit, cui cor obduraretur priori infidelitate.* Denique libro de naturâ & gratiâ cap. 22. *Nec cogitat, prævaricatorem legis quàm dignè deserat lux veritatis, quâ desertus utique fit cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexatus non surgat.*

Tertiò ratione; quia obduratio fit per subtractionem gratiæ, ex S. Augustino lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. *Obduratio Dei*, inquit, *est nolle misereri; non ut ab illo irrogetur aliquid, quo homo sit deterior; sed tantùm, quo sit melior, non irrogetur.* Atqui non quævis subtractio gratiæ est induratio; nullus quippe peccat sive leviter, sive graviter, nisi per aliquam gratiæ saltem efficacis subtractionem: Ergo induratio est subtractio omnis gratiæ.

Alii distingunt inter gratias; quædam, inquiunt, dantur, ut peccator impleat præcepta: aliæ, ut justificetur, & remissionem peccatorum obtineat: prioribus secundùm ipsos nunquam induratus totaliter deseritur, nonnumquam verò posterioribus. Ita olim docuit in Scholis Sorbonicis noster Gasto Chamillart, doctrinæ Catholicæ contra Jansenianos defensor acerrimus, cujus est hæc propositio qu. 3. art. 6. sect. 7. *Dico 2°. probabile videri, quòd aliqui ita deserantur & excæcentur, ut per reliquum vitæ spatium careant gratiâ quâlibet etiam sufficiente, quâ possint converti & salutem consequi.*

Sed contradictorium videtur, induratum habere gratiam ad servanda mandata, & non habere ad remissionem peccatorum obtinendam. Namque, ut de ceteris Dei mandatis taceam, præcipitur omnibus peccatoribus baptizatis diligere

ligere Deum super omnia & Sacramentum pœnitentiæ suscipere: Atqui contradictorium est indurato conferri gratiam ad præcepta illa implenda, non verò ad remissionem peccatorum obtinendam; Deus enim diligit quem movet ad diligendum se, juxta illud Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*, & ad justificationem parare vult, qui auxilium sufficiens concedit, quò ritè suscipere possit sacramentum pœnitentiæ. Ergo alteruttum dicatur necesse est, vel Deum in quibusdam circunstantiis denegare gratiam sufficientem, quâ induratus præcepta implere, & consequenter à peccato resurgere possit, ut accidit peccatori, qui deliquium mentis usque ad mortem patitur: vel neminem privare gratiâ, saltem remotâ, sive ad præcepta implenda, sive ad remissionem peccatorum obtinendam.

Alii ergo Theologi negant ullum induratum destitui omni auxilio etiam remotiore, quo mandata implere, & salutem æternam consequi possit. Cui sententiæ potiùs subscribendum videtur.

Probatur 1°. ex Scripturâ. Ezech. 18. & 33. de omni peccatore absolutè, & absque ullâ exceptione legitur: *Nolo mortem impii; sed ut convertatur.* 2. Petri c. 3. *Patienter agit* (Deus) *propter vos nolens aliquos perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Rom. 2. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram.*

Probatur 2°. ex Patribus. Sanctus Augustinus in Psalm. 6. sic scribit: *Dedit eos in reprobum sensum; nam ea est cæcitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiori luce secluditur, sed nondum penitus cùm in hâc vitâ est*, Auctor de vocatione Gentium lib. 2. cap. 28. de obduratis sic

loquitur : *Quæ beneficia, licèt obduratis nihil remedii attulerint, probant aversionem illorum non divinæ fuisse constitutionis ; sed propriæ fuisse voluntatis.* & lib. 1. cap. 21. *Credimus nullis hominibus opem gratiæ in totum fuisse subtractam.* Sanctus Prosper responsione 15. ad objectiones Vincentianas, ait: *Nemini Deus correptionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.* Sanctus Thomas qu. 27. de Veritate art. 11. in corpore docet, *obduratum non posse facilè cooperari ad hoc, ut exeat de peccato, & hæc est*, inquit, *obstinatio imperfecta, quâ quis potest esse obstinatus in statu viæ, dum scilicet habet ita firmatam voluntatem in peccato, quòd non surgunt motus nisi debiles.* Quibus verbis sanctus Doctor clarè & distinctè declarat suam sententiam non esse (ut nonnulli contendunt) obduratos carere omni gratiæ auxilio : Ergo hæc posterior oponio longè est Molinâ antiquior.

Probatur 3°. ratione ; quia obdurati sunt adhuc in statu viæ, nec ad terminum pervenêre ; Ergo progredi possunt, quod supponit aliquod gratiæ auxilium.

Nec movent momenta allata pro priori sententiâ.

Non textus scripturæ. Namque 1°. quod dicitur Ecclesf. 7. *Nemo potest corrigere, quem Deus despexerit*, probat duntaxat inutilem fore correctionem respectu non solùm indurati ; sed cujusvis etiam peccatoris, nisi Deus interiùs aspiret ; quod verissimum est. 2°. Judæi excæcati non poterant credere (Joan. 12.) eo sensu, quo Christus quibusdam invidis jam dixerat cap. 5. *Quomodò vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis ?* Nimirùm nec isti, nec illi proximè, & cum ejusmodi impedimento, credere poterant ; sed cùm penès illos es-

set tale impedimentum removere, remotè poterant credere. 3°. Quod affertur de Antiocho ex lib. 2. Machab. cap. 9. de Damasco cap. 1. Amos, & de aliis Prov. 1. intelligitur de pœnis temporalibus, à quibus improbi frustra petunt liberari. Deinde etiamsi ad dona gratiæ extenderentur illi textus, in promptu esset responsio, improbos ideo non exaudiri; quia malè petunt. Nullus autem orat sicut oportet, nec sincerè ad Deum convertitur sine gratiâ efficaci, quàm excæcatis & induratis aliquando denegari fatemur. Unde sicut sanctus Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 12. docet parvulum sine baptismo aliquando decedere, Deo nolente ipsum baptizari, hoc est, nolente concedere donum perseverantiæ, sine quo nullus salvatur; sic Antiochus, & alii, de quibus fit mentio in laudatis textibus, pereunt, quia Deus voluntate consequente & absolutâ non vult eos salvari, sed conditionatâ tantùm.

Non textus sanctorum Patrum, 1°. Verba S. Joannis Damasceni nullam pariunt difficultate. Certum quippe est aliam esse derelictionem eruditivam & medicinalem, per quam etiam justi aliquando de se præsumentes, veniunt in cognitionem propriæ infirmitatis; talis fuit derelictio à gratia efficaci in sancto Petro, quando negavit: aliam esse desperativam, quæ infallibiliter deducit ad impœnitentiam finalem; sed S. Joannes Damascenus quæstionem nec solvit, nec attingit, utrùm hæc derelictio excludat omnem omnino gratiam. 2°. Si adversarii legerent, & bonâ fide proponerent quæ sanctus Augustinus scripsit laudato ab ipsis capite 19. de perfectione justitiæ, nihil ex eo concluderent contra nostram sententiam; ibi quippe sanctus Doctor Cœlestium docentem bonum

opus esse à Deo, bonam verò voluntatem à nobis; hinc refellit, quòd si quis rectè voluisset, nec perficere potuisset, gratias Deo agere deberet, quòd voluisset, cùm desertus omni luce veritatis, nequidem velle potuisset. Verba ejus sunt: *quasi non debebat gratias agere, qui præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis, hæc velle non posset*, quibus sanctus Doctor ita probat nos sine gratiâ, nec velle, nec operari posse, ut non neget eam de facto conferri. 3°. Ut solvatur quod idem sanctus Doctor scribit lib. 1. operis imperfecti, *qui volens cæcus est corde*, duo in peccato spectanda esse docet sanctus Thomas in caput primum epist. ad Rom. Primum est ipsemet actus malus, v. g. fornicatio, ad quam directè se determinat peccator. Secundum est pœna quæ sequitur actum malum, scilicet privatio gratiæ sanctificantis, cæcitas mentis, induratio, ac tandem æterna damnatio. Illud autem non vult peccator (nisi indirectè & quatenus vult causam) quia est pœna gravissima, ac proinde repugnans inclinationi patientis, alioquin non esset pœna. Ergo nullus directè vult esse cæcus corde, sed indirectè tantùm, quod non impedit, quin ipsa cæcitas sit absolutè voluntaria & peccatum, ut expresè docet sanctus Doctor citato lib. 1. operis imperfecti, his verbis: *Si peccatum non esset injustè coargueretur* (cæcus) *arguitur autem justè: ubi dicitur*, Pharisæe cæce, &c. 4°. Verba sancti Augustini laudata ex expositione in epist. ad Rom. *Pharaoni indurato peccatum non imputabatur, quia obdurato corde obtemperare non poterat*, si secundùm sensum obvium accipiantur, nimis probant; videntur enim significare induratum non ampliùs peccare, quod falsum asserunt, tum Patroni oppositæ

sententiæ, tum ipsemet sanctus Augustinus, qui tract. 53. in Joan. monet non esse excusanda peccata Judæorum excæcatorum, Christo dicente eis : *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent ; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Quærendum est itaque adversariis sicut & nobis, quo sensu hæc scripserit sanctus Augustinus. Nimirum ista scripsit S. Augustinus ex errore Semipelagianorum, quo tunc occupatus erat, ut ipsemet agnoscit lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 3. Error autem ille in eo positus erat, quòd initium fidei seu pia credulitatis affectio sit à nobis, ac ita necessariò præire debeat gratiæ divinæ, ut nisi præcesserit, nulla prorsus sequatur gratia : non præcessit autem in Pharaone : ergo Pharao induratus caruit omni gratiæ auxilio, sed in mente Semipelagianorum, à quâ S. Augustinus recessit meliùs consultus : ergo Pharao sic à Deo desertus, non potuit credere, nec obtemperare Moysi gravia minitanti ; ad credendum enim necessaria est gratia : Ergo Pharaonis peccata imputanda sunt primæ ejus infidelitati, ex qua juxta errorem Semipelagianorum necessariò sequuntur posteriora peccata, quem errorem sanctus Augustinus, ortâ Pelagianorum hæresi, detestatus est, ut patet tum ex citato lib. de prædestinatione Sanctorum, tum ex lib. 1. Retractationum cap. 23. at proinde genuina sancti Doctoris sententia eruenda non est ex ejus expositione in Epistolam ad Romanos, sed ex posterioribus ejus libris, v. g. ex suprà laudato libro in Psalmos.

At, inquies, ex l. de cor. & gr. c. 12. Adam sine Dei auxilio in acceptâ justitiâ perseverare non potuisset, & sine suâ culpâ cecidisset. Distinguo, sine suâ culpâ cecidisset à fide ad quam

ficut ad cetera præcepta supernaturalia absolutè necessaria est gratia, sicut oculo perfectè sano necessaria est lux corporalis ad videndum, inquiebat suprà S. Doctor, C.; sine culpâ suâ cecidisset, si sermo sit de solâ lege naturali, N; nam ad peccandum in hac parte sufficit liberum arbitrium, ut mox demonstrabitur.

Non denique movet ratio ex definitione indurationis petitâ; quia ex S. Thomâ suprà laudato duplex est induratio, alia perfecta, quæ est propria damnatorum, quæque excludit omnem gratiam tum efficacem, tum sufficientem etiam remotam: alia imperfecta, quâ interdum puniuntur viatores ob præcedentia peccata, privanturque duntaxat gratiis magis congruis & proximioribus.

Ceterùm monendi sunt Pastores, hæc in pulpitis magnâ cautione esse prædicanda: ne, cùm protervos terrere satagunt, alios desperationis jaculo confodiant. Namque sicut ægroti, si semel audierint à medico nullam superesse spem sanitatis, mortemque brevi secuturam, solent remedia, & alimenta respuere, nullamque amplius sui curam gerere: ita & peccatores, cùm audierint à Pastore iniquitatum mensuram in aliquibus esse completam, nec à Deo ulteriùs gratiam expectandam, facilè sibi persuadent se esse ex illo numero, præsertim si urgeantur gravibus tentationibus, laxantque habenas cupiditatibus; quas priùs timoris & spei freno utcunque comprimebant. Quare Pastor imitetur sapientem medicum, qui ita exponit morbi periculum, ut nunquam spem salutis adimat. Doceat populum, cæcitatem mentis, & indurationem cordis tam horrendam esse, ut quisquis in eam datus fuerit, æternam damnationem infallibiliter incurrat:

nisi fortè eum miserans Deus, ab eo cor lapideum abstulerit; sed simul exponat, quis censendus induratus juxta sanctum Bernardum, lib. 1. de consid. c. 2. *Cor durum ipsum est*, inquit *quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina... & ut brevi contra horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur; En quò trahere te habent hæ maledictæ occupationes, si tamen pergis ut cœpisti.* Ergo, inquiet Pastor, qui contremiscit ad hos sermones, nondum est obduratus, utpote qui Deum timeat, paveat ad pericula; nec verisimile est Deum velle eum perdere, quem interiùs movet ad pœnitentiam, & misericorditer initiat ad sapientiam; nam *Initium sapientiæ timor Domini*, Eccli. 1. nisi fortè jam voce Domini excitatus iterum in peccatis obdormiscat.

Paragraphus IX.

Utrùm indurati in hypothesi primæ sententiæ quod careant omni gratiæ auxilio, precepta liberè violent, novumque reatum culpæ & pœnæ contrahant.

R. Indurati & alii peccatores, etiamsi supponantur sine gratiâ, legem liberè violant, novumque reatum culpæ ac pœnæ contrahunt.

Probatur 1°. ex Conciliis.

Arausicanum 11. cap. 13. & Tridentinum sess. 6. cap. 1. declarant liberum arbitrium per peccatum originale fuisse quidem *attenuatum & inclinatum*; *sed non extinctum*; Atqui extinctum

foret, si homo absque gratia necessariò peccaret, Ergo.

Concilium Carisiacum 9°. seculo celebratum Præside Hincmaro Rhemensi sic decernit cap. 2. *Habemus liberum arbitrium ad malum desertum à gratiâ.*

Ecclesia Lugdunensis licèt Patribus Carisiacis parùm æqua, in hoc tamen dogmate cum iis convenit lib. adversùs Scotum Erigenam cap. 4. *Natura post illam miserabilem ruinam non potuit esse libera nisi ad malum.*

Clerus Gallicanus in Generalibus Comitiis proscripsit sequ. Propositiones ad se delatas.

1. *Si peccatores consumatæ malitiæ, cùm blasphemant & flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos nec mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno eos hisce actionibus non peccare.*

2. *Philosophicum* (peccatum) *quantumvis grave in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei neque æternâ pœnâ dignum.*

De prima Propositione sic censuerunt Patres, *Hæc Propositio falsa est, temeraria, perniciosa, bonos mores corrumpit, blasphemias aliaque peccata excusat, & ut talis à Clero Gallicano jam damnata est:* de secunda verò, *Hæc Propositio scandalosa est, temeraria, piarum aurium offensiva.* Præiverat Alexander VIII. in suo Decreto 14. Augusti, an. 1690.

Probatur. 2°. ex Patribus.

S. Augustinus lib. 2. contra 2. epist. Pelag. cap. 5. *Peccato Adæ*, inquit, *liberum arbitrium de hominum naturâ periisse non dicimus; sed ad peccandum valere in hominibus subditis Diabolo.* lib. de grat. & libero arb. cap. 15. *Semper est in nobis vo-*

luntas libera non semper est bona, lib. de Cantico novo, *liberum arbitrium ad malum sufficit sibi.* Idem repetit lib. de cor. & grat. cap. 11. num. 31. & lib. 3. operis imperfecti cap. 120. *Ad malum liber est qui voluntate agit mala, aut opere, aut sermone, ut solâ cogitatione. Hoc autem grandioris ætatis quis hominum non potest.*

Sanctus Bernardus serm. 81. in Cantica, *Interveniente peccato*, inquit, *patitur* (homo) *quamdam vim & ipse, sed à voluntate, non à naturâ, ut ne sic quidem* INGENITA LIBERTATE PRIVETUR .... *ita nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit, ut nec necessitas, cùm voluntaria sit,* EXCUSARE VALEAT VOLUNTATEM; *nec voluntas, cùm sit illecta excludere necessitatem .... voluntas enim est, quæ se, cùm esset libera, servam fecit peccati peccato assentiendo: voluntas nihilominus est, quæ* SE SUB PECCATO TENET VOLUNTARIE SERVIENDO. Quibus verbis sanctus Doctor planissimè docet necessitatem quam patitur peccator, non esse absolutam nec excludere libertatem, ac proinde quæ malè operatur non ita esse refundenda in præcedens peccatum, quemadmodum peccata ebrii in ebrietatem quæ præcessit, sed ipsa esse formaliter peccata utpote voluntaria & libera: *voluntas nihilominus est, quæ sub peccato tenet voluntariè serviendo.*

Probatur 3°. ex consensione omnium Theologorum, quibus adversarius confidenter asserit doctrinam quam propugnamus, esse incognitam.

Magister Sententiarum lib. 2. distinct. 24. sic scribit: *Liberum arbitrium, quod est ad bonum, nisi gratiâ adjutum, non eligit: malum verò per se eligit .... gratia adjuvat voluntatem, ut efficaciter*

velit bonum, per se autem potest velle malum efficaciter. Ita Bonaventura in hanc distinct.

Sanctus Thomas in quæstionibus disputatis quæst. 24. de lib. arb. art. 12. ad duodecimum, *Dicendum*, inquit, *quòd cupiditas non potest intelligi esse cogens absolutè liberum arbitrium, quod semper est liberum à coactione; sed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis, cui tamen potest resisti, licèt cum difficultate.* Sed quæstionem copiosissimè tractat 1ª, 2ª. quæst. 77. *Passio*, inquit, art. 7. *quandoque quidem est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in iis qui propter amorem aut iram insaniunt, & tum si talis passio à principio fuerit voluntaria; imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa, sicut etiam de ebrietate dictum est.* Superest quæstio utrùm idem sentiendum sit de peccatis obduratorum. *Quandoque verò*, inquit Angelicus Doctor, *passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis, & tunc ratio potest passionem excludere. Unde talis passio non totaliter excusat à peccato*; quis audeat Angelicum Doctorem notare hæresi Calvinianâ aut Jansenianâ; anxius fortassis est num peccatum illud sit mortale, mereaturque pœnam æternam, dubium solvit sanctus Thomas art. 8. in quo sic habet, *Ratio deliberans potest hîc occurrere; potest enim excludere vel saltem impedire passionem, unde si non occurrat, est peccatum mortale.* Hæc doctrina adeo constans est in Ecclesia ut Molina in Congregationibus *de auxiliis* insimulatus fuerit quasi ab ea recessisset, sed patroni ejus, Theologi scilicet Societatis Jesu, criminationem diluerunt, quemadmodum ipsi referunt in historia quam ediderunt sub nomine Theodori Eleutheri; sic enim scribunt lib. 4. cap. 14. *Nullum est momentum per se ac seorsim consideratum, in quo non sit homo naturaliter seu physicè liber ad non assen-*

tiendum tentationi, vitandumque peccatum, neque per ullum objectum, vel per ullam peccandi illecebram, aut passionem quantumvis vehementem compelli potest liberum arbitrium, & ad consentiendum adigi, dum non absorbetur judicium rationis, UT EST COMMUNE AXIOMA THEOLOGORUM, *docetque expressè sanctus Thomas 1a. 2æ. quæst 10. art. 2. tametsi, ut dixi, moraliter necesse sit, aliquo tentationis notabiliter durantis momento tentatum labi nisi gratiæ succurrat auxilium, ut docet Molina.*

Petavius inter Theologos ejusdem Societatis celeberrimus lib. 5. Theol. dogm. cap. 10. n. 11. eandem propugnat sententiam adversùs Calvinum & Jansenium his verbis: *Plerique longâ vitiorum consuetudine sic obdurati sunt & occalueiunt, ut occasione datâ, propè pecudum more, & quâdam insuperabili necessitate rapiantur quòcunque eos impotus ac libido tulerit. Nec tamen excussa illis est penitus arbitrii libertas, cui licèt absolutè reluctari possint & in contrarium niti, si velint, non tamen hoc facturi sunt. Quod in* DÆMONIBUS *ac* DAMNATIS *multò evenit magis, qui & liberè peccant, ut quæ faciunt, possint non facere; nec tamen facturi sunt, nec usuri liberæ potestatis arbitrio ....Ille potestatis defectus non est absolutè præcisèque capiendus, verùm, ut jam dixi, moraliter, ut non posse agere id sit, nunquam velle movere se ad agendum, quamvis absolutè queat*; eadem docent Bellarminus, Suaresius, Martinon, & Perrin suprà laudati cap. 5. paragr. 1.



Caput VIII.

De effectibus Gratiæ.

Q. 1°. *Quotuplex, est effectus Gratiæ?*
R. Duplex, scilicet justificatio, & meritum.

Q. 2°. *Quid est justificatio?*
R. Definitur à Concilio Tridentino sess. 6. c. 4. Translatio à statu peccati ad statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei.

Ergo justificatio impii non est motus à privatione ad formam, sicut illuminatio aëris à privatione luminis ad lumen; sed est motus à contrario ad contrarium, scilicet à peccato ad justitiam, quemadmodum calefactio est transitus à frigore ad calorem; ac proinde in justificatione impii sunt duæ mutationes partiales, juxta commune Philosophorum effatum, generatio unius est corruptio alterius. Prima mutatio, est destructio seu expulsio peccati. Secunda, introductio seu productio gratiæ sanctificantis.

Q. 3°. *Quid in justificatione est præcipuum, an remissio peccati, an gratiæ infusio?*
Respondet sanctus Thomas qu. 113. art. infusionem gratiæ esse quid præcipuum; quia in omni motu magis intenditur terminus ad quem, quàm terminus à quo receditur: Atqui infusio gratiæ est terminus ad quem justificationis, remissio verò peccatorum est terminus à quo: Ergo.

Q. 4°. *Forma justificans est ne unus simplex habitus, vel collectio plurium?*

R. Justificatio spectari potest vel essentialiter, vel integraliter: si spectetur essentialiter, una & simplex est ejus forma, nempe gratia sanctificans: si verò spectetur integraliter, formæ ejus est collectio plurium habituum, scilicet gratiæ sanctificantis, virtutum infusarum, & donorum Spiritûs sancti.

Q. 5°. *Justificatio impii est-ne maximum Dei opus?*

R. 1°. Est opus Incarnatione minus; quia per Incarnationem homo fit substantialiter Deus: per justificationem verò fit divinum quid, scilicet per participationem accidentalem. 2°. Majus est creatione etiam Angelorum, saltem ratione termini, quia justificatio *terminatur*, inquit S. Thomas qu. 113. art. 9. *ad bonum æternum divinæ participationis, creatio verò ad bonum naturæ mutabilis.* Unde S. Augustinus tract. 72. in Joan. ait: *Prorsus majus hoc esse dixerim* (nempe impium justificare) *quàm est cœlum & terra, & quæcunque cernuntur in cœlo & in terrâ.* 3°. Justificatio cum glorificatione comparata, est quid majus sub uno respectu, minus sub alio. Respectu subjecti est quid majus, quia major est distantia inter peccatum & gratiam sanctificantem, quàm inter gratiam & gloriam. *Judicet qui potest*, inquit Sanctus Augustinus cit. tract. 72. *utrùm majus sit justos creare, quàm impios justificare. Certè enim si æqualis est utrumque potentiæ, hoc majoris est misericordiæ.* Respectu verò statûs, Beatorum status sine dubio præcellit statum justorum peregrinantium; cùm habeat rationem termini & ultimæ perfectionis. Sed gratia justificans, quæ permanet in Beatis, conferatur cum lumine gloriæ, nonnulli Theologi censent esse præstan-

tius donum ; quia se habet tum ad lumen fidei, tum ad lumen gloriæ, veluti natura ad suas facultates, quarum est radicale principium.

Q. 6°. *Justificatio impii est-ne miraculum?*

R. Si fiat supra consuetum gratiæ operandi modum & præscriptum ordinem, v. g. si adultus sine præviis dispositionibus subitò justificetur, ut S. Paulus, est verum miraculum; secus si fiat secundùm consuetum gratiæ operandi modum, quæ sicut natura ab imperfectioribus incipiens paulatim ad perfectiora progreditur; nam ex sancto Augustino tract. 5. in 1. Joan. *Charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.* Ita sanctus Thomas qu. 11. art. 10. Et ratio est, quia ad verum miraculum duo requiruntur. Primum, ut opus excedat omnem virtutem creatam; Secundum, ut sit rarum & supra ordinem à Deo præscriptum. Hinc resurrectio est miraculosa, non verò hominis generatio; quia licèt solius impotentiæ sit unire animam rationalem corpori, in posteriori tamen exemplo anima unitur præviis dispositionibus, & juxta consuetum naturæ ordinem: in priori verò extraordinariè & præter ordinem. Atqui subitanea impii justificatio extraordinaria est, & præter consuetum gratiæ operandi modum: quæ verò paulatim perficitur, ordinaria est, & juxta communem ordinem à Deo præscriptum. Ergo prior est verum miraculum, posterior verò minimè. Ac proinde qui in cœno peccatorum volutatur hac spe, quod in exitu perfectè ad Deum convertetur quorumdam exemplo, putà latronis juxta Christum in Cruce pendentis, non minùs videtur tentare Deum, quàm qui

lethalia vulnera sibi infligeret, confidens se à Deo mirabiliter sanandum, uterque enim temerè expectat miracula.

Cetera quæ pertinent ad justificationis essentiam, proprietates & dispositiones, latè exposuimus capite IV. ubi de Gratiâ habituali. De solo igitur merito, quod est alter gratiæ effectus, nobis dicendum superest. Sed quia meritum ex actibus bonis efflorescit, priùs tractandum videtur de actibus humanis, & quærendum in quo consistat eorum bonitas, tum ex ordine deveniemus ad eorum species, quarum præcipua sunt actus meritorii.

FINIS.

MONITUM.

QUÆ jam vidimus ſcripta in Janſenii gratiam ac defenſionem, & quæ deinceps vulganda jactantur, ad id nos adducunt, ut moneamus eos, qui noſtrum de Gratiâ Tractatum lecturi ſunt, nihil aliud voluiſſe nos in compendiosâ illâ Janſeniſtarum hiſtoriâ, niſi ut adoleſcentibus, qui inſtituuntur in Seminariis, breviter & preſsè exponeremus quæ ab Eccleſiâ in ejuſmodi controverſiis judicata deciſaque ſunt. Cùm enim fieri nequeat ut ſparſos de Janſeniſmo rumores auribus non excipiant adoleſcentes, operæ pretium facturos eſſe nos judicavimus, ſi, ne pro vero falſum arriperent, paucis eos doceremus, quid Eccleſia tum de jure tum de facto judicaſſet.

Si minus fideliter Eccleſiæ decreta ac judicia retulimus, ſi præter mentem, aut addendo quid, aut detrahendo, aut in alium ab ejus conſilio ſenſum detorquendo corrupimus, id vitio nobis tribuendum erit, atque in hâc parte accuſantibus per nos erit faciendum ſatis.

Verùm ſi rationes iterum ingerantur, quibus probetur nec de jure nec de facto ritè judicatum, & Janſeniſmum nihil aliud eſſe

quàm evanidam umbram ac figmentum, contra quod Apostolica Sedes & Ecclesia Gallicana per annos quinquaginta temerè decertarunt, atque ita velint explodere & in contemptum risumque adducere nostram expositionem, nec nos, nec illi, quibus hîc noster Tractatus inserviet; quidquam habemus respondendum? quandoquidem tela illa non in nos, sed in Ecclesiam intorquentur, quæ pro suâ auctoritate satis ipsa per se adversùs rebellantium temeritatem decreta sua propugnabit.

Et certè ubi semel factum legitimâ auctoritate senatusconsultum est, taceat omnis oportet controversia, frustra jactabit causæ æquitatem suæ, qui causâ cecidit, qui verò vicit, illi nihil incumbit dicendum, nisi litem esse judicatam; aliàs illa Tribunalia quæ fovendæ tranquillitati publicæ Deus instituit, vana prorsus essent & irrita. Atque ut quisque suæ opinionis ac sententiæ tenacissimus est, regnarent æternùm tum in Ecclesiâ, cùm in omni republicâ perpetuæ lites & jurgia; proculque exularet illa pax, quam suis Christus reliquit pretiosissimam hereditatem.

Si loca quædam in Jansenio confusa nimis & ambigua in dubium quosdam injecerunt, illi tam solemnibus Ecclesiæ judiciis devicti, omnem dubitandi rationem

abjicere debuerunt ; nulla Ecclesia privata illis non adhæsit judiciis , nullus in Galliâ universâ Præsul , qui cum Apostolicâ Sede Jansenii librum non damnavit. Itaque veræ Christi oves Pastori suo addictæ *non audiant vocem alienorum.*

Jam verò si quis dicat Ecclesiam non accepisse à Christo potestatem prohibendi libros, quorum lectio perniciosa sit fidelibus , ille sanè incidet in errorem non mediocriter puniendum. Dicet quis Jansenii librum non prævio examine damnatum , non auditos ejus defensores , censuram per vim acceptam ? quid aliud est, nisi dicere Ecclesiam contra bonos mores posse peccare ? sic Calvinistæ loquuntur, qui quæruntur assiduè se non auditos , & Episcopos in Concilio Tridentino summi Pontificis auctoritatem reveritos non liberè dixisse quæ sentirent.

Igitur nisi planè exhibeatur nobis Ecclesiæ decreta non esse ejusmodi ac retulimus; eandemque Ecclesiam non judicasse de jure & de facto ea quæ diximus ; notum facimus nos nihil omnino responsuros ad ea, quæ in Jansenii gratiam proferentur, Deum silentes enixè rogabimus ; det rebellibus docilitatem , ut omnes voci Pastorum obtemperent. Obtestamur porrò eos , qui hoc labore nostro uti voluerint, ut eâ de re disputationes non conferant , quibuscum (his

præsertim temporibus) consistere pax nullo modo potest: sed tranquilli quietique maneant in gremio matris Ecclesiæ, quæ pro illis fortiter pugnat contra circumlatrantes rebelles. *Illa quippe rectissima disciplina est, in arcem fidei quam maximè recipi infirmos, ut pro eis jam tutissimè positis fortissimè pugnetur.* S. Augustinus epist. 118. alias 56.

APPROBATIO.

JUSSU Illustrissimi Franciæ Cancellarii, legi librum, qui titulus est, *Theologia dogmatica & moralis, ad usum Seminarii Catalaunensis, Tomus secundus, continens Tractatus de Incarnatione & de Gratia, Editio secunda auctior & emendatior.* In eo totum Gratiæ mysterium consistit, *ut in voluntate & actione bonâ laus sic & Dei & hominis: quia sic vult homo, ut tamen ejus voluntati Deus ardorem dilectionis inspiret: & sic operatur homo, ut tamen Deus cooperetur, sine cujus adjutorio quid est homo?* Cont. Pel. & Cel. de nat. & grat. l. 1. c. 6. In voluntate verò & actione malâ: laus sic Dei, & vituperium hominis. Hoc ut explicent Theologi, dicunt in gratiâ quantumvis efficaci, relinqui in homine libertatem ut consentiat vel dissentiat, licèt infallibiliter consensum adhibeat: in gratia verò sufficienti dari homini ut possit agere licèt nunquam acturus sit. Laus quidem est hominis, dum adhibet liberum consensum virtuti quam certò & infallibiliter est operaturus: vituperium verò est hominis, dum non exercet virtutem cujus exercendæ habet potentiam. Illud idem explicat D. Habert Magister in Theologia Sacræ Fa-

cultatis Parisiensis è Domo & Societate Sorbonicâ. Dum autem gratiæ efficacis agendi rationem reponit in delectatione victrici, quæ miris quidem modis cor hominis flectit ad agendum, sed ita ut necessitatem non imponat, sanè doctrina nova non est nec inaudita cùm in exercitationibus publicis Theologorum Parisiensium, qui licentiam decurrunt, & sæpissimè sit usurpata, & traditione quâdam de manu in manum excerpta. *In his verò variis & innumerabilibus quæstionibus sive ad obscurissima opera Dei, sive ad scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, multa ignorari salvâ Christianâ fide, & alicubi errari sine aliquo hæretici dogmatis crimine quis non sentiat?* Lugendum verò cum sancto Augustino, *quòd usquequaque jam plena sunt omnia tam in his loquaciter contendentibus, & infirmas atque ineruditas animas velut vinctas trahentibus, firmas autem & in fide stabiles ipsâ contentione fatigantibus.* Sed bona verba, & loquatur amor veritatis stylo charitatis. Nihil in hoc libro fidei Catholicæ adversum, aut bonis moribus contrarium post accuratum examen notavi. Ita censeo ego Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Magister & Syndicus, nec non Pastor Ecclesiæ parochialis sancti Landerici. Datum Parisiis die vigesimâ Septembris anno millesimo septingentesimo duo decimo.

De pec. origin. contra Pel. & Celest. l. 2. c. 23. Ep. 177. n. 3.

GARSON, Syndicus.





